



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

WIDENER LIBRARY



HX G97F B

Ja 112. 270

521 . 246

Harvard College Library



FROM THE
SALISBURY FUND

Given in 1858 by **STEPHEN SALISBURY**, of Worcester, Mass. (Class of 1817), for "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

ARISTOTELIS
DE ANIMALIBVS
HISTORIAE
LIBRI X.

GRAECE ET LATINE.

TEXTVM RECENSUIT

IVL. CAES. SCALIGERI VERSIONEM

DILIGENTER RECOGNOVIT

COMMENTARIVM AMPLISSIMVM

INDICESQVE LOCVPLETISSIMOS

ADIECIT

IO. GOTTLOB SCHNEIDER

SAXO.


TOMVS II.

LIPSIÆ
IN BIBLIOPOLIO HAHNIANO

1811.



Ca 112.246



Salisbury fund

ARISTOTELIS
DE ANIMALIBVS
HISTORIAE

LIBRI X.

E VERSIONE IVLII CAESARIS SCALIGERI

DILIGENTER RECOGNITA

ET TEXTVI GRAECO EMENDATIORI

ACCOMMODATA.

A

ARISTOTELIS

DE ANIMALIBVS HISTORIAE LIB. I.

[*Quas leguntur seclusa intra haec signa (), aut nomina graeca sunt, aut interpretationem vocum graecarum continent, si litteris inclinatis scripta, explicationem aliquam addunt. Contra quas intra haec signa [] conclusa leguntur, aut scripturas varietatem continent, aut suspecta aut damnata et plane aliena sunt, praecipue, si litterae sint inclinatae.*]

C A P. I.

Animalium partes aliae simplices sunt, quae in similes sibi particulas diuiduntur, vt caro in carnes: aliae compositae, quae in dissimiles inter se: neque enim manum in manus aut faciem in facies diuides. Harum autem quaedam non solum partes, verum etiam membra nominantur; videlicet eae, quarum hoc ipsum totum, quod efficiunt, diuersas in se partes continet [proprias,] velut caput, crus, manus, item totum brachium, et thorax. Hae namque partes et ipsae totius tum nomen tum rationem habent, et in se alias particulas continent.

- 2 Omnes autem dissimiles inter se partes ex similibus inter se particulis concretæ sunt, quemadmodum manus e carne, neruis, ossibus. Habent vero animalia quaedam partes aut easdem inter se omnes aut diuersas. Partes autem easdem vel specie intelligi volo, vt hominis nasus aut oculus specie cum naso aut oculo hominis (alterius) conuenit: item caro cum carne, et os cum osse. Quod idem de equo et ceteris animalibus, quæ specie inter se eadem esse dicimus. Vt enim totum se habet ad totum, ita partes singulæ sese ad singulas quoque habent. Vel sunt eadem quidem partes, sed excessu defectuque inter se differunt, quorum scilicet genus vnum idemque est. Intelligo genus, vt auium et piscium. Horum enim vtrumque differt tum in (suo) genere, tum si ad (alterum) genus referatur:
- 3 et complures sunt auium ac piscium species. Pleræque autem partes inter se differunt contrariis affectionibus, puta colore et figura; aliæ siquidem magis, aliæ minus affectæ sunt illis. Præterea multitudine, paucitate, magnitudine, exiguitate, omnino autem excessu ac defectu. Aliæ namque crusta intectæ sunt, aliæ testa. Quibusdam rostrum longum est, [vt gruibus:] quibusdam breue. Nonnulla multis, aliqua paucis pennis prædita. Quin etiam in his quoque aliæ aliis partes insunt: quæ-

dam enim calcar habent, quo caetera carent: et quibusdam crista est; aliis non item. Verum, paene dixerim, plurimae partes, ex quibus tota constat magnitudo, aut eadem sunt, aut contrariorum differunt ratione, et secundum excessum ac defectum. Hoc enim quod est plus et minus, ad excessum defectumque referre possit aliquis. Quaedam autem animalium partes neque specie eadem sunt, neque secundum excessum aut defectum, sed proportionem quadam. Quemadmodum si spinam cum osse, aut vnguem, cum vngula, aut manum cum forcipe, aut pennam cum squamma compares: quod enim in aue penna, hoc in pisce squamma. Ad hunc igitur modum animalia secundum partes aut eadem aut diuersa intelligimus: praeterea etiam situ partium. Sunt enim animalium multa, quae tametsi partes easdem habent, non tamen eadem sitas ratione: siquidem mammas alia in pectore, alia habent ad femina. Particularum autem inter se similium aliae sunt molles et humidae: aliae siccae et durae. Atque humidae quidem aut omnino, aut quamdiu naturam suam obtinent, vt sanguis, cruor, adeps, seuum, medulla, genitura, fel, lac, in quibus comperiuntur; item caro et ea, quae horum sequuntur proportionem: praeterea alia ratione excrementa, qualis est mucus, (phlegma,)

alui sedimenta et vesicae. Siccae autem et durae; cuiusmodi nervus, cutis, vena, pilus, os, cartilago, unguis, cornu: (idem enim nomen habet pars, quae figuram similem habet, et totum vocatur cornu.) item quae his proportionem respondent.

- 6 Differunt autem animalia vitae, actionum, morum, partium ratione: de quibus primum summam dicemus; deinde de vnoquoque genere diligentius et prolixius disseremus. Sunt igitur differentiae secundum vitas et actiones et mores fere huiusmodi, ut alia sint aquatilia, alia terrestria. Et aquatilia quidem duplicis naturae: quaedam enim et in humido vitam agunt et inde cibum captant, praeterea humorem tum recipiunt tum remittunt (*respirando*;) quo si priuentur, vivere nequeunt; id quod magnae piscium parti convenit. Quaedam vero in humore quidem degunt atque inde victum quaerunt, verum aërem recipiunt (*spirando*;) non aquam: et extra eam pariunt: cuiusmodi multa sunt, cum eorum, quibus pedum solus usus est, ut lutra (*enydris*), latex, crocodilus: tum volucra, ut mergus (*aethya*), et colymbis: tum carentia pedibus, ut hydrus. Sunt praeterea, quae in humido aluntur, neque sine eo vivere possunt, verum ea neque aërem neque aquam recipiunt (*spirando*): qualis est vrtica (*acalephe*) et ostrea. Porro
- 7

aquatilium alia sunt marina, alia fluuialia, alia lacustria, alia palustria, vt rana et cordylus. Marinorum autem nonnulla pelagia sunt, quaedam litoralia, alia saxatilia. Terrestrium autem animalium quaedam aërem recipiunt redduntque, id quod spirare et respirare vocant; vt homo, et alia terrestria, quae pulmonem habent. Alia aërem non recipiunt, et tamen viuunt, cibumque in terra capiunt; qualis vespa est et apes atque alia insecta. Dico autem insecta, quorum corpora aut in pronis (inferioribus) partibus, aut et in his et in supinis (superioribus) sunt segmentis distincta. Ac terrestrium quidem multa, vt dictum est, ex humido victum petunt. Eorum autem aquatilium, quae aquam recipiunt de terra nullum quicquam petit ad cibum. Animalia quoque aliqua principio quidem in humido viuunt, tum autem in aliam mutata formam foris agunt vitam: quod fit in tipulis (empidibus) fluuiorum * * * ex quibus asili (oestri). Ad haec animalium alia sedem mutant, alia non. Quae sedem non mutant, ea omnia in humido viuunt. Nam terrestrium quod non mutet sedem inuenias nullum. At in humido multa eiusmodi viuunt, quoniam agnata sunt: veluti concharum (ostreorum) genera complura. Videtur quoque spongia sensu esse praedita quopiam; si quidem difficillime auelli aiunt, nisi

sensim circum eam motus fiat. Quaedam vero et tanquam agnata adhacrent, et tanquam absoluta mouentur, cuiusmodi genus est vrticae quoddam: sic enim eam vocant. Absolutae enim nonnullae pascuntur noctu. Multa vero quanquam non adhaerescunt, non mouentur tamen: quales ostreae sunt et quae holothuria nominant. Porro alia natatu mouentur, vt pisces et mollia (*mollusca* Scaligero) et crusta intecta, quemadmodum locustae: alia gressu, quemadmodum cancrorum genus; quibus quanquam in aqua habitantibus natura gressum attribuit. Terrestrium autem quaedam alites sunt, vt aues et apes; tametsi haec inter se alia differunt ratione. Alia autem, quae ad motum sola terra nituntur: quorum quaedam gressilia sunt, quaedam reptilia; quaedam attractu corpus prouoluunt. Animal quod volatile tantum sit, vt piscis natatile solummodo est, nullum nouimus. Nam quae membranaceis alis praedita sunt, ingrediuntur; et vespertilio pedes habet; et vitulus marinus quoque, quanquam mutilos. Et auium quarundam pedes prauis sunt; quae propterea graece apodes, latine apedes appellantur. Quamobrem hoc auis genus valde bonis alis praeditum est; quemadmodum aliae quoque huic similes, pedum vsum debilium alarum compensant bonitate, vt hirundo et drepanis (latine *falcula*); quae et

moribus et pennis et facie inter se proximae sunt. Apparent autem apedes toto anni tempore, falcula vero aestate post pluuiam et conspicitur et capitur; omnino autem rara visu auicula est. Quae autem et gradiuntur et natant, multa inueniuntur animalia. Sunt praeterea tum vitae tum actiones, quibus 10 ad hunc modum differunt animalia. Partim enim gregalia sunt, partim solitaria: tam ambulatiua, quam volueria ac natatilia. Quaedam vero ambiguae vitae sunt. Gregalium quaedam ciuilem vitam colunt, alia dispersa viuunt. Gregales sunt inter alites columba, grus, olor. Vncunguium nulla. Inter natatilia multa piscium genera, quales quos vocant (*nomine communi*) cursores, (dromades) thynni, pelamydes et amiae. Homo autem vtramque obtinet naturam. Ciuiles animantes sunt, quae 11 vnum communiter exercent opus; id quod non omnes faciunt gregales. Hoc in genere homo est, apes, vespae, formica, grus. Harum autem nonnullae sub duce sunt; quaedam principatu carent; quemadmodum grus et apum genus sub duce degunt. Contra formicae aliaque plurima genera nullum habent principem. Tam vero gregalibus quam solitariis communes affectiones et non migrare et peregrinari. Sunt quae vescantur carne: sunt quibus fructus pro pabulo habeantur: sunt quae ex

omnibus escam parent. Ahuntur quaedam certo pastu, velut apes et aranea. Apes enim melle et aliis quibusdam dulciariis paucis vtuntur in cibo: araneae venatu muscarum victitant. Aliae autem animantes piscatu victum quaerunt. Quaedam sane praedatrices sunt. Eo etiam differunt, quod partim recondunt cibos in vsum futurum, partim non. Quaedam domicilia incolunt; aliis tecti vsus nullus. Illius generis sunt talpa, (aspalax) mus, formica, apis. Sub diuo agunt multa insectorum genera, 12 multa quadrupedum. Praeterea locis (*habitationum*) distinguuntur: alia namque foueas subeunt, vt laerti, angues; alia super terram agunt, sicut equus, canis. Nonnulla foramina sibi excauant; quaedam non. Alia quoque noctu victum quaerunt, alia interdiu. Sunt etiam mansuetae animantes; sunt etiam ferae: quae sane aut ita sunt semper, vt homo et mulus mansueta sunt semper: contra panthera (pardalis) et lupus semper ferae. Quaedam vero etiam celeriter queunt cicurascere, vt elephas. Alia quoque ratio est. Omnia enim genera, quaecunque mansueta sunt, etiam fera sunt, equi, boues, sues, [homines *quidam Codices interserunt.*] oues, 13 caprae, canes. Animantes praeterea aliae sonum edunt, aliae mutae, aliae vocales. Hae autem partim sermone distinguunt vocem, partim sunt illit-

teratae. Item aliae garrulae, [aliae taciturnae, aliae loquaces,] aliae cantatrices, [aliae cantus ignarae:] quibus omnibus id est peculiare, vt coitus tempore cantillent et obloquentur. Campos aliae incolunt, veluti palumbes; (phatta;) aliae montes, vt vpupa: aliae cum homine habitant, vt columba. (peristera.) Aliae in vnerem sunt propensiores, vt perdix et gallinaceum genus: aliae castiores, vt coruini generis aues: raro enim admodum hae coitum exercent. Ad haec quaedam ad pugnandum aptae sunt: 14 quibusdam cauendi ingenium comparatum. Prioris generis sunt, quaecunque aut inferunt bellum ipsae, aut illatum propulsant. Cautioribus autem cautio est, ne quid capiant detrimenti. Differunt autem et his discriminibus secundum mores. Quaedam sunt mites et remisso animo neque peruicaces, vt vacca: quaedam animosae atque peruicaces et ineptae ad discendum, vt aper. Aliae caetae et meticulosae, vt ceruus et lepus, [dasypus.] [*Vulgati libri* leporem et cuniculum *nominant.*] Aliae illiberales et insidiosae, vt serpens: aliae liberales, fortes, nobiles, vt leo. Aliae generosae; feroces et insidiosae, vt lupus. Nobile enim id est, quod genere bono prognatum est: generosum, quod non est egressum e natura sua. Item aliae versutae et 15 maleficae, vt vulpes: aliae animosae, amatrices,

adultrices, vt canis: aliae mites ac mansuescibiles, vt elephantus. Aliae verecundae et caetae, vt anser: aliae inuidae et elegantes, vt pauo. Animantium autem omnium solus homo consilii capax est. Cum autem ceterarum complures cum memoriae tum disciplinae participes sint, nulla tamen praeter hominem potest reminisci. Sigillatim autem de omnibus generibus deque morum ac vitae ratione multo exactius postea dicetur.

C A P. II.

Omnibus autem animantibus communes sunt illae partes, quae cibum capiunt, et in quas recipitur: haeque sunt vel eadem vel diuersae inter se iis, quibus diximus, rationibus; nempe aut specie, aut excessu (*et defectu*,) aut proportione, aut situ. Praeter has vero illas quoque plurima animalia communes habent, quibus cibi deiiciunt excrementa: neque enim omnibus eae insunt partes. Vocatur autem pars, qua cibum capitur, os; in quam recipitur, ventriculus: tertia multis nominibus appellatur. Ea vero excrementa cum duorum generum sint, quaecumque animalia eas habent partes, quae liquida excipiunt excrementa, eas quoque habent, quae sicca excipiunt: quae autem hasce habent, non omnia illas item habent. Ergo quaecumque vesicam

habent, etiam ventrem: (aluum:) quae autem ventrem (aluum) habent, non omnia vesicam habent. Nam ea pars, quae humidum excipit excrementum, vesica nominatur; quae siccum excipit, venter. (aluus.)

(Vulgo C. 3.)

Reliquorum autem animalium pleraque tum has 3 partes habent, tum eam, qua semen genitale emittant. Atque ex his ea, quae animal generant, aliud quidem intra se ipsum iacit semen, aliud in alterum. Quod intra se iacit, femina vocatur; quod in hanc iacit, mas. In quibusdam tamen maris et feminae discrimen non inest. Ipsa quoque species harum partium, quae ad huiusmodi opus faciendum comparatae sunt, differt. Nam quaedam matricem habent, quaedam partem aliquam eius vicariam. Hae igitur partes, omnium maxime necessariae, aut omnibus aut plurimis animantibus sunt communes.

C A P. III.

Solus autem sensuum tactus omnibus animantibus communis est: quapropter membrum etiam, in quo iste existit, caret nomine; quod quidem membrum est quibusdam idem; in quibusdam eius vicem aliud quid supplet. Praeterea inest unicuique 2 animalium humor; quo vel natura vel vi si pri-

vetur, interit: inest etiam aliud, in quo ille existit humor. Aliqua enim animalia habent et sanguinem et venam: aliqua aliud quid eorum loco, (haec autem imperfecta sunt,) fibram scilicet et saniem. Tactus igitur parti e particulis inter se similibus constanti insitus est; cuiusmodi caro est, aut eiusdem generis quidpiam. Omnino autem inest sanguineis partibus in eo genere animalium, quae sanguinem habent: in aliis, partibus iis inest, quae proportione illis respondent. Omnibus autem sensum hunc repraesentari per partes similibus inter se particulis constantes, manifestum est. Potestates autem, quae ad actiones pertinent, eae in partibus iis, quae compositae sunt e particulis inter se dissimilibus, constitutae sunt. Sic ore conficitur cibus; loco mouentur animalia pedibus aut alis aut aliis membris his similibus. Ad haec quaedam animalia constant sanguine, velut homines et equi et omnes animantes, quae aut pedibus carent, alioqui perfectae, aut bipedes, aut quadrupedes: aliae autem exanguis sunt, vt apis et vespa, et e marinis sepia et locusta, denique omnia, quae plures quaternis pedes habent.

C A P. IV. (vulgo V.)

Sunt praeterea animantes quaedam, quae animal pariunt: quaedam ouum; quaedam vermem. Pa-

riunt animal homo, equus, vitulus marinus, (phoca) atque aliae, quae pilos habent. Tum ex aquaticis cetaea, vt delphin; et quae cartilaginea (selache) dicuntur, veluti musteli (galei) et raiae. (bati.) Quorum illa fistulam habent, branchias vero non habent, vt delphin et balaena. (phalaena.) Habet autem delphin fistulam initio dorsi, balaena in fronte. Haec autem (*cartilaginea*) branchias detectas habent. Ouum autem vocatur foetuum perfectorum, ex cuius parte fit principio animal, quod generatur; ex altera alimentum ipsi generato. Vermis autem est foetus, ex quo, postquam fuerit totus deformatus et auctus, aliud animal totum fit. Eorum igitur, (*quae animal pariunt,*) quaedam intra se (*antea*) pariunt oua, vt cartilaginea: alia pariunt intra se animal, vt homo, equus. Quae autem exeunt in lucem, aliquibus est animal, perfecto demum foetu: aliis ouum: quibusdam vermis. Quorum autem quaedam sunt testaceo putamine, et duum colorum: qualia auium. Alia molli cute et vnus coloris, velut cartilagineis. Vermes quoque alii statim mouentur, alii immobiles. Verum de his exactius postea dicemus, vbi tractabimus generationem.

C A P. V. (Scaligero VI.)

Animalium praeterea quaedam pedes habent,

- quaedam non habent. Et illa quidem aut binos, vt homo, et auis sola. Alia quaternos, vt lacerta et canis. Alia plures, vt scolopendra et apes.
- 2 Omnia autem pares habent pedes. In natantium genere quae pedibus carent, alia pinnas habent, vt pisces. Quorum quidam quaternas, binas quidem in supinis (*superiis*), binas in pronis (*inferioribus*) partibus, vt aurata et lupus. Quidam duas tantum; oblongi scilicet et laeues, vt anguilla et conger. Alia vero omnino carent pinnis, vt muraena et quaecunq; mari vtantur, quemadmodum serpentes terra, qui et in aqua simili modo natant. Inter cartilaginea nonnulla pinnis carent, scilicet ea, quae plana sunt et caudata, veluti raia (batos) et pastinaca; sed ipsa latitudine natant. At vero et rana habet et alia, quorum planities non exit tenuis.
- 3 Quaecunq; vero pedes habere videntur, quemadmodum et ea, quae mollusac appellamus, et ipsis pedibus nant et pinnis, et celerius quidem versus corpus, velut sepia, loligo et polypus; quorum neutrum ingreditur, vt polypus. Quae autem duro corio operta sunt, vt locusta, cauda natant, velocissime quidem retrorsum ope pinnarum, quae ad caudam sunt. Praeterea cordylus et cauda et pedibus natat. Habet autem caudam, qualem glanis, si magnis licet parua componere.

Volatilium autem alia pennis praedita sunt, vt 4
 aquila et accipiter: alia earum loco membranas
 habent, vt apis et scarabaeus: (melolontha:) alia
 corium habent, vt vulpes et verspertilio. Sunt au-
 tem tam pinnata, quam quae coriaceis vtuntur alis,
 sanguinea: quae autem membrana volant, exan-
 guia, vt insecta. Tam ea vero; quae pinnis, quam
 quae corio volant, aut binos pedes habent aut nul-
 los: aiunt enim in terra Aethiopia serpentes eius-
 modi esse. Pinnatum ergo genus auis vocatur: re- 5
 liqua duo genera vnicum nomen, quo appellentur,
 non habent. Quae volant et carent sanguine, eo-
 rum alae partim vagina teguntur; eas siquidem sub
 tegmine habent, veluti scarabaei (melolonthae) pi-
 lularii et canthari. Aliis nullum tegmen est: quo-
 rum quaedam binis alis praedita sunt, quaedam
 quaternis. Quaternas habent alas, aut quae prae-
 stant magnitudine, aut quae postrema in parte ge-
 runt aculeum: binas autem tantum, quae aut mi-
 nora sunt, aut aculeum in anterioribus gerunt par-
 tibus. Quibus vero alae vaginis munitae sunt, ea
 nullum habent aculeum: at quae binis feruntur alis,
 aculeo armatae sunt in parte anteriore, vt musca,
 tabanus, (myops) asilus, culex. (empis.) Quae- 6
 cunque autem carent sanguine, ea sanguineis mi-
 nora sunt, praeter pauca marina; cuiusmodi quae-

dam e molluscis: (haec enim genera istorum maxime capiunt incrementa in locis apricis;) atque in mari potius, quam in terra, itemque aquis dulcibus. Quaecunque autem mouentur, ea aut quaternis mouentur notis, aut etiam pluribus. Quae sunt sanguinea, quaternis tantum: quippe homo binis manibus, binis pedibus. Aues autem tum alis tum pedibus binis. Quadrupedes autem et pisces, illae quidem quaternis pedibus, hi vero quaternis pinnis. Nam quae aut binis tantum praedita pinnis sunt, aut omnino nullas habent, ut serpens, (*marinus*,) ea nihilo minus quaternis mouentur notis. Etenim flexiones quaternae sunt, aut binae cum ipsis pinnis. Exanguium vero quae plures habent pedes, siue volucra sint, siue humi tantum ambulent, notis pluribus mouentur; quale animal est, quod ephemerum (*diurnum*) dicitur: quippe quatuor pedibus alisque totidem. Est autem peculiaris cuiusdam naturae non solum propter vitam, (*diurnam*,) unde et nomen habet; sed etiam propterea, quod et volucre est et quadrupes. Omnia autem tam quadrupeda quam multipeda simili mouentur modo, per diametrum scilicet. Ac reliqua quidem animalia binos pedes quasi duces habent ad ingrediendum; solus cancer quatuor.

C A P. VI. [Scaligero VII.]

Sunt autem genera summa quaedam, quibus animalia reliqua distinguuntur. Sunt vero haec: vnum auium; alterum piscium; tertium cetorum: quae omnia constant sanguine. Est et aliud eorum genus, quae testa conteguntur, quod ostreum appellatur. Item aliud, quod molliori testa operitur, ceterum nomine vno comprehensum non est; quales locustae et cancrorum genera et gammarorum. (astacorum.) Praeterea aliud molluscorum; cuiusmodi lolligines et lollii et sepiae. Postremo insectorum quoque genus est; quae omnia carent sanguine. Tum autem quibus pedes attributi sunt, eos habent multos: quin etiam insectorum nonnulla volucra sunt. Cetera vero animalia nequaquam magnis generibus comprehenduntur: neque enim vna species multas species complectitur, sed aut ipsa simplex est, neque differentias capit, vt homo; aut capit quidem species, sed hae nomine carent. Nam quadrupedes, quae pennas non ha-
 bent, sanguinis omnes quidem sunt participes, sed horum alia animal, alia ouum pariunt. Quae animal pariunt, [non] omnia pilos habent: quae ouum pariunt, squarras habent. Est autem squarra loco similis squammae. Ex iis, quae terrae solo vtuntur ad motum suum, et sanguine praeditus est

serpens, et natura caret pedibus, et squarrosus est. Horum genus vniuersum ouiparum est, praeter viperam: sola namque parit animal. Quae vero animal pariunt, ea non omnia pilos habent: nam et pisces quidam pariunt animal: quaecunque tamen pilos habent, omnia pariunt animal; siquidem in pilorum genere censendi sunt pili ii, qui spinae speciem prae se ferunt: quales erinacei gerunt et hystrices. Pilorum namque vsum praebent,

3 non pedum, vt echinis. In hoc autem quadrupedum genere (*summo*), quod animal parit, multae sane species (*genera media*) continentur, verum (*vno aliquo communi*) nomine carent, sed singula ea per se nominantur, vt de homine diximus, veluti leo, ceruus, equus, canis et cetera ad eundem modum. Nam ea, quae iubata sunt, et iumenta vocamus, vnum quoddam genus habent commune, vt equus, asinus, mulus, ginnus, hinnus: praeterea Syriae mulae, quae propter similitudinem hoc nomine appellantur, sed omnino non sunt eiusdem speciei: siquidem ex concubitu inter se gignuntur. Quare eas species necesse est separatim et capere vnamquamque et earum naturam con-

4 templari. [Caput VIII. Scaligero.] Haec igitur hactenus quasi gustus gratia appositae sint, videlicet, vt, quibus de rebus et quatenus sit tractandum,

intelligeretur: postea vero accuratius de iisdem disseremus; ut primum eas, quae naturam insunt, differentias, easque, quae omnibus contingunt, affectiones accipiamus. Deinde horum causas investigare conabimur. Sic enim effici potest, ut via rationeque docendi utamur naturae congrua, cum notitia singulorum antecesserit. Hinc enim manifesto intelligitur, quibusnam de rebus et ex quibus fieri oporteat demonstrationem. Quibus igitur e 5 partibus animalia ipsa tota constituuntur, eae primum capiendae sunt: propterea quod secundum has inter se et maxime et primum differunt, iis, quibus diximus, modis. Quippe alia habent, alia aut non habent, aut non eodem situ, aut non eodem ordine, aut non eadem specie, aut non eadem quantitate: aut quia earum vice alias gerunt, aut contrariis praeditas qualitatibus. Incipiendum igitur ab hominis partibus est. Nam quemadmodum numos exploramus, unumquemque cum eo conferendo, qui nobis notissimus est: ita hoc in aliis quoque agendum est. Atqui homo inter omnia animalia nobis notissimus est necessario. Ac tametsi sensui ipsi manifestae sunt partes nostrae, tamen ne quid ordinis praetermittatur, (et sane rationem cum sensu coniunctam esse par est;) de his quoque dicemus. Ac primum quidem de or-

ganicis, deinde de iis, quae ex similibus inter se particulis constant.

C A P. VII. (Scaligero IX.)

Maximae igitur partes, in quas vniuersum diuiditur corpus, hae sunt: caput, collum, thorax, brachia duo, crura duo. Thoracem voco alueum illum, qui a collo ad pudenda vsque pertinet. Capitis igitur pars, quae pilis tegi solet, caluaria dicitur. Huius partes duae: anterior, quae post natum hominem generatur, bregma. Omnium enim ossium, quae in corpore sunt, postremum concrescit. Altera pars posterior, occiput. Inter occipitium et bregma, vertex. Sub bregmate cerebrum: occipitium inane est. Caluaria tota rarum os, rotundum, excarni cute amictum. Habet autem suturas, in mulieribus vnam in orbem; in viris ternas, in vnum magna ex parte coeuntes. Viri tamen caput visum est sine sutura. Medullitium autem caluariae, quem diximus verticem, etiam inuolutio capillorum dicitur. Est autem in quibusdam geminum: nam ii biuertices sunt non osse geminato, sed capillorum inuolutione.

C A P. VIII.

Quod caluariae subiacet, solo in homine vultus vocatur: in ceteris animalibus non item; ne-

que enim piscis aut bouis vultum dicimus. Vultus pars frons est: ea et bregmati subest, et oculos interiacet. Hanc si quis nactus fuerit magnam, tardiore ingenio erit: qui paruam, mutabilis: quibus lata fuerit, stupidi: rotunda iracundum indicat.

(Vulgo IX.)

Sub fronte gemina supercilia: quae vbi recta sunt, molles indicant mores: si ad nasum inflectuntur, asperum hominem ostendunt: si ad tempora, irrisorem et dissimulatorem: demissa autem inuidum. Superciliis subiacent oculi duo, quorum partes tam inferiores quam superiores genae dicuntur. Harum oras ambientes pili, palpebrae. Partes interiores, quae humida est, vocatur pupilla, visionis instrumentum: quod eam circumdat, nigrum appellatur, quod extra est, album. Communis autem palpebrae pars tam inferioris quam superioris anguli, duo iuxta nasum, duo iuxta tempora. Qui si longi sunt, nequitiam significant: sin ita sint carnosi, vt pectines, (*alii Codd.* vt miluis,) prope nasum, prauitatis indicia sunt. Omnia igitur animantium genera oculis praedita sunt, praeter ea, quae testa operata sunt, et si quae alia imperfecta. Quae vero animal pariunt, eae omnes quoque, nisi talpa. (*aspalax.*) Verum hanc aliquo modo habere quis censere pos-

sit, omnino vero non habere. Omnino enim nihil videt, neque manifesto apparentes oculos habet. Detrãcta vero pellicula et oculorum sedem inuenies, et nigritiem, quae secundum locum et spatium est a natura ipsis oculis attributa, perinde quasi inchoatos pellicula extrinsecus adnata occupauerit.

(Valgo C. X.)

- 4 Oculorum id quod album diximus, omnibus fere idem; nigrum autem variatur. Nam quibusdam nigrum sane est; aliis autem caesium admodum; quibusdam caprinum; nonnullis fuluum. Hoc et optimorum indicium morum est, et ad videndum acutissimum. [*Libri vulgati hoc de caprinis oculis praedicant.*] Solus autem animalium homo aut potissimum alio atque alio colore oculos praeditos habet: reliquis vnus color, praeterquam equis, quorum aliquibus alter oculus
- 5 caesius est. Oculi quidam magni, quidam parui, quidam modici: hi optimi sunt. Item aut extant valde, aut in profundo, aut medio spatio siti sunt. Ac profundi quidem quouis in genere animalium acutissimi sunt ad videndum. Qui vero media in regione sunt constituti, optimorum notae morum habentur. Praeterea aut nictabundi sunt, aut intenti, aut media inter hos natura. Hi optimae na-

turae sunt argumentum. Reliquorum alteri inconstantiam, alteri impudentiam designant.

C A P. IX. (vulgo C. XI.)

Est praeterea capitis pars, qua audimus, nec spiramus, auris: neque enim Alcmaeonis sententia vera est, qui putavit capras auribus spirare. Eius pars altera caret nomine, altera *λοβός* graece dicitur: ipsa tota (*exterior*) ex cartilagine atque carne constat. Regio intima [inuoluta] cochleis similis est, extremo osse auriculam imitans, in quod tanquam in vltimum vas peruenit sonus. Neque ad cerebrum ab eo meatus vllus, sed in palatum oris: at e cerebro ad ipsum tendit vena. At oculi ad cerebrum pertingunt, et vterque super vena pusilla situs est. Omne animal, quodcunque auriculas habet, eas mouet, praeter hominem. Nam quae audiendi sensu praedita sunt, alia auriculas habent, alia non, sed meatum manifestum. Quo in genere et pennata sunt, et quae cute squarrosa conteguntur. At quaecunque animal pariunt, praeter vitulum marinum et delphinem atque alia cetacea, omnia habent auriculas; si quidem animal pariunt etiam cartilaginea. Ac vitulo quidem manifestus est meatus ad audiendum: delphin vero, tametsi audit, tamen aures nullas habet, (*neque*

meatus manifestos.) Cetera omnia mouent aurem:

- 3 vnus homo habet immobilem. Sitae aures sunt eadem in circumferentia, in qua et oculi, non autem supra, velut in quibusdam quadrupedibus. Aurium aliae glabrae, aliae inter vtramque naturam. Hae ad audiendum ceteris praestant. Morum hinc argumentum nullum habetur. Item aut magnae sunt aut paruae aut mediocres; atque etiam aut surrectae valde, aut nihil, aut mediocriter. Mediocris natura optimos designat mores. Magnae et surrectae stultiloquentiam et multiloquentiam.
- 4 Quod inter oculum, aurem et verticem interiacet, vocatur tempus. Faciei pars nasus est, qua spiritus comreat. Hac enim respiramus atque expiramus: hac praeterea fit sternutatio, quae est exitus spiritus conferti. Hic solus flatuum habetur sacer, atque etiam pro augurio. Verum et respiratio et expiratio, quae fit naribus, in pectus ipsum per tendit ita, vt sine ipso fieri naribus non possit, quia e pectore, non ex vlla parte capitis, procedat respiratio et expiratio per guttur. Potest autem vita etiam sine hac spiratione existere. Fit etiam per hanc partem olfactus, qui odorandi sensus est. Commodè autem mouetur nasus; non vt auris peculiari quadam natura immobilis. Eius partes, cum dissepiens cartilago, tum tubi inanes. Est
- 5

enim nasus bipartitus. Elephantorum nasus cum longus tum validus est, quo etiam pro manu vitur. Namque et ipsum admouet, et eo prehendit, et ad os adducit tam cibum quam potum: id quod vni ipsi tantum contigit. Mandibulae praeterea 6
 duae, quarum pars anterior *γέυελοσ*, (*barbitium*,) posterior *γέυυς*. (*mentum*.) Inferiorem maxillam animalia mouent omnia, excepto aquatili crocodilo, qui superiorem tantum. Post nasum labia duo carne constant bene mobili. Quod intra maxillas ac labia continetur, os est: cuius partes palatum, et fauces, et gustus instrumentum lingua. Sensus autem saporis mucroni potissimum inest; lata pars minus sentit. Sentit autem etiam quae alia caro omnia, durum, calidum, frigidum quaque sui parte, quemadmodum et saporem. Haec 7
 aut lata est, aut angusta, aut mediocris; quae est et optima et explanatissima. Aut soluta aut impedita, qualis blaesorum et balborum. Est autem lingua caro rara et fungosa: huius pars quaedam ligula (epiglottis) est. Post haec quod bipartitum est, tonsillae dicuntur; quod multipartitum, gingiua: carnea haec: intus autem dentes ossei. In recessu autem alia pars vuigera, columella, insidet venae; quae si humore concepto inflammetur, vocatur vua, et suffocat.

CAP. X. (vulgo CAP. XII. Scaligero X.)

Collum dicitur, quod inter faciem et thoracem est: eius anterior pars guttur, posterior gula. Vocatur quoque arteria [anterior] eius pars, quae est cartilaginea, qua et vox et spiratio fit. At gula carnosae, interior loco, spinae appositae. Posterior autem colli pars, cervix.

[CAP. XI. Scaligero.]

Hae sunt usque ad thoracem partes. Porro thoracis aliae anteriores, aliae posteriores. Primum igitur pectus in anteriore parte sub collo est geminis mamillis: in quarum singulis papilla: qua in femellis percolatur lac. Nam mamillae rarae texturae est. Quamquam etiam in maribus lac aliquando gignitur, quibus sane densa caro: at mulieri spongiosa atque plena meatibus.

(Vulgo C. XIII.)

- 2 Post thoracem (*pectus*) venter in anteriori parte: cuius radix umbilicus. Quod radici subest duplex, ilia dicuntur: quod unicum est sub umbilico, aliud: (*abdomen*) cuius pars extrema pubes. Quod supra umbilicum est, hypochondrium dicitur: huic autem et iliis commune cholas. Partes posteriores cinctura disiungit
- 3 lumbus, qui graece *ὄσφυς* dicitur, et nomen inde

habet, quod *ισοφύς* est, id est aequaliter distat. Partis imae ad exitum altera pars est quasi stragulum, nates: altera, in quo vertitur coxa, acetabulum. Feminae peculiaris pars matrix. Masculo penis extat in fine thoracis; cuius partes duae. Summum quidem carne constat semper laeui, et, vt ita dicam, aequali, ac vocatur glans: ea tegitur pelle, cui nomen a Graecis impositum non est. Quae si secretur, non coit; sicuti nec gena nec palpebra. Communis pars huic pelli et glandi acroposthia. (*praeputium*.) Altera pars cartilaginea, facile capiens incrementa: egreditur autem atque ingreditur contra quam in iumentis. Infra penem testes gemini, cute circumtecti, quae scrotum dicitur. Ipsi neque caro neque carnis natura procul. Postea cum hi quemadmodum sese habeant, tum de aliis vniuersis partibus diligenter dicemus. Muliebri genitale contrario modo situm est atque masculi: nam cauum est sub pube; non quemadmodum in masculo extans. Praeterea collum habet a matrice, quasi transitum quempiam masculi semini. Vtrique autem sexui hac humida exeunt excrementa. Communis autem colli ac pectoris pars ingulum: costae et brachii et humeri, ala: feminis et alnei, inguen. Inter coxam et nates pars interior femur, exterior femur. (*hypoglutis*.) [Cap. XII.

- 6 Scaligero.] Thoracis igitur partes quae essent anteriores, diximus: pectoris autem posterior pars dorsum appellatur. Dorsi partes scapulae duae et spina. Infra, quae pars respondet ventri, lumbi. Communes autem tam superiori quam inferiori costae, vtrinque octonae. Nam quod aiunt, quosdam septenis esse costis, qui Ligures appellantur, nullus exploratae fidei auctor est.

C A P. XI. (vulgo XV. Scaligero XIII.)

- Habet autem homo partes superas et inferas: anteriores et posteriores: dextras et sinistras. Dextrae igitur atque sinistrae partes omnes inter se similes fere atque eadem, praeterquam quod sinistrae imbecilliores. At quae ante et pone, inter se dissimilia: item quae supra et infra; quanquam eo similia, quod infera, quae ad pubem sunt, faciei respondent corpulentia aut macritudine. Crura quoque contrario situ sunt atque brachia: praeter ea qui curtis ossibus cubitalibus sunt, ii coxas quoque magna ex parte breues habent: ac quibus sunt
 2 pusilli pedes, manus item paruae. [Caput XIV. Scaligero.] Membrum (*artus*) autem geminum (*geminus*) brachium est: brachii partes humerus, humerale, cubitus, vlna, manus: manus vero vola; digiti quini. Digiti quod plicatile est, nodus:

quod flecti nequit, articulus. Vnico modo pollex
 flectitur, ceteri duobus. Inrorsum flectitur omni-
 bus tam digitus quam brachium: atque hinc qua
 flexus fit, cubitus appellatur. Manus interior car-
 nosa, vola; distincta linea vna aut duabus, totum
 spatium secantibus, indicio vitae longioris: nam
 quibus breuior, iis lineae duae praecisae. Brachii
 manusque articulatio capulus manus dicitur. (Graece
καρπός, *Gazae* brachiale: *Scaliger tentauit et-*
iam manile, iugum, aptationem.) Extrema pars
 manus nervosa est, et nomine caret. [Cap. XV.
 Scaligero.] Membrum (*artus*) bipartitum (*bipar-* 3
titus alter) alterum, crus: cuius pars anceps coxa
 est: quae vero circa sedis locum versatilis, mola
 (*patella*): quae gemino constat osse, tibia. Eius
 pars anterior nomen non habet apud Latinos, graeco
ἀντισημίων: posterior, sura, nervosa venosaque
 carne constans. Quibus cruris venter sursum sub-
 ductus est ad poplitem, ii nates grandiores habent:
 contra, quibus demissus. Extremum ossis maioris
 malleolus, vtraque in tibia geminus. Tibiae pars 4
 multis constans ossibus, pes: huius pars posterior
 calcaneus: anterior autem qua scissa est, digiti
 quini existunt: inferior autem carnosa, Graeci *ste-*
thos id est pectus vocant: supera vero nervosa et
 carens nomine. Digitorum partes tum vnguis, tum

plicatura: vnguis omnibus in summo, plicatura vna omnibus inferioribus. Qui interiorē pedis partem crassam non cauam habent, ita, vt tota planta ingrediantur, versuti. Communes coxae ac tibiae genu et poples.

CAP. XII. (vulgo adhuc XV. Scaligero XVI.)

Mari ac feminae communes partes hae: quae vt positae sunt supra et infra, ante et pone, ad dextram et sinistram, videri fortasse possint notae sensui, cum sunt exteriores. Verum eadem de caussa, quam supra dicebamus, de ipsis item scribendum est; vt scilicet cum ordo absoluatur, tum, illis enumeratis, constet, quae homini ceterisque
 2 animantibus non conueniant. Igitur si cum locis, quos natura supra infraque disposuit, superae inferaeque hominis partes comparentur, inuenias ipsum facile ceteris anteire animalibus. Ita eae ad vniuersi orbis situm atque ordinem accedunt, quemadmodum anteriores quoque et posteriores: item dextrae atque sinistrae. At alia animalia aut eas neutiquam nacta sunt, aut non ita expressas. Ac caput ipsum quidem omnibus impositum corpori suo fuit; solus tamen homo perfectus ad vniuersi
 3 rationem, corpus habet suum. Sustinetur a collo caput: sub collo pectus ante, dorsum pone. Sequuntur illud venter, hoc lumbi; tum autem ge-

nitalia et nates: mox coxa et tibia: postremi pedes sunt. Flectuntur antrorsum etiam crura, quam in partem mouentur quoque ingressu, et pedum cum pars mobilior, tum flexus: at calcaneus pone est: malleolus autem vterque ab latere secundum aurem. Ab vtroque latere tam dextro quam sinistro flexionem exercent introrsum brachia; itaque curuatio eorum atque crurum inter se respondent, praesertim in homine. Sensus autem eorumque instrumenta, oculos, nares, linguam, eandem in partem anteriorem habet: at auditum eiusque instrumentum et aures ipsas tum ab latere statuit natura, tum ad libellam oculorum. Humani oculi minimo interstitio inter se absunt, si magnitudinem contemplare, praeut in aliis animalibus. Est homini sensuum praestantissimus tactus; deinde gustus: ceteris sensibus aliorum animalium pleraque anteunt.

CAP. XIII. (vulgo XVI. Scaligero XVII.)

Quae hominis partes extimae apparent, tum situ tum nominibus vsitatis, eo, quo diximus, modo sic notae sunt. Contra interiores ignotae; quamobrem ad aliorum partes animantium relatas, quibuscum habent naturae affinitatem, contemplari debemus. Principio, quod ad capitis interiora spectat, cerebrum quae habent animalia,

- ea, quemadmodum et homo, in anteriore parte situm obtinent. Habent cerebrum omnia, quae sanguinem habent: adhaec mollusca: ceterum homini pro eius magnitudine inest maximum et humidissimum. Duabus autem membranis continetur, altera validiore, quae circum os est, altera minus valida, quae ipsum ambit. Bipartitum omnibus cerebrum est; eique postremum adiunctum id, quod cerebellum appellant, cum tactu tum aspectu diuersam formam habens. Capitis postrema pars omnibus inanis, et caua pro cuiusque magnitudine. Nam quaecunque rotunda facie sunt, iis caput sane magnum, verum facies pusilla subest: quae vero maxillas praelongas habent, horum caput paruum est; quale iumentis omnibus. Exanguis omnibus cerebrum est, ac ne ullam quidem in se venam habet: tum autem suaapte natura ad tactum frigidum. Habet autem in medio pusillum cauum quoddam, paucis exceptis animalibus. Est autem, qua amicitur cerebrum, membrana venosa, cutis specie. Super cerebrum tenuissima atque infirmissima capitis pars, os est, qui vertex dicitur.
- 4 Tres meatus ab oculo ferunt: eorum minimus, qui proxime nasum est, ad cerebrum: reliqui duo maximus et minimus ad cerebellum. Ac maximi quidem aequali inter se distant spatio, neque coeunt:

mediocres vero in vnum coeunt. Id quod in piscibus apertius agnoscitur: ii namque propiores cerebro sunt, quam magni. Minimi autem plurimum absistunt ab se inuicem, neque coeunt. [Cap. XVIII. Scaligero.] Intra collum et gula est, (quae 5 quod esset oblonga atque angusta, nomen inuenit apud Graecos,) et arteria. Ante gulam autem arteria sita est omnibus animalibus, quibus data est: data est autem omnibus, quibus et pulmo. Est autem arteria cartilaginosa natura, et sanguinis exigui, frequentibus tenuibus circumdata venulis. Ad superam partem os versus posita est e foraminum regione, de naribus ad os pertinentium, qua parte exit ab ore humor per nares, qui inter bibendum eo forte attractus fuerit. Inter haec foramina hunc 6 ad vsum habet ligulam, (epiglottin) vt arteriae ostiolum, quod ad os patet, applicatu suo queat operire. Huic coniuncta postrema linguae pars est: ex altera parte in medium pulmonis descendit sinum: inde in vtramque pulmonis scinditur partem. Solet enim pulmonis natura bipartita esse in omnibus, quibus inest. Ceterum in iis, quae animal pariunt, distantia illa haud aequae manifesta est, ac minimum vero in homine, vt quibusdam animal generantibus, in quo neque multifidus neque laeuis, sed inaequalis. Quae autem oua 7

- pariunt, siue aues sint siue quadrupedes, vtraque pars longe ab altera dissita est adeo, vt duo pulmones esse videantur. Ita vna arteria in duas partita tendit in vtramque pulmonis partem. Venae quoque magnae aequae ei, quae aorta dicitur, coaptatur. Inflata autem arteria, in pulmonis sinus redundat spiritus: qui sinus cartilagineos agnatos habent tubulos, continuo tractu angustiores: a quibus foramina totum vsque per pulmonem ita dissita sunt, vt maiora semper a minoribus excipiantur.
- 8 Cor item vinculis tum pinguibus tum cartilagineis arteriae appensum est, et qua est appensum, cavum est. Vbi arteria inflatur, haud satis constat, in quibusdam animalibus, an cor subeat spiritus: at in maioribus constat. Hunc ad modum se habet arteria, isque vsus vnus eius accipiendi, reddendique spiritus: non ad cibum vel siccum vel humidum comparata; quin, si quid inciderit, angit, donec tussiendo excussum fuerit. [Scaligero Cap:
- 9 XIX.] Gula superne ad os appensa est pone arteriam eique coniuncta, ac dorso membranaceis vinculis; per praecordia ad ventriculum desinit: carnea natura, quaeque in longum et in latum distendi queat. Humanus ventriculus canino persimilis est; paulo ipso intestino maior: quin latioris cuiuspiam intestini speciem praese fert. Sub eo intestinum

est simplex, flexuosum; inde alterum satis latum. At alius inferior suillae similis: nam et ipsa lata est, et quae sub ea pars ad sedem vergit, brevis ac crassa. Omentum autem membrana pinguis est a¹⁰ media pendens aluo, et super intestina expansa; idque etiam in iis animantibus, quae et supra et infra dentes habent, et vnicum tantum obinent ventriculum. Inter intestina mesenterium est, [*membranaceum latumque; quiv etiam pinguescit,*] ex vena magna et aorta aptum; perque ipsum multae frequentesque venae ad intestinorum situm a summo incipientes ad imum vsque pertinent. Haec de gula, gutture, ventre.

C A P. XIV. (vulgo XVII. Scaligero XX.)

Cor autem tres habet sinus: situm est pulmone superius, qua arteria bipartitur. Habet autem membranam pinguem crassamque, qua tum magnae venae tum aortae annexum est: verum aortae prope mucronem; qui mucro pectus versum directus est omnibus animantibus, quae pectus habent. Quin omnibus similiter, cum his, tum iis, quae pectore carent, in anteriorem partem vergit cordis fastigium. Saepe vero latere potest, propterea quod in dissecando concidit. Curua autem pars superne est. Praeterea mucro ipse carnosus admodum at-

- que densus est; at in cauernis illis nerui insunt.
- 2 Ac cetera quidem animalia, quibus pectus est, in eius medio cor situm habent, vnus homo in partem sinisteriorem aliquanto a diuisione mamillarum: quippe laeuam mammam versus pectoris superiora obtinens. Cor neque magnum est neque longum, sed rotundius, ita tamen, vt turbinetur. Igitur, vt supra diximus, sinus habet tres: maximum in parte dextra, minimum in sinistra, in medio mediocrem. Duo minores ambo in pulmonem foraminibus feruntur; id quod in vno apparet manifeste, vbi inferius annectitur.
- 3 Haeret igitur appensumque est venae magnae secus sinum maximum, ad quam venam etiam iacet mesenterium: iuxta vero sinum medium aortae annexum est. Meatus autem, qui a corde in pulmonem ferunt, ii et eodem scinduntur modo, quo arteria, et arteriae fistulas totum per pulmonem assequuntur. Sunt autem in parte cordis superiore. Neque vero vnus communis est, sed inter se coaptati recipiunt spiritum, quem ad cor transmittunt. Alter enim meatuum in dextrum sinum, alter in sinistrum fertur. De magna vero vena deque aorta communi
- 4 commentatione suo loco postea dicemus. Eorum animantium, quae et pulmonem habent, et animal tam intra se quam extra pariunt, nullum membrum

tantum obtinet sanguinis, quantum pulmo: quippe
 et sua natura spongiosus est totus, et magnae venae
 meatus ad singulas fistulas ferunt. Nam qui pu-
 tarunt, inanem ipsum esse, eo falsi sunt, quod
 viderent e dissectis animalibus exemptos pulmones,
 a quibus vniuersus sanguis statim effluerat. Om-
 nium autem membrorum solum cor sanguinem
 continet. Nam pulmo non in se, sed in venis
 habet; at cor in se ipso, quippe intra sinus singu-
 los. Atque is, qui medio in sinu continetur, te-
 nuissimus est. [Cap. XXI. Scaligero.] Pectoris se- 5
 ptum sub pulmone est; quod praecordia appella-
 runt, costis, hypochondriisque ac spinae connexa.
 Cuius quidem tractus medius tenuis ac membrana-
 ceus: ceterum venae quoque per ipsum intentae
 sunt. Hominis vero venae, [praecordia *alii Co-*
dices habent,] si ad corpus spectes, crassae sunt.
 [Cap. XXII. Scaligero.] Sub praecordiis dextra in
 parte iecur, in sinistra lien est aequae omnibus, quae
 his praedita sunt membris. Nam in quibusdam
 quadrupedibus ordinem hunc mutatum esse, ali-
 quando observatum est. Eam vero ad ventris [alui
 inferioris *vulgo est,*] partem appensa sunt, quae
 secundum omentum est. Humanus lien angustus 6
 et longus est, lienis suilli facie. Iecur magna ex
 parte atque in plurimis animalibus sine felle est:

in quibusdam autem habet. Est homini rotundum iecur, ac bubulo simile. Contingit autem etiam in victimis hoc, quale cum in Euboicae Chalcidis agro quodam: carent enim felle pecudes: tum in Naxo; ubi tam grande habent omnes paene quadrupes, ut qui ibi peregrini rem faciunt diuinam, percellantur eo, quod putent ad se priuatim illud quasi ostentum, non quasi naturae institutum, pertinere. Magnae venae iecur annexum est: cum aorta nulla ei coniunctio intercedit. Transmeat enim ipsum vena a maiore illa producta, qua parte iecoris portae appellantur. Atque eodem modo in splenem altera proficiscitur a maiore, qua illi tantum appensus
 7 est. [Cap. XXIII. Scaligero.] Sub his ad spinam renes siti sunt, natura similes bubulis. In omnibus animantibus, quae renes habent, dexter sinistro et altior est et minus pinguis et siccior: id quod aequae in omnibus aliis inuenitur. Ferunt ad eos meatus a magna vena et aorta, non tamen in cauum, quod ipsi habent in medio, aliqui maius, aliqui minus. Soli vitulo marino bubulis quidem similes, ceterum solidissimi sunt. Quos diximus meatus, qui ad ipsos tendunt, in eorum corpus assumuntur: argumentum, quod non penetrent, est, quia neque [viva] sanguinem intus habent, neque [mortuis] coagulatur. Ex eo igitur sinu, quem

pusillum dicebamus, duo tubi multae firmitatis in vesicam tendunt: item alii ex aorta validi et continui. E renum medio venae singulae cauae ac nervosae per angustias spinae tendunt: quae inde in clunes ubi peruenere, non comparent, nisi mox iuxta ipsos iterum distentae. Ceterum hae venae in vesicam desinunt. Postrema enim vesica est appensa tubis, qui de renibus intenduntur ad collum, quod in vrinalem meatum tendit: paene quaquaversum tenuibus ac fibrosis alligata membranulis, quae propemodum similes sint texturae praecordiorum. Est autem humana vesica magna admodum. [Cap. XXIV. Scaligero.] Ad vesicae collum appensum veretrum est, nervosum atque cartilagineosum; duobus meatibus peruium, qui demum coniunguntur et coeunt in vnum foramen externum: quorum hic quidem ad testes, ille ad vesicam tendit. Ex eo dependent testes maribus: de quibus, quemadmodum se habeant, in communi partium commentatione disseretur. Modus idem penitus in feminarum quoque genitalibus, solaque matrice intus differunt: quae, quod ad faciem pertinet, e dissectionum libris et pictura nota esse poterit; quod vero ad situm spectat, iacet illa tum super intestinis tum sub vesica. Ac de matricibus

quoque omnibus communi opera postea dicendum est: neque enim omnibus similes similiterve sitae. Animantium igitur partes tum exteriores tum interiores hae et tales sunt, et hunc ad modum sese habent.

ARISTOTELIS
DE ANIMALIBVS HISTORIAE
LIBER II

CAP. I.

Ceterarum partes animantium aliae communes omnibus sunt, aliae generibus quibusdam peculiare. Hanc vero conueniendi differendiae rationem eo modo intelligimus, qui toties a nobis explicatus est. Quae namque genere diuersa sunt inter se, ea fere partes plurimas inter se specie differentes habent: alia vero proportione tantum conueniunt, genere autem non: alia genere quidem sunt eadem, specie tamen diuersa. Ad haec quae partes cuiuspiam insunt, non omnibus continuo datae sunt. Igitur quadrupedes, quae animal pariunt, capite colloque atque omnibus, quae in capite insunt, particulis praeditae sunt: verum secundum figuram differunt partes inter se. Itaque leonis ceruix nul-

lis vertebris, vnico tantum osse constat: at interiora omnia similia caninis continentur. [Cap. II. Scaligero.] Habent autem quadrupedes omnes, quae animal pariunt, brachiorum loco anteriora crura; potissimum quibus multifidi pedes sunt, iis manuum vice ad pleraque vtuntur. Quin brutorum sinistrae minus sunt absolutae; excepto elephanto, qui digitos quinque numero in pedibus minus habet expressos, et anteriora crura maiora multo; tum in posterioribus breues malleolos. Talem vero tantumque nasum habet, vt ei manuum teneat vicem. Hoc enim tum cibum potumque in os refert, tum insidenti rectori porrigit. Quin arbores extirpat ipsas. Cum per aquas vadit, hoc reflat. Eius summa pars cartilaginosa est; itaque non plicatur, [*digitorum more*] sed incuruatur. Soli homini vtriusque manus aequalis vsus datus est. [Cap. III. Scaligero.] Humano pectori aliquid quod respondeat, sed dissimile, animalia omnia habent. Homini enim latum est, ceteris angustum. Praeterea ei mammae in parte sunt anteriore: at illorum nulli. Nam elephanteus quanquam duas tantum, iuxta pectus potius, quam in pectore tamen habet. [Cap. IV. Scaligero.] Crurum autem plicaturas tam anteriorum quam posteriorum et inter se ipsas et humanis aduersas habent. Quadrupedes

enim, quae animal pariunt, anteriora crura prorsum, posteriora pone flectunt. Itaque curvaturae caua inter se obuersa sunt. Elefantus autem non quemadmodum prodidere, sed et ipse tum subsidet, tum crura flectit. Ceterum nequit super utroque latere simul propter onus; sed reclinatur super sinistram aut super dextram, atque eo habitu quiescit. Flectit autem crura posteriora more hominis. Quae vero oua pariunt, qualis crocodilus et lacertus atque alia eiusmodi, iis omnibus tam priora quam posteriora crura flectuntur retrorsum paulisper in latus inclinata. Similiter et iis, quae multis pedibus gradiuntur; nisi quod vltimorum crurum mediae curvaturae vtram in partem vergant, in ambiguo est, sed ad latus potius curuantur. Homo autem vtrasque artuum inflexiones eandem in partem versas, atque inter se contrarias habet. Namque brachia retro flectit, quanquam paulum extrorsum obliquata: crura antrorsum. At quod animal tam priora quam posteriora antrorsum flectat, inuenias nullum. Omnium humeri contrario plicantur flexu, quam aut cubiti aut anteriora crura. Item suffragines contra quam coxae. Igitur homo cum e contrario flectat atque alia, ipsa quoque, quae membra haec habent, flectunt e contrario. At aues quadrupedum flexionibus similes propemodum

suas habent: quippe bipedes cum sint, crura ipsa
 retro flectunt: in brachiorum vero priorumque
 7 crurum loco alas prorsum curuant. Marinus autem
 vitulus tanquam mutilus quadrupes est. Etenim
 sub armis statim pedes habet manibus similes, vel-
 vt vrsinos: nempe quinque discreti sunt digitis; quo-
 rum singuli ternas habent flexiones, atque vnguem
 non [*omittunt negationem Editt. aliquae.*] ma-
 gnum vnum. Posteriores quoque pedes numero
 quidem et curuatura digitorum, item ipsis vngu-
 bus similes habet prioribus, ceterum figura ad pi-
 8 scium caudas propius accedunt. Animantium, siue
 quatuor siue plures habeant pedes, motus ac status
 per diametrum est. Omnibus autem initium a
 dextra parte est. Tum leo tum camelorum genus
 vtrumque, Bactrianum scilicet atque Arabicum,
 pedatim ambulant: hoc est, quod sinister pes dex-
 trum non antecedit, sed subsequitur.

C A P. II. (vulgo adhuc I.)

Quae homini sunt in parte anteriore, ea in-
 ferne habent quadrupes: quae homini posteriora,
 ea illis superne sunt. Plurima praeterea cautam
 habent: nam vitulo quoque marino pusilla est,
 ceruinae similis. De simiarum vero generibus post-
 ea disceptabitur. [Cap. V. Scaligero.] Quadrupes,

quae animal pariunt, pilosae paene omnes: non,
 qualis homo. Is, excepto capite, quod omnium
 animalium pilosissimum habet, rarum et breuem
 edit pilum. Quae aliorum pilosorum animalium 2
 in caelum spectant partes, (pronae) eae hirtiores
 sunt: contra quae in terram, (supinae,) aut omnino
 glabrae, aut minus villosae. Homo autem e con-
 trario. Ac palpebras homo in vtraque gena habet;
 tum et in alis et in pube pilos. Ceterae animantes
 neque in his locis neque in gena inferiore; sed sub
 ipsam genam et paucos et paucae. Quadrupedum 3
 quae pilo integuntur, aut corpus hirtum est totum;
 qualis sus, vrsus, canis: aut colli partes omnes
 aequae hirtiores, sicuti quae iubatae sunt, quomodo
 leo: aut colli superior tantum pars, quae a capite
 ad armos pertinet. Quo in genere capronata sunt,
 velut equus et mulus, et ex feris cornutis bonassus.
 Habet item equiceruus in summis armis iubam, et
 ea fera, quae pardium appellatur: ac praeterea a
 capite ad armos tenuem vtrumque. Ad haec pecu-
 liaris equiceruo pendet ad guttur barba. Vtrum- 4
 que animal, bonassus et equiceruus, cornigerum
 et bisulcum; nisi quod equicerua cornibus caret.
 Magnitudo ei cerui: nascuntur in Arachotis, sicut
 et feri boues; qui a cicuribus eo differunt modo,
 quo ab apris suae. Niger eis color, robur validum:

nasi tractus subaquilinus, cornua resupinatoria: at equiceruis sunt qualia capreis. (dorcadibus.) Inter quadrupedes elephantus minime hirtus est. Sequuntur autem cum pilosi tum glabri corporis rationem caudae, modo magnitudinem quampiam sortitae sint: nam quibusdam pusillae admodum

5 sunt. [Cap. VI. Scaligero.] Camelis peculiare in dorso gibber est, quo cetera carent animalia. Hoc et inter se differunt. Namque Arabici vnum tantum habent, Bactriani geminum. Habent praeterea inferne gibbum alterum simile superiori, quo reliquum fulcitur corpus, ubi genua summittit. Papillae ei quaternae, quot et vaccis: cauda asininae similis: genitale pone. In vnoquoque crure genu vnum, neque plures plicaturae, ut aiunt quidam: verum tot videntur propterea, quod alio subducta sunt. Similis bubulo talus, sed deformis magis ac

6 pro corporis ratione parvus. Bisulcum est; et superioribus carens dentibus: bisulcum vero hunc ad modum: posteriores pedes ad secundam usque digitorum flexionem, anteriores ad primam usque digitorum flexionem leuiter diuisi in extrema parte in duas partes vel digitos; explet autem fissurarum interualla tale quid, quale et anseribus: pedis planta carnosa, velut vrsis. Itaque in bellorum expeditionibus carbatinis calciant, cum dolore

afficiuntur. [Cap. VII. Scaligero.] Omnes quadru- 7
pedes ossea crura habent, et nervosa, et macra:
omnino vero etiam alia omnia animalia, quibus
pedes sunt, praeter hominem. Natibus quoque
carent illa, qua parte aues etiam sunt strigosiores.
Contra homo prae cetero corpore nates fere habet
carnosissimas, ac praeterea et coxas et tibias: nam
quae sura dicitur, carnosissima est. Quadrupedes quae 8
sanguine concretae sunt et animal pariunt, aliae
multifidos pedes habent, quemadmodum homo et
manus et pedes. Sunt enim quaedam multidigi-
tae, ut leo, canis, panthera. Aliae bifidos, quibus
unguium loco unguulae sunt: qualis ovis, capra,
ceruus, equus fluuiialis. Aliae continuos, ut so-
lipedes, velut equus et mulus. In utroque genere
inuenias suam: namque apud Illyrios et Paeonas
aliisque in locis univiam tantum habet unguulam.
Igitur bisulcae bifidos habent pedes et anteriores
et posteriores, solipedes autem eisdem continuos
habent. Sunt etiam partim cornigerae, partim non. 9
Cornigerarum maxima pars bisulca suapte natura
est, veluti bos, ceruus, capra. Solidungula et
bicornis nulla visa est. At univiam et solidungulae
paucae, ut asinus Indicus. Univiam autem et
bisulca, oryx. Idem asinus Indicus talum quoque
habet solus omnium solidungulorum: nam sues,

cum in genere vtroque recenseantur, ideo talum
 10 foedum habent. At bisulcorum talum habent
 multa: multifidorum nullum, sicuti neque homo.
 Tantum lynx semitalo simile quiddam: tum leo
 anfractuosum, labyrinthi, vt fingunt, modo.
 Quibus talus est, eum omnia posterioribus in cru-
 ribus habent; eumque rectum in suffragine ita, vt
 anterior pars extrorsum, posterior autem introrsum
 spectet: et quae coa dicuntur, intus inter se ob-
 versa: quae appellantur chia, foris: quae antennae
 nominantur, superne. Qui situs ad hunc modum
 omnibus est. Quae vero bisulca sint et iubam ge-
 rant, tum bina habeant cornua in se inflexa, ali-
 qua sunt animalia: qualis bonassus, qui apud
 11 Paeonas atque in terra Maedica gignitur. Sane
 omnes animantes cornigeræ quadrupedes sunt,
 nisi si quid per translationem ac verbi gratia cor-
 nutum dicatur; quemadmodum Thebanis serpen-
 tibus Aegyptii aiunt extare a capite quiddam quasi
 vice cornuum. Cornua vni ceruo tota solida sunt:
 aliis maiore parte caua, ad extremum solida. Caua
 igitur pars e corio nata est: quam subit pars solida
 ex osse enata: qualia bubula sunt. Solus ceruus
 a bimatu quotannis amittit cornua; tum renascun-
 tur. Aliae animantes nisi vi mutilentur, nullae
 amittunt.

CAP. III. (vulgo adhuc I. Scaligero VIII.)

Ceterae animantes cum mammillarum tum eorum membrorum, quae ad veneris usum comparata sunt, rationem non solum inter se diuersam ipsa, sed etiam cum homine si conferantur, habent. Quibusdam enim aut in pectoris parte anteriore aut secundum pectus mammae sitae sunt duae, duaeque papillae, quot et homini, quot et elephanto, quemadmodum supra quoque dictum est. Habet enim elephantus mammas duas ad axillas. Quae etiamnum ipsi feminae perpusillae sunt, si corporis spectes magnitudinem, adeo vero, vt ex obliquo vix oculis deprehendi possint. Vrsa autem quaternas. Quaedam duo habent in feminibus vbera totidemque papillas, vt ouis. Quaedam papillas quaternas, veluti vacca. Nonnullae neque in pectore neque in feminibus, sed in ventre, easque plures, neque omnes aequales; vt canis et sus. Plures igitur mammas aliae: at panthera (pardalis) quatuor, leaena duas; vtraque in ventre. Sunt et camelo duae mammae, papillae quatuor, quemadmodum et vaccae. Quibus est vngula solida, in iis mares papillas habent nullas, nisi si qui matribus similes extiterint: id quod equorum naturae contigit. [Cap. IX. Scaligero.] Maribus genitale 3 membrum quibusdam extat, vt homini et equo et

aliis multis: quibusdam intus conditum est, vt delphino. Quibus extat, alia ipsum in parte habent anteriore, velut ea, quae supra diximus: alia in posteriore. Atque horum partim sunt quae et genitale et testes explicatos habent, velut homo: ad ventrem cum hoc tum illos. Neque vero aequè omnibus explicantur, sed alii plus, alii minus: non enim equo et apro similiter. Elephantus equino simile veretrum habet, sed paruum neque pro corporis ratione. Ceterum testes neutiquam foris in aperto, sed intus circa renes: quo fit, vt coitum celeriter absoluat. At feminae vulua est ea in parte, vbi ouï vbera. Itaque coitus tempore eam sursum attractam foras vertit. Quocirca facilis fit masculo coitus. Illius autem os late admodum patet. Maxima igitur animalium pars genitalia sic pote habet. Nonnulla vero vrinam retrorsum reddunt, vt lynx, camelus, lepus. Ac mares quidem, sicuti dictum est, membra haec aduerso inter se situ habent: femellae autem omnes retro vrinam reddunt. [*Nam et in genere elephantorum femella genitale suum sub feminibus habet, quemadmodum et ceterae.*] Nec eadem omnibus natura veretris: valde enim differunt. Aliis cartilagineum et carnosum, vt homini: atque ea pars, quae carnosae est, non turgescit; quae vero cartilaginea, auge-

scendi facultatem habet. Aliis neruaceum, vt ceruo et camelo: aliis osseum, vt vulpi, lupo, viuerrae, (ictidi) mustelae: nam haec quoque tale habet. [Cap. X. Scaligero.] Adhaec homo, vbi 6 iusto est absolutus incremento, superiores partes inferioribus minores (*breviores*) habet. Reliquae animantes, modo sanguine concretae sint, e contrario: superiores intelligo, quae ab ipso capite ad exitum excrementi vsque pertinent; reliquas autem inferiores. Eorum igitur, quae pedes habent, posteriora crura sunt inferior pars magnitudinis totius: at in iis, quae carent pedibus, caudarum genera omnia, atque alia talia. Atque haec quidem, postquam sua experint incrementa, talia sunt: at inter augescendum diuerso modo sese habent. Homo namque dum adolescit, maiora habet superiora, quam inferiora; vbi vero auctus est, in contrarium mutatur habitum. Itaque solus quoque animalium non eodem incedit modo, cum tener est, et cum adultus. Per initia enim, dum infans est, repit quadrupes. Alia vero per proportionem pro- 7 cessus incrementi faciunt, vt canis. Quaedam primum maiora habent inferiora, quam superiora; tum inter crescendum superiora euadunt maiora: veluti veterinorum genus. His enim quantum est ab vngula ad femur, nihil postea crescit. [Cap. XI.

- 8 Scaligero.] Est quoque dentium discrimen multum in ceteris animantibus, tum si inter se, tum etiam si cum homine comparentur. Nam quae pedibus quatuor praeditae sunt, modo sanguine concretae animal pariant, dentes habent cunctae. Primum igitur quaedam supera inferaque maxilla dentatae sunt, quaedam non: etenim cornigera in altera tantum dentes habent: carent enim primoribus maxillae superioris. At non omnia, quae dentibus istis carent, continuo cornuta sunt: vt camelus. Quaedam exertos habent dentes, vt sues mares:
- 9 quaedam non. Quaedam vero serratos, sicut leo, panthera, (pardalis) canis. Alia aequatos, vt equus et bos. Nam serratos habere dicuntur, qui dentes acutos mutua insertione vtrinque coeuntes habent. Quae cornua et exertos simul gerat dentes, animantem nullam inuenias, neque quae serratos, et illorum alterutrum (*habeat, vel cornu vel dentem exertum.*) Pars tamen maxima primores acutos habet, interiores autem latos. At marinus vitulus vniuersos serratos habet; quippe qui cum natura piscium suam commutet, quorum genera
- 10 paene omnia talia sunt. Quod duplici dentium ordine praeditum sit, nullum horum generum est. Nam si Ctesiae credimus, non deest genus tale. Scribit ille, apud Indos bestiam esse nomine marti-

choram, trina in singulis maxillis dentium serie, leonis modo magnam atque hirtam, pedibusque similibus, hominis tum facie tum auriculis, caesiis oculis, colore cinnabarino, terrestris scorpionis cauda cum aculeo, ac spiculis agnatis missilibus: voce fistulae tubaeque sonum imitari, celeritate nihilo quam ceruum segniorem: feram praeterea esse, atque humana carne vesci solitam. Amittit 11 homo dentes; amittunt cetera animalia, equus, mulus, asinus: verum homo primores tantum; maxillares nullum animal: sus nullum.

[Vulgo C. II.]

Canes an amittant, dubitatum est; quidam negarunt, vllum ipsis mutari: alii caninos tantum abiici. Verum deprehensi sunt mutare, sicut et homo: latuit autem id, propterea quod non prius abiiciunt, quam alii pares illis intus subnascantur. Id quod in aliis quoque animalibus, quae fera sunt, 12 evenire par est, quippe quae dicuntur amittere caninos. Canum aetates pro dentium ratione exploratas habent: iunioribus namque et candidi et acuti, vetulis nigri atque obtusi.

[Vulgo C. III.]

Dentium natura contrario sese habet modo, si equos cum ceteris compares animalibus: illa enim affecta aetate nigriores habent, equus candidiores.

- 13 Latos ab acutis disterminant ii, quos caninos vocant, vtrorumque figurae participes: ima enim in parte lati sunt, in summo acuti. Sunt maribus plures quam femellis, tam in hominibus quam in pecore tum ouium tum caprarum tum porcorum. Nam in aliis nondum obseruatum est. Quibus plures sunt, eorum magnae parti vita longior: quibus pauciores aut rari, breuior.

[Vulgo C. IV.]

- 14 Omnium postremi oriuntur maxillares illi, quos genuinos vocant, vicesimo vitae anno tam viro quam mulieri: quanquam octogenariis feminis aliquot, item viris orti sunt olim in sedibus vltimis maximo cum dolore. Hoc autem, quibus in iuuenta nati non fuerint, euenire solet.

[Vulgo C. V.]

- 15 Elephanto quaterni vtrinque sunt, quibus in farinae modum quasi mola cibum conficit. Praeter hos habet alios duos illos magnos; mas quidem magnos et sursum auersos, femina paruos et contrario situ, quam mas; deorsum enim spectant. Statim natus dentes habet; sed grandes illos nondum conspicuos per initia.

[Vulgo C. VI.]

Linguam vero paruam admodum atque in recessu, vix vt cerni queat.

CAP. IV. (vulgo VII. Scaligero XII.)

Oris quoque magnitudine differunt animalia: aliis hiatus vastus, vt cani et leoni et serratis aliis. Nonnullis paruus, vt homini. Quibusdam mediocris, vt generi suillo. Aegyptius autem equus fluuialis iubam habet instar equi, estque bisulcus, vt bos, et facie simus: habet etiam talum bisulcorum more, et subexertos dentes, caudam suis, equi vocem; magnitudine asinina est, talique crassitudine corii, vt ex eo hastae torquentur. Interiora vero habet similia equo et asino.

CAP. V. (vulgo VIII. Scaligero XIII.)

Inter hominem quadrupedumque genus natura quaedam media, atque vtrique communis est: quales simia, cebus, caniceps. (cynocephalus.) Est autem cebus simia caudata. Caniceps communem cum simia formam habet, nisi quod et maior et robustior est, faciemque habet caninae propiorem. Tum moribus existunt efferatioribus; dentes quoque caninores atque robustiores. Simiae partes, quae caelum spectant, vt pilosae sunt, propterea quod quadrupedum generi adscribuntur, ita quae ad terram deurgunt, quoque; quia hominis speciem referunt. Nam in homine et quadrupedibus hoc contrario se habere modo supra dictum est.

Ceterum simiis crassus pilus ac praedensus vtraque in parte est. Eius vero facies multis modis humanae similis: quippe tum nares tum auriculae, item dentes tam primores quam maxillares sunt prope modum tales, quales et homini. Quinetiam quadrupedes ceterae cum in vtraque gena neutiquam palpebras habeant, ipsa habet, sed tenues admodum: tenuiores vero inferiores atque perpusillas; quibus carent quadrupedes aliae. Et sunt in pectore papillae duae paruarum mammarum. Ad haec hominis brachia, nisi hirta essent: quae etiam sicut et crura hominis modo inflectit: nam et horum et illorum curvaturas inter se habet contrarias. Tum manus, digitos, ungues quasi humanos: verum haec omnia ferinam ad naturam potius vergunt. Suus quidam modus pedibus ac peculiaris: etenim quasi manus quaedam magnae sunt: quippe et digiti in iis, veluti manuum, medio longissimo. Et planta manui similis, volam manus referens; quanquam porrectior ad extremum usque: cuius postremum callosius (durius) est, inepta atque inexplanata calcanei similitudine. Pedum usus et pro manibus et pro pedibus: flectit enim eos manuum modo. Brachium et coxa brevia, si ad vlnae et tibiae magnitudinem referuntur. Umbilicus non prominet, sed durum quiddam ibi in-

venias. Superae partes inferis maiores, quasi si quinarium cum ternario conferas. Hoc autem tum ex quadrupedum natura tum propterea, quod pedes et manibus similes habet, et quasi ex pedum manuumque constitutione compositos. Nam calcanei postrema pedem, ceterae partes manum repraesentant. Habent enim digiti id, quod volam 5 appellamus. Quadrupedis statu et prona plus temporis degit quam erecta: carstque natibus, vt quadrupes; neque caudam habet, quoniam bipes, sed perpusillam omnino illam, et notae tantum gratia. Feminae genitale muliebri specie est: maribus carnina potius quam humana.

[Vulgo C. IX.]

Cebi, sicut diximus, caudati sunt. Vniuerso generi viscera similia humanis. Igitur quae animal pariunt, partes extimas ad hunc habent modum.

C A. P. VI. (vulgo X. Scaligero XIV.)

At quadrupedes, quae oua edunt et sanguine constant, (neque enim vllum terrenum animal concretum sanguine est, quin idem aut quatuor aut nullis pedibus fultum sit,) eae caput habent et collum et dorsum, et quae caelum spectant partes corporis et quae terram: item crura tum anteriora tum posteriora: praeterea aliquid vice pectoris, sic

vti et quadrupedes illae, quae animal pariunt. Plurimae quoque caudam gerunt longiorem, paucae breuem: ceterum omnes multidigitae ac multifidae existunt. Partes etiam sentiendi officio destinatas ac linguam quoque omnes habent, praeter Aegyptium crocodilum: is namque piscium quorundam naturae propior est. Piscibus enim omnino spinea atque inexplicata lingua est. Quidam etiam laeuem atque indiscretum locum habent penitus, vt, nisi labra vehementer diducantur*** Auriculas quoque nullas, sed ad audiendum meatus tantum habent omnia: neque mammas neque genitale neque testiculos manifestos, sed intus: neque pilos, sed omnia corio squarroso teguntur. Omnibus serrati dentes. Fluuiales crocodili suillos habent oculos, dentes magnos et exertos, ungues validos, corium impenetrabile, squarrosum. Sub aqua obscure, extra acutissime vident: maximam igitur diei partem in terra agunt, noctu sub aqua; propterea quod ea tepidior sit, quam (serenus) aer:

C A. P. VII. (vulgo XI.)

Chamaeleontis totum corpus lacerti specie est: costae [*utrinque*] coeunt descendunt vsque ad infimum ventrem, sicut in piscibus. Dorsum quoque piscium modo eminet: facies simillima ei ge-

neri simiarum, quod rostrum prae se fert porcinum. (choeropitheco.) Prolixam valde caudam habet, paulatim extenuatam, atque multum conuolutam, lori modo. Excelsiore statu est a terra, quam lacertus: crurum flexiones, vt illi. Singuli 2 pedes bipartiti eo inter se sunt situ, quo pollex noster ad reliquam manum obuersus est. Harum partium vtraque in digitos quosdam breues aliquatenus discreta; priorum pedum pars interior in tres, exterior in duos; posteriorum interior in duos, exterior in tres: in quibus vnguiculi vnci. Cutis 3 cuiusmodi crocodilo, (*terrestri*) aspera. Oculi in cauo praegrandes ac rotundi: eos operit cutis reliquae similis, modice in medio pertusa, quia visum transmittat: neque vnquam coit ad tegendum. Vertit oculos in orbem transfertque visum, quoquouersus intueri velit. Mutat colorem; vbi inflatur: namque suapte natura niger est nec assimilis crocodilo, sed pallore lacerti, et perinde atque pantherae (*pardalia*) nigrore variatus. Mutatur vero color toto corpore: nam et cum eo oculi quoque atque etiam cauda. Mouetur valde segniter, 4 nihilo sane expeditius quam testudo. Palescit moriens; qui color etiam defuncto durat. Gulae gutturisque situs, qualis et lacerto. Carne caret penitus, praeterquam in capite et maxillis

pauillum carnis, atque etiam circa imam caudae radicem. Sanguinem circum cor atque oculos, partes eas, quae supra cor sunt, et iis in venulis, quae ab illis tendunt, tantum, atque in ipsis quoque exiguum admodum. Paulo supra oculos cerebrum, quibus etiam continuatur. Adempta ab oculis cute continetur intus fulgidum quiddam, tenuis annuli aenei simile. Toto paene corpore distenduntur membranae (*pulmones membranacei*) multae ac validae, longeque quam in ceteris firmiores. Spirat etiam dissectus totus longo post tempore, pauillo etiamnum motu durante cordis; ac praeclare contrahit non solum latera, verum etiam ceteras corporis partes. Lienem, qui quidem videatur, nullum habet. Latet lacertorum more.

C A P. VIII. (vulgo XII. Scaligero XV.)

Aues quoque partes quasdam similes habent iis, quas diximus, animantibus: quippe caput, collum omnes et dorsum, et eas quae terram spectant, quaeque pectoris vicem gerunt. Potissimum autem omnium animalium bipedes sunt, ut homo; quam retrorsum curuant crura quadrupedum modo, quo supra diximus. At manus pedesue anteriores habent nullos, sed alas, peculiare sibi praeter ceteras animantes. Ad haec femur simile coxae,

longum, ad medium vsque subiectum atque affixum ventrem: quod cum solutum est, coxam putes. At coxam habet inter hoc et tibiam, aliam quamdam partem. Vncungues aues et maximas (*crassissimas*) habent coxas et pectus aliis robustius. Auium ² pedes multis vnguibus praediti sunt, sed et multifariam discreti quodam modo omnibus: plurimis namque digiti diuisi sunt. Quae autem natatu victum quaerunt, etsi sunt palmipedes, dearticulatos tamen et seorsum habent digitos. Quae volatu sublimes feruntur, omnibus quaterni digiti; tres in anteriore parte, vnus pone pro calcaneo plurimis. Paucae binos ante, totidem post habent: qualis ea, quam torticollam (*iyngem*) vocant. Paulo maior quam fringilla est, vario colore, peculiari tum digitorum natura, tum lingua, quam serpentum modo ad trientis perfectam longitudinem arbitrato suo intro contrahit. Praeterea cetero corpore immobili collum circumagit in tergum, quemadmodum et angues. Magni ei vngues, et quales colliis; (*picorum generi viridi*;) vox stridula. Peculiare habent os: nam neque labia ipsis sunt ³ neque dentes, sed rostrum. Neque auriculae, neque nares sunt, sed meatus horum sensuum ad odorandum in rostro, ad audiendum in capite. Oculos similiter atque aliae animantes duos sine

palpebris. Conniuent inferiore gena grauiores: nictant ab angulo (*lacrimali*) coeunte membrana omnes: noctuinum genus etiam superiore. Id quod lacerti quoque faciunt aliaque eiusmodi species squarrosa contectae cute. Conniuent enim inferiore omnes: non omnes tamen eo, quo diximus, nictant modo. Praeterea neque squarrosam cutem
 4 neque pilos habent, sed pennas. Pennae autem omnes etiam caulem habent. Pro cauda habent quod Graeci vropygium appellant; ac breue quidem eae, quibus aut crura longa aut pedes palmati sunt. At quibus contrario modo eae sese habent partes, longum. Atque hae ad ventrem contractos in volatu pedes habent: contra quae longum vropygium habent, porrectos. Linguam item omnes, sed diuersam: aliae longam, aliae breuem. Auium quaedam praeter cetera animalia, homine excepto, litteras sono exprimunt; quales potissimum eae sunt, quae latam linguam habent. Ligulam, (epiglottin) quae gurgulioni imposita sit, nulla habet ouipararum; sed apertione atque contractione ita meatum temperant, vt prohibeant, ne quid grauioris in pulmonem demittatur.
 5 Quibusdam etiam calcaria sunt. Vncungues vero simul et calcarigerae nullae. Sunt autem vncungues volucres: calcarigerae, humiles. Praeterea quaedam cristam

habent surrectis constantem pennis: solus gallus peculiarem sibi, quae neque caro sit, neque a natura carnis aliena.

C A P. IX. (vulgo XIII. Scaligero XVI.)

Inter eas, quae aquas incolunt, animantes piscium genus solum ab aliis multarum ambitu formarum distinctum est. Habet enim caput et eas partes, quae caelum spectant: tum eas, quae deorsum vergunt, vbi vēter atque intestina existunt: postremoque corpori caudam continuatam atque indiuisam, alii aliam. Collo carent omnes et brachiis et cruribus. Testes quoque vel extantes vel reconditos habent nullos: ac ne mammas quidem. Ac mammas quidem neque aliud eorum vllum; quae animal non pariunt; neque animal parientia omnia; sed ea tantum, quae intra se, non ex ovo prius genite, verum animal concipiunt statim. Nam quod delphinus animal concipit, idcirco mammas habet duas, non in parte superiore, sed prope genitalia. Quanquam non extant papillae, quemadmodum quadrupedibus, sed quasi riuulos habet duos, vtrinque singulos ab latere; qua lac effluit: quod sugitur ab assectantibus catulis. Id quod a nonnullis palam spectatum est. At pisces, vt dictum est, neque mammas habent, neque ge-

nitalium meatum vllum extus manifestum. Brau-
 chiarum quoque natura peculiaris est eis. Ore
 enim exceptam aquam reddunt illis. Pinnae plu-
 rimis quaternae longis, quales anguillae sunt, bi-
 nae prope branchias. Totidem et mugilum generi,
 quod in Sipharum stagno est: item ei, quae vitta
 (taenia) appellatur. Quidam longorum nullas, vt
 muraena, qui branchias ipsas quoque minus ha-
 3 bent explicatas. Branchiae aliis tectae operculis
 sunt, aliis non, vt cartilagineis omnibus. Quibus
 tectae sunt, eas ab latere habent. At in genere
 cartilagineo quae lata sunt parte inferiore, vt tor-
 pedo, raia: (bato:) longa autem ab lateribus, vt
 mustelacea omnia: rana (*marina*) quanquam a lat-
 teribus, non tamen spinea tegumento, sicut pisces
 ii, qui cartilaginei non sunt, sed cutaceo opertas.
 4 Praeterea aut simplices sunt aut duplices: extrema
 tamen, quae versum corpus est, simplex omnibus.
 Item alii paucas habent, alii multas, aequali ta-
 men vtrinque numero. Vnam ex vtroque latere,
 eamque duplicem, qui paucissimas, vt aper. (ca-
 prus.) Alii vtrinque binas, alteram duplicem, al-
 teram simplicem, vt conger et scarus. Alii qua-
 ternas vtrinque simplices, vt elops, synagris, mu-
 raena, anguilla. Alii quaternas quidem, at duplices
 omnes praeter vltimam, vt turdus, perca, glanis,

cyprinus. Mustelaceum genus vniuersum duplices vtrinque quinas. Gladius octonas item duplices. Atque is numeri in branchiis piscium modus est. Habent et aliud, praeterquam branchiarum, discrimen pisces. Neque enim pedestrium more animalium vivipararum pilis teguntur, neque obducuntur squarrosa cute, quemadmodum ovipararum quadrupedum quaedam: neque pennas habent, sicuti auium genus: sed ipsorum plurimi squammati sunt: pauci asperi: paucissimi laeues. Cartilagineorum quidam asperi sunt, quidam laeues. Congri et anguillae et thumni laeues. Excepto scaro, serratis omnes sunt dentibus iisque acutis. Nonnullis quoque eorum ordine multiplici, atque etiam in lingua. Duratur vero linguam ac spineam, atque adhaerentem adeo, ut nullam aliquando habere videantur. Oris hiatum vastum, eorum quidam; quemadmodum quaedam quadrupedes, quae vivum animal pariunt. Sentiendi instrumenta, velut audiendi atque odorandi, neque ipsa habent, neque eorum meatus conspicuos: exceptis oculis. Oculi quoque carent genis, cum tamen duri non sint. Vniuersum sane piscium genus sanguine concretum est. Eorum aliqui ouunt, aliqui animal pariunt. Squammati omnes oua; cartilaginei animal, praeter ranam.

C A P. X. (vulgo XIV. Scaligero XVII.)

Reliquum est inter animalia sanguine concreta serpentum genus. Est autem vtriusque particeps naturae: maxima etenim pars terrestris est: pauciores ex aquaticis in aquis dulcibus degunt: nam in mari quoque reperiuntur, terrestribus cetera similes praeter caput, quod congris habent propius. Genera (*species*) marinorum multa sunt, et colore omnis generis: in locis valde profundis non gignuntur. Pedibus carent serpentes, quemadmodum
 2 et pisces. Scolopendras quoque saxosis locis mare fert, terrestribus similes, sed paulo minores atque rubicundiores: pluribus item pedibus cruribusque gracilioribus: quae, sicuti de serpentibus diximus,
 3 in profundis locis non proueniunt. Est autem pisciculus saxatilis quidam, quem nonnulli echeneidem nominant; quo vtuntur aliqui tum ad amatoria tum ad lites; inutilis ad vescendum. Non defuere, qui falso ei pedes adscripserint, decepti pinnis, quae pedum prae se ferunt speciem. Tot igitur talesque sunt animalium sanguineorum partes extimae, atque rationes, quibus ipsae inter se differunt.

C A P. XI. (vulgo XV. Scaligero XVIII.)

Nunc vero interiores primo loco in iisdem generibus quonam modo se habeant dicendum est

Hoc enim differunt summa genera ab aliis animalibus, sanguine aut concreta esse aut carere. Sunt autem eiusmodi tum homo, tum eae quadrupedes, quae animal et quae ouum pariunt: item auis et piscis et cetus, et siquid aliud nomine caret, propterea quod nomine non complectatur, sed simplex species in indiuiduis ipsis, vt serpens et crocodilus.

Quadrupedes omnes quaeque animal et quae oua pariunt, item aues, denique quodcunque aeris receptione respirat et exspirat, gulam arteriamque (*asperam*) atque etiam pulmonem habent. Quin etiam tum gulae tam arteriae similem dispositionem: quanquam horum membrorum species inter se sint differentes. Pulmonem autem neque similem, neque simili situ. Quae sanguinea natura concreta sunt, cor habent omnia et septum transuersum, quae praecordia appellant: verum in minutis animalibus propter tenuitatem atque paruitatem id obscurius est. Sed in corde proprium est cuidam bouum speciei, (neque enim omnes boues id habent) os gerere. Atque in equorum quoque corde os est. Non omnia animalia pulmonem habent: non enim piscis nec aliorum quicquam animalium, quae branchias habent. Omnibus quoque iecur inest, quibus et sanguis. At lien maiori tantum parti sanguineorum: eorum autem, quae non animal

sed ouum pariunt, multa exiguum habent, adeo vt sensu percipi paene non possit. Maxima sane auium pars talis est, vt columba, miluus, accipiter, noctua. At aegocephalus (capriceps) omnino non habet. Eadem natura quadrupedum, quae oua pariunt, vt pusillus admodum sit, veluti testudini, lutariae, (emydi) rubetae, (phrynae) lacerto, cro-

5 codilo et ranae. Fel animalia quaedam habent ad hepar, quaedam non habent. Nam in quadrupedum genere, quae animal pariunt, neque ceruus, neque dama, (prox,) neque equus, neque mulus, neque asinus, neque marinus vitulus, neque suum (alii Codices murium) species quaedam. At cerui qui achinae cognominantur, in cauda videntur habere. Quod autem sic autumant, est fellis quidem colore, verum concretius et lieni similis,

6 quod attinet ad partes interiores. Vermes in capite viui habent omnes sub linguae concavitate, circa vertebram, cui commissum caput est; pares iis, qui vel maximi putribus in carnibus enascuntur, ad viginti numero consertos atque complicatos.

Felle igitur, quemadmodum diximus, carent cervi: ceterum eorum intestinum adeo amarum est, vt ne comedere canes quidem velint, nisi ceruus

7 ipse valde pinguis sit. Elephanti autem iecur felle quidem caret, at ea parte dissecta, qua fel inesse

aliis consuevit, fluit felleus humor exiguus, interdum etiam largior. Inter ea quae mare recipiunt, atque pulmonem habent, delphin felle caret: at aues et pisces omnes habent: praeterea ouiparae quadrupedes: denique, vt absoluam, aut plus aut minus. Ceterum pisces ad iecur, vt mustelorum genera, et glanis, squatina, laeuis raia, torpedo: et ex longis anguilla, acus, zygaena. Callionymus autem in iecore vel omnium piscium maximam pro portione. Ceteri ad intestina extentum ab iecore meatibus quibusdam admodum tenuibus. Amia ad intestinum porrectum fel habet pari cum intestini longitudine: saepe vero etiam replicatum. Alii ad intestina partim longius partim propius, vt rana, elops, dentex, (synagris) muraena, gladius, [hirundo et passer: *omittunt meliores Codices.*] Fre- 8
quenter in eodem genere vtrumlibet deprehendas, vt conger alius ad hepar, alius infra appensum habet. Idem modus in auibus quoque est: quaedam enim ad ventrem, aliae ad intestina fel habent, vt columba, coruus, coturnix, hirundo, passer: nonnullae superius ad iecur et ad ventrem, vt capriceps: reliquae ad hepar et ad intestina simul, vt accipiter et miluus.

C A P. XII. (vulgo XVI.)

Renes autem et vesicam quadrupedes omnes

habent, quae scilicet animal pariunt. At ouiparorum nulla: neque enim aut auis aut piscis; praeter vnam quadrupedem testudinem marinam, magnitudine ceteris respondentem membris, similitudine bubulos renes repraesentantem. Sunt enim bubuli quasi e multis renunculis compositi. Habet autem bonassus quoque omnia interiora bubulis similia.

[Vulgo C A P. XVII. Scaligero XIX.]

- 2 Quod vero ad situm pertinet, quae animalia partes hasce obtinent, simili modo dispositas habent. Tum cor in medio, praeterquam homo, cui in sinistrose parte est, quemadmodum supra diximus. Praeterea cordis mucro omnibus prorsum spectat; quanquam aliter in piscibus videri potest. Neque enim ad pectus, sed ad caput et os prostat mucro, et summum eius propendet ad medium, vbi laevae dextraeque branchiae committuntur. Alii quoque ex corde meatus in vnam quamque branchiam protenduntur maiores minoresque, pro corporum portione. Ceterum in magnis piscibus valde crassus tubus est et albus is, qui in summo
- 3 corde est. At gulam pauci piscium nacti sunt; quippe conger et anguilla, sed et hi exiguam. Animantes quae iecur continuum habent, iis in dextra parte totum situm est. At quae statim ab summo fissum obtinent, maior portio in dextra iacet. In

quibusdam enim vtraque pars appensa est, non ipso coniuncta principio: quale inter pisces habent musteli, et leporum genus quoddam, cum alibi tum ad paludem Bolbam, in regione circa oppidum Sycas: eos namque credideris bina habere iecora, propterea, quod fibrae longe coeant: cuiusmodi auium pulmones videmus. Lien quoque omnibus 4 in sinistra parte legibus naturae situs est. [*Tum renes quae habent animantes, eis omnibus aequae iacent.*] Ac fuit quidem cum aperta quadrupede inventus est lien in dextra parte, iecur in sinistra: id quod ostenti loco habitum est. Tendit arteria (*aspera*) omnibus in pulmonem; cuius rei modum postea explicabimus. At in quibus gula est, in iis demittitur ad ventriculum per transversum septum. Neque enim pisces, praeter paucos, quemadmodum diximus, gula praediti sunt, sed illico ori ipsi ventriculus aptus est; atque ob eam causam maioribus piscibus procidit in os ventriculus, cum minores insectantur. Habent quae diximus ventrem 5 omnia, similique situ positum: iacet enim sub praecordiis statim continuatumque intestinum desinit ad cibi exitum, quae pars anus dicitur. Ceterum absimiles ventres habent. Principio cornigeræ quadrupedes, quae animal pariunt, alteraque tantum maxilla dentatae sunt, eiusmodi sinus quater-

nos habent; quae ruminare quoque dicuntur. Ab ore enim incipiens gula ad inferiora tendens iuxta pulmonem, pertransit a praecordiis in ventrem magnum, qui intus aspera atque rugosa est superficie.

- 6 Huic ventriculo, qua parte ei gula applicatur, committitur id quod reticulum dicunt a similitudine: namque extrinsecus ventriculo, intus plicatis reticulis simile est: magnitudine tamen longe minus ventriculo est. Hujus continuatur omasum, intus asperum et plagulis catuum, magnitudine proximum reticulo. Post hunc est, quem Faliscum ventrem latine vocant, omaso quidem minor, sed prolixior, refertus multis sinubus grandibus ac laeuibus. Ab his deinceps iam intestinum est. Quae igitur cornuta dentes altera tantum maxilla gerunt, ad hunc modum ventrem habent. Differunt etiam inter se figura et magnitudine, ac praeterea quod alii ad medium ventrem, alii ad eius latus gula pertinet.
- 7 At vero vtraque dentata maxilla vnicum ventriculum habent, ut homo, sus, canis, versus, leo, lupus. Quin etiam thoes (lupi ceruarii *Gazae*) omnia viscera lupo similia obtinent. Omnia igitur vno ventriculo praedita sunt, a quo intestinum: verum quibusdam maior est, ut suillo pecori et vrsis: tum autem suillus ventriculus modicis laeuibus rugis plagulatus est. Aliis minor est, neque excedens

magnitudine intestinum, vt cani, leoni, homini. Aliorum quoque species ad horum relatae ventriculos differunt: quaedam enim tum maiores, tum minores in genere animalium, suillo, quaedam canino similem habent. Differunt etiam magnitudine et figura et crassitie et tenuitate; ad haec situ gulae, qua committitur ingressa ventriculo. In animantibus, quae altera tantum, et quae vtraque maxilla dentata sunt, diuersa est natura intestinorum magnitudine, crassitudine, replicationibus. Illis maiora omnia, quippe maioribus et ipsis: pauca enim parua sunt: cornigerorum enim, quod omnino exiguum sit, inuenias nullum. Sunt quibusdam appendices intestinorum: neque recta intestina vlli, quod vtraque maxilla dentatum non sit. Elephanti intestinum tam connexum sibi et coalitum est, vt ei quatuor ventriculi esse videantur: huc etiam cibus recipitur: seorsum autem non habet receptaculum. Viscera quoque suillis similia sunt, praeter iecur, quod bubulo maius est quadruplo, sicut et alia. Solus lien longe minor quam pro corporis ratione. Eadem ventriculi ratio natraque intestinorum in quadrupedibus animantibus, quae oua pariunt, vtraque testudine, terrestri marinaque, vtroque crocodilo, lacerta, atque omnibus omnino eiusmodi: simplicem enim habent vnicumque ven-

triculum, partim suillo partim canino similem.

¹⁰ [Cap. XX. Scaligero.] Serpentum genus omni paene ex parte lacertis simile est, ex iis quae humi agitant et oua pariunt, si longitudinem attribuas, pedes adimas. Namque et squarrosa cute opertae sunt, et partes tam superas quam inferas proxima natura habent. Testibus carent tamen; quorum loco meatus duos, quemadmodum et pisces, vnum in locum concurrentes obtinent: tum autem vulvam longam et bifidam: cetera omnia eadem cum lacertis. Ceterum quod viscera et praeangusta et praelonga sint, propter corporis angustiam ac prolixitatem, sensum fallunt figurarum dissimilitudine. Arteria enim valde longa est, sed gula longior.

¹¹ Arteriae initium ad os ita est, vt ei subiacere lingua videatur: verum propterea, quod lingua contrahitur, neque vt in aliis constat, imminere ei arteria videtur. Est lingua serpentum tenuis, longa, nigra, porroque admodum exseritur. Hoc quoque habet in genere atque lacertis peculiare, quod bisulca est in summo; sed fissa magis serpentibus atque vsque ¹² ad pilorum tenuitatem. Vitulo quoque marino lingua fissa est. Serpentis ventriculus intestino assimilis est laxiusculo, canini specie. Tum intestinum longum, tenue vno tenore vsque ad exitum. In gutture cor pusillum oblongum renunculi figura:

quam ob causam fit aliquando, vt credatur mucronem ad pectus non intendi. Praeterea pulmo simplex fibraceo meatu directus, longus valde, valdeque procul appensus a corde. Iecur longum et simplex: lien longus et teres, qualis in lacertis: fel quemadmodum in piscibus. Hydri namque ad iecur habent: magna aliorum pars ad intestina. Serpentum generi vniuerso serrati sunt dentes; costae tot, quot in mense dies, triginta scilicet. Nonnulli memoriae prodiderunt, communi natura eis atque hirupdinis pullis esse comparatum, vt expuncti oculi renascantur. Nam tum lacertorum tum serpentum caudae abscissae redintegrantur. [Cap. XXI. Scaligero.] Similis est et in piscibus 13 ventriculi atque intestinorum natura. Vnum quippe habent ac simplicem, figura tantum diuersum. Quibusdam namque alterius formae [*alii Codices* intestini forma] est, vt scaro, quem solum ex piscibus putant ruminare. Intestinum quoque, quantum quantum est, simplex est atque implicatum, quod replicatum in vnum resolui potest. Piscibus auiumque parti maximae peculiaris appendicium natura est: verum auibus inferne et paucae; piscibus [*plures ac*] superne circa ventriculum. Item quibusdam multae, vt gobio, mustelo, percae, scorpio, citharo, mullo, scaro (*alii Codices* sparo):

sed mugili altera ex parte ventriculi multae, altera vna tantum. Quibusdam paucae, vt iecorino (hepato) et glauco et auratae. Differunt autem et inter se eodem in genere. Aurata enim alia plures, alia pauciores habet. Sunt etiam genera, quae omnino his careant, vt maxima cartilagineorum pars. Ceteri partim paucas, partim multas habent appendices; iuxta ventriculum omnes. [Cap. XXII.

14 Scaligero.] Auium interiora et inter se et ab aliis differunt animalibus: quibusdam namque praeiacet ventriculo ingluuies, vt gallo, palumbae, (phassae) columbae, perdici. Est autem ingluuies corium cauum amplumque, in quod receptus tibus per initia incoctus est. Illico ab gula angustius, deinde laxius, tum autem, qua ad ventriculum demittitur, rursum arctius. Plurimae auium ventriculorum carnosum atque compactum habent, pelle interiore robusta, quae a carnosa separari atque auferri potest. Quaedam, quae ingluuie carent, eius vice habent gulam capacem ac latam, aut totam, aut qua iungitur ventriculo: quales monedulae, corui, cornices. In coturnice gulae ima pars latior est: capaciuscula quoque in capricipite; item noctuae. Anas, anser, gavia, (larus,) mergula, (catarractes,) tarda, gulam amplam et latam totam, quemadmodum multae aues aliae. Aliis

16

ventriculi pars ingluuiei similis est, vt tinnunculo. (cenchreidi.) Sunt quae neque gulam neque ingluuiem amplam, sed ventriculum longum habent: quale genus auicularum hirundo et passer. Paucae, quibus neque ingluuies neque gula ampla est, sed valde longa: sane quibus collum item longum est, qualis porphyrio. Hae fere liquidius prae ceteris excrementum deiciunt. Coturnici peculiare praeter 17 ceteras ingluuies simul, et prae ventre gula ampla latitudine. Tum ingluuies ab gulae parte, quae ventris est, multum distat pro magnitudine. Sunt auium plurimae tenui intestino, eodemque simplici, si explicetur. Appendices auibus sunt, quemadmodum diximus, paucae, neque superne, vt piscibus, sed in ima parte ad extrema intestini. Non omnibus tamen sunt, sed maximae parti. Talis est gallus, perdix, anas, nycticorax, [localus *meliores Codices omittunt,*] ascalaphus, anser, olor, [*Codices duo eyclaminus habent,*] tarda, noctua. Easdem etiam in minuscularum genere auicularum inuenias, sed admodum pusillas, vt in passere.

CAP. XIII. (vulgo Libri III. CAP. I.)

De interioribus partibus deque earum numero, qualitatibus, mutuisque differentiis hactenus. Reliquum est, vt de iis, quae ad animantium gene-

rationem pertinent, disseramus. Hae enim feminis omnibus insunt: in maribus autem compluribus iisque diuersis constant rationibus. Quae enim sanguine constant animalia, partim testibus carent, partim habent, sed intus. Atque horum quidem aliis siti sunt ad lumbos circa renum regionem, aliis vero ad ventrem. Partim habent extra. Atque his quidem genitale partim ventri appensum cohaeret, partim demissum est, quemadmodum et testes. Quin alio modo iis, quae antrorsum, et alio iis, quae retrorsum vrinam reddunt, cohaeret ventri. Piscium igitur nulli testes, neque si quid praeterea branchiis praeditum est. caret quoque serpentum genus vniuersum. Omnino vero animantes omnes, quibus a natura pedes dati non sunt, nisi si qua animal in se ipsis concipiunt. Aues autem testibus praeditae sunt, sed eos intus ad lumbos habent: quemadmodum et quadrupedes ova parientes, lacerta, testudo, crocodilus: et inter eas, quae animal pariunt, erinaceus. Quibus testes intus sunt, iis ventri haerent, vt inter ea, quae pedibus carent, delphino, inter quadrupedes, quae animal pariunt, elephanto. Aliis in aperto sunt. At quo modo, quoque loco siue ad ventrem siue prope eum appensi sint, iam dictum est. Quibusdam enim pone continenter haerent, non pendent, quemadmodum

snillo generi: aliis penduli sunt, vt homini. Pisces 3
 igitur atque serpentes, quemadmodum supra di-
 ctum est, testibus carent; sed praecordiis appen-
 sos ad latus vtrumque dorsi, ad excrementi vsque
 exitum de superiore loco inter se in vnum commis-
 sos meatus habent duos. Intellego locum superio-
 rem eum, qui spinae adiacet. Ii meatus coitus
 tempore genitali semine turgent, vnde candida ge-
 nitura attritu eliciatur. Eorum autem diuersam na-
 turam tum ex dissectionum ratione contemplari
 oportet, tum a nobis dicetur, cum quid cuique natura
 peculiariter comparatum sit, sigillatim exactius
 disseremus. Ouiparis animantibus, siue bipedibus 4
 siue quadrupedibus, omnibus ad lumbos sub septo
 siti sunt testes; aliis candidiores, aliis pallidiores,
 tenuibus admodum ambitu venulis: quorum ab
 vtroque singuli meatus in vnum coeunt, quemad-
 modum et piscibus, supra exitum excrementi. Id
 vero genitale est; quod in minusculis non apparet:
 in maioribus, cuiusmodi anseres atque aliae similis
 magnitudinis sunt, manifestius extat, cum recens
 inierint. Meatus autem tam his quam piscibus ab 5
 natura annexi sunt in lumbis sub ventre et intestinis,
 inter venam magnam: de qua intenduntur meatus
 ad vtrumque testium. Quemadmodum autem pi-
 scibus coitus tempore et semen inest, et meatus

- conspicui valde sunt, post id vero tempus etiam meatus ipsi interdum nulli apparent; sic auium quoque testibus vsu venit. Nam antequam coeant, partim earum exiguos, partim omnino minime manifestos habent. Cum autem coeunt, valde magnos obtinent. Planissime autem hoc in palumbis atque perdicibus deprehendas. Quamobrem ne vlllos quidem esse per hiemem ipsis quidam sunt arbitrati.
- 6 Quibus testes in anteriori parte siti sunt, horum nonnullis haerent intus ventri, vt delphino; aliis extra ad extremum ventrem palam. Atque his sane cum cetera conueniant, tum hoc differunt, quod illis per se ipsi haerent testes, in iis autem, quibus
- 7 extra sunt, sibi scroto continentur. In omni genere animantium, quae humi agitant atque animal pariunt, sic testes sunt constituti. Meatus venarum specie ab aorta ad vtriusque testis caput tendunt: tum alteri duo ab renibus; sed sanguinem hi continent, illi de aorta nullum. A testis capite meatus est illo densior atque nervosior, qui testi ipsi adhaeret, atque vtroque in teste reciprocatur rursus ad caput: a quo capite vterque in vnum coit prorsum
- 8 ad genitale. Atque ii meatus, quos reciprocare diximus, et ii qui testibus applicantur, eadem membrana ambiuntur, adeo, vt nisi membranam disiungas, vnus meatus esse videatur. Is meatus,

quem applicatum diximus, etiamnum sanguinolentum continet humorem, licet minus, quam ii, qui aorta demittuntur: vt in iis, quos reciprocare ad tubum genitalis indicauimus, candidus humor continetur. A vesica quoque meatus dirigitur coitque ad superiorem tubi partem: circa quem quasi putamen est, quod vocamus genitale. Perspiciatur sane meatum horum ratio ex subiecta pictura sic: Initium de aorta ibi, vbi est A: testium capita atque ipsi meatus descendentes eo, vbi est B: meatus qui ab ipsis applicantur testibus, vbi sunt CC: meatus reciproci, quibus humor candidus continetur, vbi sunt DD: genitale, vbi est E: vesica, vbi est F: testes, vbi sunt GG. Exectis ablatisque testibus retrahuntur sursum meatus. Testes aut corrumpuntur tenelli, dum franguntur; aut etiam firmiore aetate exsecantur. Euenit aliquando, vt taurus castratus illico admissus et inierit et impleuerit. [Lib. III. Cap. II. Scaligero.] Haec de animalium testibus. Quae autem vteros habent, eos non solum non eodem sitos modo, sed etiam diuersos nactae sunt; et tam in iis, quae animal, quam in iis, quae oua pariunt, inter se differunt. Qui vteri ad genitale positi sunt, ii geminos sinus habent, alterum in dextra, alterum in laeva parte: ceterum principio vno, vnoque ore constant quasi ceruice, ea-

que carnosae valde atque cartilaginosae maximae parti earum, quae notabili sunt magnitudine. Eorum partes aliae vocantur matrix atque vteri; unde fratres vterini quoque dicti sunt: aliae vulvae, cervix
 11 ipsa scilicet atque os vterorum. Tam bipedes quam quadrupedes, quae animal pariunt, omnes infra praecordia vteros habent, homo, canis, sus, equus, bos; et cornigeris omnibus ratio eadem. Vterorum extrema, quae cornua vocantur, maxima pars convoluta habet. Quae vero ova edunt, non omnibus ratio eadem; sed aves ad septum transversum, pisces infra obtinent, quemadmodum bipedes quadrupedesque quae animal pariunt, nisi quod tenues sunt illis et membranaceae atque oblongae. Quamobrem in piscibus minutis utraque vteri pars unum ovum esse videtur. Nam omnes hi pisces, quorum ovum esse dicitur arenosum, duo ova habent: at enim unum non est, sed numerosum; ideoque in
 12 multa soluitur. Avium matrix infra habet cervicem carnosam atque compactam: at quae pars septo adhaeret, membrana tenui admodum constat, ut putare possis, extra matricem ova sita esse. Verum in grandioribus avibus cum percipitur facilius sensu membrana, tum vero, si per cervicem insuffles, tumet et sinuatur: at in minutis obscuriora omnia haec. Eadem ratio et in oviparis quadrupedibus, testu-

dine, lacerta, rana atque eiusmodi. Cervix ima in parte singularis et carnosiuscula, diuisio autem et oua superne ad septum. Animalia autem pedibus¹³ carentia, quae ex ouo intra se concepto animal edunt, cuiusmodi musteli et reliqua quae cartilaginea vocantur, (ea scilicet, quae pedes non habent, et branchias habent et animal pariunt,) geminam diuiso sinu matricem obtinent: haec eodem quo in auihus situ ab ima parte orta ad septum transuersum tendit: tum ibi media inter duos sinus suprema in parte ad originem septi oua generantur, quae postea in ampliorem demissa regionem euadunt animalia. Quemadmodum vero tum inter¹⁴ sese tum ab aliis piscibus differant horum, vteri, exactius in figuris, quae ex dissectis corporibus comparantur, contemplari possis. Serpentum genus et ab his et inter se differt. Nam cum alia genera oua pariant, sola vipera (echis) ex ouo, quod intra sese prius conceperit, postea parit animal. Qua de caussa earum vterus et cartilagineorum similes sunt. Serpentum matrix pro corporis modo longa, [*et duplex*] exorsa infra vno continua meatu ex vtroque spinae latere specie gemini meatus vsque sub septum ipsum tenditur; atque in ea oua seriatim conformata, nec singulatim; sed inter se cohaerentia eduntur. [*Quae animal intra se con-*¹⁵

ceptum pariunt, matricem habent supra ad ventrem; ouipara infra ad lumbos. At quae ex ovo intra se concepto animal edunt, utramque naturam sortitae sunt. In his namque matricis inferior pars ad lumbos est, ubi ova insunt; pars altera ad exitum supra intestina sita est.] Est et aliud matricum discrimen. Nam cornigera altera tantum dentata maxilla acetabula in matricibus habent, cum praegnantia sunt: ac praeter haec inter illa, quae utraque dentata sunt maxilla, lepus, mus, vespertilio. Alia autem utraque dentata, quae animal pariunt et pedibus praedita sunt, omnia laeuem habent vterum; neque foetus per acetabula sed ipsam matricem annexus est. Hactenus de partibus animalium, quae dissimilibus inter se particulis constant, tam interioribus quam exterioribus.

A R I S T O T E L I S
DE ANIMALIBVS HISTORIAE
LIBER III.

CAP. I. (vulgo CAP. II. Scaligero III.)

Partium autem e consimilibus particulis constantium communis maxime animalibus omnibus sanguine praeditis sanguis est, atque ea pars, in qua ipse suapte natura continetur; quae vena vocatur: deinde si qua horum vices gerunt, vt sanies (cruor) et fibrae: item caro, quippe quae maxima ex parte sane animalis corpus est ipsum, et quod carnis vicem in singulis gerit: et os eiusque vicaria pars, vt spina et cartilago: praeterea cutis, membrana, nerui, pili, ungues, et quae horum sequuntur rationem: adhaec adeps, seuum: tum excrementa, vt stercus, pituita, bilis flava et nigra. Cum igitur sanguinis venarumque natura videatur obtinere principii vicem, primum de his dicendum est;

praesertim cum prisci auctores aliquot minus vera prodiderint. Ac sane hoc vt ignorarent, fecit obscura rei difficultas. Nam potissimae cuiusque venae natura latet in corporibus vita functis, propterea quod eae praeter ceteras exeunte sanguine subsidunt illico: quippe ab illis tanquam de vase effunditur vniuersus. Neque enim vlla animalis pars per se ipsam sanguinem possidet; tantummodo quiddam in corde pusillum efficit, ne omnis in venis contineatur. At in viuentibus quemadmodum insit, nullo deprehendi pacto potest, idcirco, quia eius natura abdita est. Quare qui in dissectis cadaueribus scrutati sunt, maxima principia non sunt assecuti. Qui autem in hominibus macie attenuatis vehementer, venarum origines ex

3 illis, quae tunc apparebant, determinarunt. Syennesis quidem, medicus Cyprius, sic scripsit: Grassae venae ita a natura constitutae sunt. Ab oculo prope cilium [ab vmbilico circa lumbos *Codices quidam*] per dorsum, iuxta pulmonem sub mammillas; dextra in laeuam, laeua in dextram: sinistra per iecur in renem et testem: dextra in lienem et

4 renem et testem, atque inde in genitale. Diogenes autem Apolloniata haec scripsit: Venae in homine sic habent. Duae maximae tendunt per ventrem iuxta dorsi spinam, altera laeuorsum, altera dex-

trorsum ad sibi propinquum vtraque crura, et sursum ad caput per iugulum iuxta clauiculas. Ab his vniuersum per corpus ad suum quaeque latera venae ducuntur. Duae maximae ad cor circa dorsi spinam: alterae paulo altius per pectus sub axillam, vtraque ad manum proximam sibi. Altera lienaris dicitur, altera iecoraria. Earum summitates scinduntur ita, vt partim ad pollicem, partim ad palmam (tarsum) prodeant: atque inde tenues frequentibus ramis in reliquam manum ac digitos. Aliae autem tenuiores a primis venis tendunt a dextra in iecur, a laeva in lienem ac renes. Quae vero ad crura pertinent, finduntur ad coagmentum, (iuncturam,) ac per totam coxam intenduntur: quarum maxima pone coxam crassior extat: altera, paulo minus crassa, interiore coxae parte. Deinde, quemadmodum illae in manus, ita hae praeteruectae genu, in tibias, atque inde in plantam, (tarsum,) postremo in digitos diducuntur. Multae aliae tenues venae ab illis in ventrem ac costas diffinduntur. Quae autem caput per iugulum petunt, apparent in collo magnae, et prope aures, qua terminantur. Multae ab ipsis in caput scinduntur, et dextrae in sinistram, et sinistrae in dextram. Est et altera vena prope maiorem, sed paulo ea minor in vtroque cervicis latere; in quam plurimae a ca-

pite contendunt ipso, atque hae iugulum subeunt. Inde ab vtraque sub scapulam atque in manus tendunt. Apparent etiam prope lienarem et iecorariam aliae paulo minores, quas si seces, operae pretium est, cum quid morbi sub cute est: at in ventriculi aegritudinibus iecorariam et lienarem. Ab illis aliae etiam in mammas vergunt: aliae ab vtraque tenues per spinalem medullam in testes: aliae sub cute per carnem in renes; quae in viro testibus, in femina vteris terminantur. Quae venae primae a ventriculo veniunt, latiores sunt: deinde attenuantur, donec commutent sedem, vt a dextra sinistrorsum, atque indidem in dextram. Hae seminales appellantur. Sanguis crassissimus a partibus carniformibus exugitur: qui vero in haec redundat loca, tenuis et calidus et spumosis fit. Haec igitur Syennesis et Diogenes tradiderunt. Polybus autem sic: Venarum iuga [genera *alii Codices*] quatuor sunt: vnum pone caput per collum extrinsecus, iuxta dorsum hinc atque hinc, ad nates vsque et crura: deinde per tibiae ad malleoli exteriorem partem et ad pedes. Quare in doloribus dorsi et coxendicum de poplitibus ac malleolis extimis venas secant. Aliae venae a capite prope aures per collum, quae nominantur iugulares: intus per dorsum vtraeque porrectae in testes ac femora per lumbos, et per

interiorem poplitis partem ad crura et malleolos interiores ad pedes: de quibus idcirco mittunt sanguinem in poplite atque malleolo, cum lumbi et testes male habent. Tertium par venarum a temporibus per ceruices sub scapulis in pulmonem deueniunt, dextrae sinistrorsum sub mammam, et in lienem ac renem; sinistrae dextrorsum a pulmone sub mammam et iecur et renem. Ambarum finis in teste [ano *meliores Codices*] est. Quartus ordo ab anteriore capitis parte atque oculis sub collum et clauiculas, et inde per brachiorum summa loca ad cubitos: postea per vlnas ad manus commissuram et digitos; et per deuexam brachii partem sub axillas; ac per costas superne, vsque dum altera ad lienem, altera ad iecur demittatur, tandemque ambae super ventre desinant ad genitale.

CAP. II. (Textus et vulgo III. Scaligero IV.)

Haec fere sunt, quae ab aliis accepimus. Sunt vero nonnulli, qui, cum de natura scriberent, ad venarum tamen naturam diligentius explicandam animum suum minime appulerunt: verum omnes similiter cum in capite atque cerebro venarum statuunt initia, non recte sentiunt. Quamuis autem sit, vt antea diximus, difficilis inspectio et contemplatio, tamen si quis operam velit impendere, satis

percipere potest in corporibus, quae antea fuerint in maciem attenuata et necata suffocatione. At venarum natura sic sese habet. Duae in pectore venae intus apud spinam sitae sunt; altera in anteriore parte maior, altera pone illam minor. Maior dexterioris sedis plus occupat, minor sinisterioris: cuius partes nervosae cum etiamnum in cadaueribus
 2 perspicerentur, aortam appellarunt. Vtriusque principium a corde est. Nam vbiunque per alia viscera tendunt, totae transeunt, nec mutantur, sed toto tractu continuo venarum naturam seruant. At cor quasi earum pars est, ac certius maioris eius, quae in sede est anteriore, quoniam supra infraque hae venae sitae sunt, in medio earum existente corde. Habent corda omnia intra se sinus; sed in minoribus animalibus maximus sinus vix percipitur; in mediocribus etiam alter; in maximis vniuersi tres. Cordis mucro anteriorem in partem prostat, quemadmodum diximus supra. At maximus sinus suprema in parte cordis dextera, minimus in sinistra, mediocris inter vtrumque: at
 3 ambo ii longe minores maximo sunt. Ac per vno aditu pulmoni committuntur omnes: in vno tantum id deprehendas; in aliis propter meatuum paruitatem non item. Igitur magna vena de maximo sinu illo, quem diximus esse suprema in parte dex-

teriore, pendet: mox per medium sinum intenditur rursus, quasi eius pars sinus ille sit, in quo stagnat sanguis. At aorta a medio quidem sinu, verum non eodem modo, quo vena. Namque magna eius pars angustiolem fistulam occupat: praeterea vena per cor, atque a corde in aortam sese induit. Magna vena membrana cuteque compacta est: aorta cum angustior, tum neruosior: et porro distenta et ad caput et ad membra inferiora, vbi et strictior et neruosa omnino euadit. A 4
 superiore cordis parte venae magnae portio magna ipsa quoque vnoque tenore ad pulmonem scandit: quo loco aorta quoque committitur. Tum inde scinditur bifariam ita, vt partim pulmonem subeat, partim ad spinam postremamque colli vertebram adeat. Cum igitur pulmo bipartitus sit, quae in eum sese dat vena, bifariam quoque scinditur primum; deinde omnibus fistulis omnibusque occurrat foraminibus vnus cuiusque aequans magnitudinem aut paruitatem; adeo vt nullam partem deprehendas, in qua tum foramen tum venula non sit: quanquam extrema propter exiguitatem sensum fugiant, totusque pulmo videatur esse plenus sanguinis. His autem meatibus, qui a vena diducuntur, subsunt fistulae, quae ab arteria tendunt. 5
 Quae vero ad spinam et colli tendit vertebram,

rursus per spinam porrigitur: de quo in suo pœmate Homerus ita scripsit: *totam venam abscidit, quae per spinam currens continuo tractu ad cervicem peruenit.* Ab ea ad costas singulas singulasque vertebrae pusillae venae deducuntur: bifariam autem scinditur ad vertebrae, quae ad renes pertinet. Maioris venae portiones sic partiuntur. At superiori in parte, ea quae a corde tenditur, tota in duo diuiditur loca: etenim ad latera et claviculas, atque inde per axillas hominibus in brachia, quadrupedibus in crura anteriora, auibus in alas, piscibus in pinnas pronas (superiores) contendunt. Hae venae quae ramescere incipiunt primum, vocantur iugulares; sed ubi de magna vena partitae subeunt collum, iuxta pulmonis arteriam tendunt. Has interdum si quis extrinsecus intercipiat, concidunt homines, sensu priuati genisque clausis, etiamsi non vehementius angas, vt suffocentur. Sic vero tendentes atque in medio sui recepta arteria feruntur vsque ad aures, qua maxillae capiti commissae sunt. Tum vero ab eo loco rursus quadripartitae sunt: quarum vna reflexa per collum atque humerum descendit, et coniungitur cum priore venae ramo ad brachii curuaturam: altera autem pars in manu ad digitos terminatur. Altera ab utroque aurium loco in cere-

brum tendit, atque ibi in membrana, qua cerebrum amictum est, (meninga Graeci vocant) in paruas et minutas venas spargitur. Ipsum vero cerebrum 8 omnibus sanguinis expers est, neque tantillum venae cuiusquam recipit. Ab hac vena reliqui proficiscuntur rami: alii caput circumplectuntur; alii tenuibus venulis ad loca sensibus destinata atque ad dentes ipsos desinunt. Idem ramorum modus minoris quoque venae, quam aortam appellamus. Maioris enim venae ramos comitantur; verum tubuli et venulae minores sunt. Quae supra cor venae sunt, sic se habent.

CAP. III. (Textus et vulgo IV. Scaligero adhuc CAP. IV.)

At infra cor maioris venae pars suspensa transeat septum transversum, haeretque tum aortae tum spinae tubulis membranaceis atque laxis. Hinc fertur ad iecur vna brevis, sed lata; a qua multae minutaeque in iecur intentae venae occultantur. Ab hac per iecur tendente vera duo rami proficiscuntur; quorum alter in transversum septum seu quae dicuntur praecordia desinit: alter rursus reversus per axillam ad brachium dextrum concurrat cum aliis venis, secundum curvaturae partem anteriorem. Quare hunc secantibus medicis certi ic-

2 coris morbi soluuntur. Ab laeua eius parte brevis vena sed crassa ad lienem pergit, quo in loco exiguae venae, in quas illa spargitur, occultantur. Altera pars eodem modo de latere sinistro magnae venae exiens ad sinistrum adscendit brachium. Sed illa eadem est, quae ad iecur vadit; haec diuersa ab ea, quae lienem subit. Sunt aliae quoque a vena magna proficiscentes: quippe quaedam in omentum, quaedam in membrum, quod pancreas Graeci vocant. Tum ab hac multae venae per intestinale (mesenterium) sparguntur. Eae vero omnes in vnam venam magnam desinunt, quae iuxta totum intestinum ac ventriculum ad gulam vsque porrigitur. Atque circa membra haec multae mittuntur ab his venae. Vtraque igitur vena, 3 tam magna quam aorta, ad renes vsque perpetuo tenore progreditur: ibi vero spinae magis adhaerescunt, findunturque bipartito velut in litteram lambda aut V inuersam; sed vena maior pone aortam aliquanto recessu redacta est. Adhaerescit aorta minutis venulis nervosis spinae potissimum 4 circa cor. Est aorta, vbi de corde deducitur, bene valde capax; at inde progressa tum angustior tum nervosior. Ab aorta quoque veniunt ad intestinale (mesenterium) venae, sicut a vena maiore, quanquam longe minores; quippe angustae et fibris

similiores; tenuibus enim et variis fibraceisque venis terminantur. Neque ad iecur nèque ad lienem ab aorta vlla vena pertinet. Venae vtriusque rami vtrumque femur subeunt, atque in os ipsum induunt sese. Ad renes quoque de vena magna deque aorta feruntur venae, quae, vt eorum caua non subeunt, ita in ipsorum renum corpus absumentur. Ceterum ab aorta duo alii meatus robusti 5 atque continui in vesicam demittuntur: item alii ex renum cauo nihil habentes cum magna vena commercii. Ex vtriusque renum medio vena caua atque neruosa demittitur secundum spinam per venas deducta. Eae primum vtramque in natem subeunt, deinde rursus extare perspiciuntur iuxta nates extantae. Fines earum desinunt in vesicam et in genitale masculorum, in feminis autem in vulvas. De maiore vena nulla deducitur ad vteros 6 vena; de aorta magnae ac frequentes. De aortae et maioris venae ramis feruntur multae, partim quidem in inguina primum, magnae ac cauae, deinde per crura in pedes ac digitos desinunt; partim per inguina et coxas delatae permutant inter se tractus rationem. Quippe ab sinistra parte in dextram, et ab dextra in sinistram; atque eae ad poplites aliis cum venis sese coniungunt. De venis earumque ortu hæc. Ac venarum quidem initia 8

venaeque adeo magnae ipsae in omnibus, quae sanguine constant, animalibus eadem se habent ratione. At venae reliquae non eadem: nam neque modus neque numerus partium idem omnibus est: quin nec in omnibus aequae apparent, sed tantum in iis, quae et magnitudine corporis et sanguinis multitudine constant. Nam quae minora sunt et paucillum habent sanguinis, aut propter naturam, aut propter corporis obesitatem haud aequae conspici possunt; si quidem meatus horum confusi sunt, quemadmodum riuuli quipiam largiore limo. Ac sunt animalium quaedam, quae et paucas, et fibras potius quam venas habent. Sola vena magna in omnibus prae ceteris conspicua est, etiam in parvis.

CAP. IV. (Textus et vulgo et Scaligero V.)

Nervorum hanc rationem prosequamur. Horum quoque ortus a corde est. Habet enim intra se in sinu maximo nervos cor; et sorta nervosa vena est; omnino autem eius extrema nervus naturae: neque enim caua sunt, atque eodem modo facta, quo nervi, quia desinunt ad ossium flexiones. Ceterum non est unum principium, unde nervi continentur, quemadmodum venae, deducantur. Venarum enim idem modus in habenda totius corporis figura, qui spectatur in pictis (pa-

rietum) canabis. Quare in corporibus emaciatiss
 tota moles extantium venarum frequentia differta
 videtur. Idem enim locus est venarum in macilen-
 tis et carnis in crassis. At neruū per artus diuulsi 2
 perque ossium sunt flexiones. Qui si essent con-
 tinuati, apparerent sane in corporibus extenuatis.
 Neruorum maximae portiones his locis continen-
 tur: in eo, qui vocatur poples, quae pars ad sal-
 tum certam propriamque habet facultatem. Item
 alter neruus geminus (*ceruicis*) graece *τένον* vo-
 catus, latine tendinem possis. Praeterea epitonus
 et humerarius, qui ad robur corporis momentum
 afferunt. Ceteri, qui ad ossium flexuras sunt, no-
 mine vacant. Ossa namque omnia, quae flectuntur, 3
 aut inter se apta sunt, neruis colligantur, et circa
 omnia ossa neruorum multitudo adest. In capite
 tamen nullus neruus est, sed ossium suturae com-
 ponunt et continent ipsum. Est nerui natura per
 longitudinem scissilis; transuersa non item: in-
 tendi quoque valde potest. Circa neruos humor
 est mucosus, albus, glutinosus, quo aluntur, et
 ex quo videntur generati. Vena quoque ignem
 (*cauterii*) pati potest; neruus autem igni corrup-
 pitur: quin etiam incisus non consolidatur. Quae 4
 pars corporis neruis caret, ea nunquam stupore af-
 ficitur. Plurimum neruorum est circa pedes, costas,

scapulas, ceruicem, brachia. Quaecunq̄e constant sanguine, neruis praedita sunt omnia: verum quae flexionibus carent, itemque manibus ac pedibus, tenues eos atque obscuros habent; quare in piscibus circa pinnas euidentiores sunt.

CAP. V. (Textus et Scaligeri VI.)

Fibrarum natura inter venam nernumque media est. Quaedam quoque ipsarum humorem lactae sunt, nempe saniem, et pertinent a neruis ad venas, et ab his ad neruos. Est et aliud fibrarum genus, quod in sanguine gigitur, quanquam non in omnibus. Iis fibris exemptis, non coit sanguis: non exemptis, coit. In plurimorum animalium insunt sanguine; in cerui, damae, (procos,) bubali, aliorumque quorundam non insunt; quorum propter ea haud perinde coit sanguis, sed tam ceruini quam leporini non est firma concretio, quemadmodum aliorum, sed fluctuans, quasi lactis, si quis iniiciat coagulum. Bubalinus plus densatur; neque enim minus, quam ouillus, aut non multo. Haec de neruo, vena et fibra.

CAP. VI. (Textus et Scaligeri VII.)

Nunc de ossibus dicendum est. Ossa cum ab vno dependent omnia, tum inter se sunt continuata.

quemadmodum et venae: segregatum os nullum inuenies. Eorum omnium initium ab spina est. Componitur spina e vertebris; tenditque a capite ad femora vsque; ac vertebrae quidem omnes perforatae sunt. Supremis vertebris os capitis, quae dicitur caluaria, impositum est; cuius serrata pars sutura. Eius ossis ratio alia aliis. Quaedam enim ^a caluariam habent vnico osse compactam, vt canis: quaedam compositam, vt homo. Nam femina circularem suturam habet, mas tres in summo triquetra figura coeuntes. Quanquam fuere, qui viri quoque viderint caput sine suturis. Senis igitur, non quaternis componitur caput, singulis vtrinque circum aures paruis, si cum ceteris conferantur. Quae deinceps ossa protenduntur, maxillae sunt. ³ Earum inferiores omnia mouent animalia, excepto fluuiali crocodilo, qui solus mouet superiorem. Dentium genus in maxillis est; os partim solidum, partim pertusum. Solum ossium scalpi non potest. A spina, quae fibulae officio fungitur, sunt et cla- ⁴ ues; tum costae; quarum quae coeunt, in his pectus est; aliae non coeunt: nullius enim animalis venter osse tegitur. Tum ea quae in humeris sunt ossa et quae scapulae dicuntur, et his haerentes artus brachiorum, atque quae sunt in manibus. Postremo idem modus etiam in animalibus, quibus

- 5 sunt crura anteriora. Qua ima spina desinit, acetabulum post coxam est; inde crurum ossa, cum femoris tum tibiae: Graeci colenes vocant: quarum malleoli partes sunt, sicut malleolorum calcaria; videlicet in iis, quae habent malleolos: post haec in pedibus conferta ossa sunt. Quae animalia constant sanguine, et pedestria animal pariunt, eorum ossa non admodum diuersa sunt inter se, sed magis teneritudine aut duritie aut magnitudinis proportione distant. Praeterea eodem in animali ossa quaedam medullam intus habent,
- 6 quaedam non. Tum nonnulla animalia omnino nullo in osse medullam habere videri possint, propter eius scilicet tum exiguitatem tum tenuitatem, atque pro eo, quod paucis in ossibus reperias. Talis leo est: habet autem etiam in femoribus et brachiis; adeo vero dura eius ossa praeter cetera animalia sunt, vt ab eorum duritie, si collidantur, perinde atque de silicibus, ignis excussus emicet. Delphinus quoque ossa, non spinam (*piscium instar*) habet. In aliis vero animalibus, quae constant sanguine, ossa partim inter se non multum differunt, vt in auibus, partim proportione quadam sequuntur ossium rationem, vt in piscibus. Nam quae animal pariunt, in iis ossa sunt media inter spinam et cartilaginem, cuiusmodi quae Graeci

σπείρα (cartilaginea) vocant. At ovipara spinam gerunt, quae est quasi os tergi in quadrupedibus. Proprium in genere piscium quorundam inter carnem separatas spinulas tenues haberi. Serpentum quoque natura piscibus similis est; quippe qui spinam pro tergi osse gerant. Maiores quadrupedes oviparae hanc partem ossi habent similiorem, minores autem spinae. Omnia autem animalia, quae sanguine constant, sub tergo aut os aut spinam habent: alia autem ossibus quaedam carent, quaedam non. Fit hoc pro membrorum ratione, ut ossa quoque eorum obtineant. Nam quae carent cruribus aut brachiis, his ossium arundines (colena) quoque desunt. Sic illa etiam, quibus eadem membra sunt, si non sint similia, secundum plus et minus, aut proportionem respondent.

CAP. VII. (Textus et Scaligeri VIII.)

Quemadmodum ossa se haberent, declaratum est. Cartilago autem eiusdem naturae est, nec nisi latitudine differt. Illud quoque utriusque commune est, non crescere, si abscindatur. Sunt in terrestribus animantibus, quae et sanguine constant et animal pariunt, solidae cartilagineae, neque intus ullam, velut ossa, continent medullam. At cartilagineis piscibus planis (in parte superiori?) loco

spinae cartilago est pro ossibus, atque in ea humor medullaris. Quibus per humum tantum motus datus est, si animal pariunt, circum nares et aures atque ossium extrema quaedam cartilaginee sunt.

CAP. VIII. (Textus et Scaligeri IX.)

Sunt et alia genera partium quibusdam in animalibus, neque eiusdem cum his naturae, neque procul tamen: ut ungues, ungulae tam continuas quam fissas, cornua: adhaec rostrum, quale avium est. Haec enim et flecti apta et scindi: os autem nullum flexile aut fissile est, sed frangi tantum potest. Cornuum quoque et unguium et utriusque ungulae color colorem cutis atque pilorum sequitur. Quibus enim corium atrum est, iis etiam nigra cornua et ungulae, siue eas continuas siue fissas habeant. Sic et candidis candidae, et mediis in coloribus eadem ratio. Ungues quoque eodem modo colorantur. At dentes in ossium natura sunt. Quare Aethiopum atque aliorum eiusmodi dentes atque ossa candida sunt, ungues nigri, qualis et cutis uniuersa. Cornuum pars maxima ab radice caua sunt, et adherent circa os capitis, quod; qua exoriuntur, ambiunt: mucro autem et solidus et simplex. Sola cernuorum cornua penitus solida et ramosa. Ceterae animantes, quae cornua gerunt,

nullae mutant: soli ceruo decidua sunt quotannis, nisi castratur. De castratis postea dicemus. Cornua 3 corio potius haerent, quam ossi: quam ob rem cum in Phrygia tum alibi boues sunt, qui cornua sicut aures moueant. Quibuscunque digiti sunt, ea omnia ungues habent. Habent autem digitos, quae pedes quoque habent, praeter elephantum: huic enim digiti indiuisi ac vix distincti, iique sine unguibus. Quae ergo ungues habent; partim ii recti sunt, vt homini; partim adunci, vt inter pedestria leoni, inter volucra aquilae.

CAP. IX. (Textus et Scaligeri X.)

De pilis autem; deque iis, quae ipsorum gerunt vicem, atque etiam de cute, nunc dicendum est. Quae huius tantum mouentur atque animal pariunt, omnia pilis teguntur; in eodem genere quae oua pariunt, cute squarrosa sunt; pisces autem soli squammis muniuntur, qui ouum arenaeum edunt. Nam in genere longorum conger eiusmodi ouum non gignit, neque muraena: anguilla vero etiam nullum. Pilorum crassitudo, tenuitas, magnitudo, locorum differunt ratione. Interest enim, quam corporis partem qualemque cutem nacti sint. Namque in crassiori cute magna ex parte pili duriores atque crassiores; sed in locis

capis atque humidioribus tum frequentiores tum
 proluxiores, modo sane locus ille a natura institu-
 2 tus sit ad habendum pilos. Eandem et in squar-
 rosas et in squamosas inuenias rationem. Quae
 igitur molliori pile sunt praedita, si laetiore pabu-
 lo utantur, duriores obtinebunt: contra quae du-
 rum habent, tum molliorem tum rariorem. Dif-
 ferunt et locorum inclinationibus calidiorum aut
 frigidiorum: veluti hominis capillus in calidis re-
 gionibus durus, in frigida mollis est. Recti molles
 3 sunt, intorti duri. Pilius suapte natura fissilis est,
 Pili inter se differunt intensiore natura aut remis-
 siore: quidam etiam paulatim duritiae excedunt,
 ut non iam pilis, sed spinis similes videantur: cu-
 jusmodi erinaceorum. Id quod etiam vnguibus
 euenit: nam quibusdam animalibus vngues ob du-
 4 ritiam ab ossibus nihil distant. Cutem inter omnia
 animalia tenuissimam homine habet, si eum eius
 conferas magnitudinae. Inest in omni cute mucosus
 humor, sed in quibusdam paucus, in aliis uberior,
 ut in bubule cervo; ex quo glutinum fit; quod et-
 iam ex piscibus alicubi conficiunt. Cutis cum se-
 catur sola, non sentit, praecipue in capite; pro-
 pterea quod inter eam et os nihil sit carnis. Vbi
 sola cutis est, si secatur, non coalescit; veluti tor-
 tui pars malae, et praeputium et palpebra. Omnis

animalia cutem perpetuo tractu continuam ita ha-
 bent, vt locum det tantum meatibus naturalibus
 ad exhalandum; tum vbi os est et vngues. Igitur
 animalia, quae sanguinem habent, cute omnia te-
 guntur; at pilis non omnia teguntur, sed prouti
 supra distinximus. Senescentibus animalibus co- 5
 lores mutant pili, atque cani fiunt in hominibus,
 In aliis quoque hoc idem fit, veram obscurius,
 praeterquam in equo. Canescere incipiunt pili a
 suprema parte. Plurimi statim oriuntur cani,
 Quare manifestum est, canitiem non esse arefactio-
 nem: nihil enim statim aridum nascitur. At in
 illo genere efflorescentiae cutis, quam vitiliginem
 dicimus, omnes cani gignuntur. Iam vero aegro-
 tantibus quibusdam euenit, vt cani fierent; quibus
 recepta pristina valetudine cum illi defluxissent,
 nigri de integro suborti sunt. Frequentius aperti
 pili quam aperti vntis canescunt. Hominum
 tempora prima canitiem sentiunt, et anteriores
 partes prius quam posteriores: postrema autem
 pubes. Inter omnes animantes solus homo pilos 6
 habet alios congenitos, alios pro aetatum tempo-
 ribus adnascentes. Congeniti sunt in capite, pal-
 pebris, ciliis: qui postea gignuntur, sunt hi: pri-
 mum pubes, deinde in axillis, tum ad mentum.
 Itaque par locorum numerus et congenitorum et

postea adnascentium. Deficiunt atque defluunt per aetatem pili, et maxima ex parte et primum capilli; sed ex anteriore parte tantum. Nam posteriora caluescunt nunquam. Verticis glabritia, caluitium dicitur: in ciliis depilatio. (anaphalantiasis: graece.) Neutrum euenit ante vsum veneris.

7 Sed neque puer neque mulier caluescunt; ac ne spadones quidem. Quin si, antequam caluescant, castrantur, posterigeni pili non gignuntur: sin post pubertatem; eos omnes amittunt, praeter pubem. In mulieris mento non gignuntur pili, praeterquam pauci iis, in quibus menstrua non fluunt, et in Caria antistitis: quod pro indicio infortunii futuri agnoscunt. Alii autem pili innascuntur, sed pauciores. Qui pili posterius oriri solent, eis tam viri quam feminae ab ortus principiis nonnulli carent, sed simul et generandi facultate; quando etiam pube

8 deficiuntur. Pili lege quadam naturae nonnulli plus minus crescunt: plurimum capilli, proxime barba. Sane qui sunt tenuiores, valde augetur: sed etiam supercilia multis affecta aetate in tantum, vt attondeantur. Id ideo fit, quod ibi gignuntur, vbi ossa committuntur: quo in senectute diductis ossibus transmittitur plus humoris. At palpebrarum pili non excrescunt. Eorum defluuium incipit post veneris vsum, eiusque frequentia augetur.

Sed sero omnium maxime canescunt. Dum crescimus, pili si euellantur, renascuntur; post id aetatis, non item. Habet autem omnis pilus lentam humiditatem ad radicem; itaque simul atque euulsus est, si quid leuiusculi attingat, trahit. Subest ab initio cutis concolor variis et versicoloribus animalibus, itemque linguae cute versicolore sunt. Mentum ac labii spatium superioris sunt qui barbaturum habeant: nonnulli ibi nullos pilos, sed malas hirsutas habent. Minus saepe videas caluere eos, qui laeui et glabro mento sunt. [Vulgo est: *qui mento sunt bipartito*: vel cum negatione: *qui m. non sunt bipartito*.] Crescunt pili et in aegrotis quibusdam, praesertim tabe laborantibus; et in senibus. Crescunt etiam in cadaueribus: tum fiunt duriores. Hoc etiam euenit vnguibus. Pili congeniti potius defluunt vsu venereo: qui autem, postquam homo natus est, nasci solent, citius oriuntur. Varicosi minus caluere: tum calui aliqui varicibus capti, rursus capillati facti sunt. Pilus praecisus non crescit, sed ab imo nascens fit maior. Quin etiam piscibus, qui aut macescunt aut senescunt, squammae fiunt et crassiores et duriores. Senescentibus quoque quadrupedibus vel pilus vel lana crassior (*Gazae* prolixior) fit, sed infrequentior. Vngulae quoque tam continuas

quam bistalcae in senecta aetate fiunt maiores: item
 auium rostra. Crescunt unguulae sicut et ungues.

[Vulgo C. XII.]

- 11 Quod autem ad animalia alata spectat, auis se-
 cundum aetates nulla mutat pennas praeter gruem:
 nam haec in senecta nigrescentes, antea cinereas
 pennas habet. Euenit autem pro temporum ratione,
 quemadmodum contentiore frigore, ut si qua sit
 unicolor puta aut nigra aut fasca [aut albida,]
 albescat aliquando, ut coruus; passer; hirundo:
 at quae albae sunt, eae non sunt animaduersae ni-
 grescere. Quin etiam anni statis partibus mutan-
 tur multarum auium colores adeo, ut, nisi sis pe-
 12 ritus, decipiaris. Pilorum colores in animantibus
 eum aquarum quoque mutatione mutantur ipsi:
 alibi candidi, alibi nigri fiunt. Id praecipue fit
 tempore coitus: sunt enim eiusmodi aquae multis
 in locis, quae si inuis tempore potentur a pecore,
 ac mox coeant, nigros agnos efficiant; ut in Chal-
 cidica terra Thraciae fluvius Psychrus vocatus fa-
 ciebat: et in agro Astyrite et in Antandria quoque
 terra duo flumina sunt, quorum alterius potu oves
 nigrae, alterius candidae gignantur. Videntur au-
 tem e Scamandro rufae prouenire: quam ob caus-
 sam putant ab Homero eum ficturum pro Scamandro
 13 Xanthum, id est rufum, appellatum. Ceterae

animantes intus nullos habent pilos: nec in artuum aduersa vel protra parte, quantum in dorso eorum habeant, praeter leporeta (clasyodem,) qui solus pilos habet et in bacca intus et sub pedibus. Mus inter cetera [vulgo mysticetas, Plinio musculus marinus] quoque denudus loco pilos habet auillis etis similes. Pili igitur praeterea non ab summo sed ab radice crescunt: pennae autem neque ab limo, neque a summo, sed excedunt. Quaecumque pennas (alas) continuas habent, ut apes et alia eiusmodi, his penna (ala) si auellatur, non renascitur: neque si accedam amittat apis, alias subnascitur, sed ex illo tempore perit ipsa.

CAP. X. (vulgo XIII. Textus et Scaligeri XI.)

Sunt etiam membranae in animalibus, quae sanguine concretae sunt. Est autem membrana similis cuti densae et tenui, sed tamen genus aliud est. Nam neque fissilis est neque tensilis. Amiota sunt omnia cum cetera cum viscera membranarum genere tam parvis quam maioribus animalibus: quantum in minoribus obscuriores sunt propter vehementiam et tenuitatem et exiguitatem. Maximae etiam membranae duae sunt, quae cerebrum ambiunt: quarum altera, quae sub circuitu oculi est, robustior et crassior est, quam quae ob-

ducitur cerebro. Deinde quae operit cor. Praecisa membrana sola non coalescit. Nudata ossa membranis suis siderantur.

[Vulgo C. XIV.]

- 2 Est praeterea omentum membranae genus. Habent autem omentum omnia animalia, quae sanguine concreta sunt, alia pinguius, alia macrius. Eius initium a medio ventre in iis, quae animal pariunt, atque vtraque maxilla dentata sunt; cui parti appensum est, vbi eius sutura quoque quasi quaedam extat. Quae autem superioris maxillae primores non habent dentes; in iis a maiore ventre oritur eodem modo.

[Vulgo C. XV.]

- 3 Membranacea quoque vesica est, quanquam alio genere membranae: distendi enim potest. Quae animal pariunt, ea sola vesicam habent; cetera nullam, praeter vnam testudinem ex ouiparis. Praecisa vesica non coalescit, nisi ad ipsa principia ceruicis, nisi raro omnino: nam sane aliquando euenit hoc. In defunctorum vesicas nihil humoris demittitur: in viuus etiam siccae fiunt concretiones, ex quibus calculi morbos faciunt. Aliis eiusmodi materia constitit, quae nihil videretur a testacea differre. Venarum, neruorumque ac cutis naturam, tum quid esset fibra atque membrana, praeterea

de pilis, vnguibus, vngulis vel continuis vel bisulcis, cornibus, dentibus, rostris, osse, cartilagine, et quicquid horum vice fungitur, superiore narratione explicuimus. Nunc vero de carne disseramus.

CAP. XI. (vulgo XVI. Textus et Scaligeri XII.)

Caro carniq̄ue proximam quaecunq̄ue naturam gerunt, in omnibus insunt animantibus, quae sanguine concreta sunt, eaque fusa inter cutem et ossa ossiumque vicarias partes. Nam qua ratione refertur spina ad ossa, ita inter ea, quae os et spinam habent, eande ratione pulpa illa carniformis ad carnem refertur. Est autem caro apta ad secandum quoquouersus, non in longum tantum, quemadmodum nerui et venae. Animalia cum macescunt, abit caro, et venulae extant ac fibrae: largius autem cum aluntur, in carnis locum gignitur pinguedo. Carnosioribus minores sunt venae, sanguis rubentior, viscera et venter paruus. At quibus venae maiores, sanguis nigrior, viscera magna, venter magnus, carnis minus. Pinguiore carne sunt qui ventrem paruum habent.

CAP. XII. (vulgo XVII. Textus et Scaligeri

CAP. XIII.)

Adeps autem et seuum inter se differunt. Seuum quauis parte fragile est et siccatum densatur: at a-

deps liquidus, neque aptus cogi. Itaque iuscula de adipalibus seu pinguibus non concresecunt, vt ex equo et sue: de iis, quae seuum habent, concresecunt, vt ouis et caprae. Locis quoque differunt. Adeps namque intra cutem et carnem gignitur: seuum non ibi, sed ad extrema carniū. (*extra carnes.*) At omentum adipe praeditis, adipaceum est; seuo pinguibus, seuaceum. Quae vtraque maxilla aequae dentata sunt, adipem habent: quae dentibus primoribus superioribus carent, seuum. Quibusdam in animalibus ex visceribus iecur pinguescit adipe, vt inter pisces cartilagineis: namque ex iis colliquatis faciunt oleum: ipsa vero cartilaginea omnium minimum adipem vel in carne vel separatim per ventrem habent. Quaecunque pinguedinem separatam non habent, minus pinguia sunt ad ventrem et omentum, vt anguillae: exiguum enim seuum habent circa omentum. Maxima tamen pars pinguescunt secundum ventrem, praesertim otiosa.

3 Adipalium cerebella pinguia, vt suis: eorum, quae seuum habent, sicca. Quod ad viscera attinet, quae loca circum renes sunt in animalibus, euadunt pinguiissima: sed dexter minus pinguis est. Ac quanquam praepingues fuerint, tamen aliquid in medio est semper vacui. Animalia quae seuo pinguescunt, morbosa fiunt, quoties renes vnde-

quaque pinguedine obruuntur; maxime omnium ovis, adeo, vt etiam intereat. In caussa est pabuli vbertas, qualis in Leontino agro Siciliae. Itaque non nisi vbi appetit serum diei, educunt pecudes in pascua, quo minus capiant cibi.

[Vulgo C. XVIII.]

Commune est animalibus cunctis loca circa pupillam habere seuacea, quaecunque scilicet partem hanc vel similem in oculis habent, nec oculos duros. Omnium animalium tam mares quam feminae prouti pinguiore*s* ita minus foecundae sunt. Aetate prouectiores plus pinguescunt, quam iuniores, praesertim cum in latum longumque iusta creuerunt magnitudine, atque inde in profundum excrescunt.

CAP. XIII. (vulgo XIX. Textus et Scaligeri
CAP. XIV.)

Sanguis omnibus animantibus, quae sanguine sunt concretae, maxime est cum necessarius tum communis. Neque enim aduentitius est, sed per principia ab natura subministrata inest omnibus, modo ne sint corrupta. Omnis autem sanguis inest in vasis, quas venas appellamus; praeterea nusquam, nisi in corde tantum. Non sentit sanguis tactus vlllo in animali: quemadmodum neque excrementa alai: quin neque cerebrum, neque

medulla. Quacunq̄ue viam sed incorruptam carnem secueris, exit sanguis. Suapte natura sanguis succo dulcis est, modo sit sanus: et colore ruber, nisi qui aut natura aut morbo deterior est: is enim nigrior est. Neque valde crassus, neque valde tenuis optimus est, si non sit vel morbo vel natura
 2 vitiatuſ. Ac tantisper calidus et liquidus, dum in corpore viuo est: foris autem concreſcit omnium, praeterquam cerui et damae, (procos,) et si quid eiusdem naturae est: ceterorum omnium spissatur, nisi eximantur fibrae. Taurorum sanguis celerrime coit. In genere sanguine concretorum quae intra se conceptum animal edunt, plus habent sanguinis, quam ea, quae eodem in genere oua pariunt. Quae natura aut instituto vitae bene valent, neque multum valde habent, quod statim a potu (*hostiis*) euenit; neque paucum, quod contingit valde pinguibus. Pingua vt purum, ita parum habent: et quo magis pinguescunt, eo minus habent sanguinis. Exangue enim pingue est. Pingue nihil putrescit: at sanguis et sanguinea ipsa celerrime putrescunt, horum quidem praecipue ea, quae
 3 circum ossa sunt. Hominis sanguis tenuissimus atque purissimus eorum, quae animal pariunt: tauri et asini crassissimus et nigerrimus. Et in partibus inferioribus quam in superioribus crassior fit et

nigrior. Palpitat omnium similiter animalium sanguis in venis. Solus humorum perpetuo et toto in corpore animantium inest, quamdiu vitam agunt. In corde animalium primum sanguis gignitur; atque adeo priusquam corpus ipsum dearticuletur. Si plusculum exeat sanguinis, quae eo priuantur, anima deficiunt; si multum nimis, animam amittunt. Si nimis eliquescat, aegrotant: namque in cruorem serosum abit adeo, ut quidam cruentum sudarint sudorem. Ita cum effluxit aliquibus, aut omnino non concrevit, aut aliqua tantum pars ab aliis partibus separata. In somno corporis partes extimae minus obtinent sanguinis: itaque si pungatur dormiens, haud aequè fluit sanguis. Ex perfectis ichoribus fit sanguis; e sanguine adeps. Vitiato sanguine fit fluxio, quam Graeci vocant haemorrhoida, ut e naribus, et in mariscis, et ad varices. Putrefactus sanguis fit pus: ex hoc autem id quod Graeci porum, nos possumus dicere tofum aut callum. Feminarum sanguis a virili differt: crassior enim ac nigrior est, aequalibus et valetudinibus et aetatibus inter se comparatis. Et in summo corpore minus habent sanguinis feminae, intus plus. Inter femellas animantes mulier plurimum habet sanguinis, plurimaque ei menstrua fluunt. Is sanguis, si vitietur, vocatur profluvium.

- 5 Alioqui eo genere morborum minus tentantur mulieres: paucae enim varicibus aut mariscis laborant: paucis profluit e naribus: atque his incommodius menstrua solvuntur. Secundum aetates quoque tum multitudine tum specie differt sanguis. In infantibus dilutior est et largior: in senibus crassus, niger, paucus: aetate stata, mediocris, Item senilis sanguis cito concrecit, etiam in corporis superficie: iunioribus autem nequaquam. Cruor (ichor) sanguis incoctus est, aut quia nondum percoctus, aut quod in seri modum dilutus fuerit.

CAP. XIV. (vulgo XX. Textus et Scaligeri.

CAP. XV.)

Nunc de medulla: nam ipsa quoque vna ex partibus liquidioribus inuenitur in quibusdam animalibus, quae sanguine constant. Quae liquida suapte natura sunt in corpore, omnia vasis continentur, sicut sanguis in venis, medulla in ossibus: alia in membranis et cutibus et sinibus. Creatur autem in iuenculis medulla omnino sanguinea; senescentibus autem [alba, et quidem] adipalibus adiposa, seuaceis seuosa. Neque vero quouis osse medulla continetur, sed cauis tantum: ac ne his quidem omnibus: namque leonis ossa partim nihil omnino, partim parum omnino habent. Quae fuit

caussa, vt nonnulli dicerent, leones medulla carere penitus, quemadmodum supra dictum est. Tum in suillis ossibus minus est medullae: in quibusdam autem eius nihil est penitus. Atque haec quidem liquida sunt, quae congenita animalibus ferme semper in eis existunt.

C A P. XV. (vulgo adhuc XX. Textus et Scaligeri CAP. XVI.)

Ea autem quae post genitum animal oriuntur, lac et genitura. Quorum alterum quidem tum, cum existit, secretum per se inest omnibus, lac videlicet; alterum non in omnibus inest secretum, sed nonnullis tantum, veluti quos in piscibus Graeci vocant thoros. Quae lac habent, ea omnia ipsum in mammis continent. Mammis autem habent quaecunque et concipiunt animal et pariunt, qualia sunt pilis praedita omnia, vt homo et equus: praeterea cete, vt delphin, vitulus marinus, balæna: quibus omnibus et mammae sunt et lac. At quae ouum aut edunt aut intra se excludunt, vt edant animal, neque mammis neque lac habent; vt piscis et auis. Omne lac habet succum aquosum, qui dicitur serum; et alterum corpulentum, qui vocatur caseus. Plus crassum lac plus habet casei. Quibus autem primores superiore maxilla dentes

non sunt, eorum lac coit: quare greges habentur domiti ad caseum faciendum. Quae vtramque maxillam integro numero dentatam habent, non coit: quemadmodum ne adeps quidem. Est autem et tenue et dulce. Tenuissimum est candidum; deinde equae; tum tertio loco asinae: crassius bubulum. Frigore non coit lac; quin in serum potius soluitur: contra ab igni concrecit et crassescit. Raro prouenit lac animalibus, nisi prius conceperint: ac praegnantibus ingeneratur; sed tam primum quam vltimum inutile. Et cibus quibusdam factum est, vt etiam non praegnantibus aliquae lac exiguum habuerint. Quin etiam fuere mulieres seniores, quibus, cum sugerentur, prouenerit lac; et nonnullis quidem tanta vbertate, vt etiam infantem lactarent. Qui circa Oetam montem pascunt, capellarum, quae maris initum non admittunt, vberibus vrticas affricant, idque violenter, vt dolorem faciant: primum igitur lac cruentum emulgent; deinde subpurulentum, postremo iam lac, nihilo minus quam ex iis, quae foetae sunt. Vniuersus sexus masculinus tam ceterarum animantium quam hominis magna ex parte lacte caret. Quanquam quibusdam hoc euenit, vt haberent: quemadmodum contigit in Lemno insula, vt hircus, quae bina illi habent vbera prope genitale, tantum lactis daret ad

mulctram, vt ex eo caseoli fierent. Tum eius initu
 hoedum generatam idem euentus est consecutus.
 Sed haec pro prodigijs interpretantur: quippe ora-
 culum illi consulenti Lemnio responsum est, fore,
 vt pecus ampliore foetura suppleatur. Viris qui-
 busdam post pubertatem exprimitur aliquantulum:
 quin nonnullis, cum contentius sugerentur, etiam
 multum prodiit. Inest in lacte pinguedo, quae in 5
 concreto oleosa fit. In Sicilia ac sicubi capellarum
 maiores sunt greges, ouillo caprinum miscent.
 Coit facillime, non solum quod casei habet pluri-
 mum, sed etiam quod siccissimum habet. Quae-
 dam igitur plus habent lactis, quam quantum ex-
 igitur ad alendam sobolem. Vtilissimum ad con-
 ficiendum caseum, qui seruetur, ouillum lac; de-
 inde caprinum; tum bubulum. Equinum autem
 et asininum admiscetur Phrygio caseo. Est plus
 casei in bubulo quam in caprino. Pastores nam-
 que ita aiunt, ex quadrantali caprini fieri caseolos
 obolares vno minus viginti: ex bubulo tricenos.
 Quae vero non plus quam alendae proli habent, in-
 vtile eorum lac est ad caseationem: cuiusmodi ea
 sunt, quibus plures duabus sunt mammae. Nam
 ab his neque copiam habent, neque casei vsum.

[Vulgo C. XXI.]

Cogitur lac succo ficulneo et coagulo. Succo 6

lana imbuta modico lacte abluitur, quod mistum lacti ipsum cogit. Coagulum autem lac est reperi-
 tum in lactentium ventre, in se caseum (*vulgo*
 ignem) habens: fit autem ex calore animalis con-
 cocto lacte. Ruminantia omnia coagulum habent:
 at ex iis, quae vtraque maxilla omnes dentes ha-
 bent, lepus. (*dasypus.*) Quanto vetustius coagulum
 est, tanto praestantius: confert enim tum maxime
 alui profluuiis; quod etiam leporinum facit: sed
 7 praestantissimum est hinnuli coagulum. Mulgetur
 lac plus minusue et secundum proceritatis propor-
 tionem, et pro differentia pabulorum. Etenim in
 Phaside terra pusillae buculae sunt, e quarum sin-
 gulis multum lactis habetur. Ab Epiroticis autem
 vaccis illis praegrandibus e singulis quadrantal la-
 ctis ac semis ex vtraque mamma. Mulget pastor
 rectus aut paululum inclinatus, propterea quod, si
 sedeat, attingere manu non quit. Namque ea in
 terra cum aliae quadrupedes praeter asinum magnae,
 tum maximi et boues et canes: pabuli vero egent
 vberioris, tanta cum sint: atque ea regio sane et
 multum sufficit, et quouis anni tempore commoda
 ad id loca habet. Cum igitur vasti boues sunt,
 tum oues Pyrrhicae; quod cognomentum ab rege
 8 Pyrrho traxere. Lac certo pabulo deficit, vt herba
 Medica, praesertim ruminantium. Alio augetur,

vt cytiso et eruo: verum cytisis, dum floret, in-
 utilis est; inflammat enim: at eruum foetis adeo
 incommodat, vt partus reddat difficiliore. Omni-
 no quadrupedes voraciores vt ad foeturam meliores,
 ita largiore pabulo largius mulgentur. Plurimum
 lactis creant quaedam flatuosa, si praebeantur in
 cibum; veluti faba affatim [*vulgo* paucula] prae-
 bita oui, caprae, boui, capellae, distendit vber.
 Futura lactis copia deprehenditur demissione vberis 9
 ante pariendi tempus. Pergunt habere lac diu
 omnia, quae habent lac, si neque coeant, et bene
 tractentur: ac praeter ceteras quadrupedes oues:
 octo namque mensibus ad mulctram eunt. Omnino
 autem quae ruminant, et multum lactis habent, et
 ad caseorum confectionem vtile. Ad Toronam vac-
 cis paucis diebus ante partum deficit lac, ceterum
 perpetuo habent. Liuidius lac muliebre praestan-
 tius candido alendis infantibus. Et fuscaram mu-
 lierum salubrius est quam candidarum. Maxime
 quidem nutrit, quod plurimum casei, sed salubrius
 infantibus est id, quod minus habet.

CAP. XVI. (*vulgo* XXII. Textus et Scaligeri
 C A P. XVII.)

Semen genitale emittunt, quaecunque sanguine
 concreta sunt. Verum quid quoque modo conferat

ad generationem, alio dicetur loco. Plurimum pro corporis modo emittit homo. Quae animalia pilos habent, iis semen viscidum est, aliis non item. Candidum omnibus est; at Herodotus falso scripsit, Aethiopum genituram atram esse. Omnis genitura, si sana sit, exit candida et crassa: vbi vero exierit, attenuatur et nigrescit. Neque frigore concrecit, sed tum color tum crassities penitus in aquae diluitur tenuitatem. At a calore cogitur et crassescit. Sic etiam cum aliquanto post tempore e matrice elapsum est, exit crassius: interdum etiam siccum atque contortum. Foecundum semen in aqua subsidit, infoecundum dissoluitur. Falsum et id est, quod scripsit Ctesias de elephanti genitura.

A R I S T O T E L I S
DE ANIMALIBVS HISTORIAE
LIBER IV.

C A P. I

Sanguine concretorum partes animalium quae vnicuique generi essent cum communes tum propriae, vel e similibus vel dissimilibus inter se particulis constantes, et interiores et exteriores, superioribus libris enarratae sunt. De iis igitur animalibus, quae non sunt sanguine constituta, deinceps dicendum est. Eorum genera plura sunt: vnum, quod appellant mollusca. Eiusmodi sunt, quae cum careant sanguine, extrinsecus habent carni-forme corpus, intus autem firmum, quemadmodum ea quoque, quae sunt sanguine composita: quale est sepiarum genus. Alterum est crustatorum: haec firmas partes suas extimas habent, intus autem carneam mollitiem. Partes quoque illae

- firmæ non potius frangi quam elidi dici debent: eiusmodi sunt locustæ (*marinæ*) et cancri. Tertium testaceorum est: his intus est carnæa pars, foris firma. Quæ et flexu frangi et ictu rumpi, at elidi non possunt: quale genus concharum et
- 3 ostrearum est. Quartum genus insectorum est, quo multæ species et dissimiles [*vulgo sine nomine*] continentur. Insecta sunt, quæ, vt nomen indicat, secturas habent aut partibus superioribus aut inferioribus aut vtrisque: quæque nec carneæ neque ossea seorsim disposita parte quæpiam constituta sunt, sed mediâ quadam natura constant. Eorum namque corpus intus forisque æque durum est. Eorum quædam sine alis sunt, vt iulus et centipeda; (scolopendra;) quædam alata, vt apis et scarabæus, (melolontha,) et vespa. (sphex.) Idem quoque genus et alatum est et alis caret, vt formica et cicindela: namque ex his quædam volant, quædam alas nullas habent. [Cap. II. Scaligero.]
- 4 Molluscorum partes exteriores hæc sunt: vna quidem, quam vocant pedes: altera, quæ his hæret, caput: tertiam appellant alueum, quo interiora continentur. Hoc minus recte nonnulli (*e Græcis*) caput appellarunt. Hunc alueum pinnulæ circum dispositæ sunt. Conuenit omnibus molluscis, inter
- 5 pedes et ventrem vt caput situm sit. Pedes octonos

omnes habent, gemino acetabulorum in singulis ordine, excepto vno genere polyporum. Priuatim habent sepiae et loligines et lolii duas proboscides longas, quarum extrema gemino acetabulorum ordine aspera sunt; quibus admotis ad os cibum capiunt; iactisque ad saxum quasi anchoris, coorta tempestate in salo fluitant. Pinnulis, quas circum alueum dicebamus, nant. In pedibus insunt acetabula omnibus. Polypus brachia sua ad officium 6 cum manuum tum pedum accommodat: namque duobus, quae supra os habet, admouet ori cibum. Postremo autem omnium, (est hoc inter cetera acutissimum et solum aliqua parte candidum in dorso: vocatur autem dorsum pars brachii laevis, a qua prorsum acetabula collocata sunt: et in extremo bifidum,) hoc igitur ad coitum vtitur. Ante alueum supra brachia fistula caua est, qua mare alveo receptum reddunt, cum quippiam ore assumerint. Mouent autem eam cum in dextram tum in sinistram: ea etiam semen (thorum) emittunt. Nat 7 obliquus, tendens pedes versus id, quod caput appellatur; itaque fit, vt, quia oculos in vertice habet, quae ante sunt, prospiciat, os autem pone sit. Caput, quamdiu viuit, durum et quasi inflatum habet. Prehendit autem et retinet brachiis resupinatis, (incuruatis *Scaliger*) atque ibi membrana,

- quae inter pedes est, tenditur vniuersa. Quod si in arenam inciderit, impotens fit ad retinendum.
- 8 Differunt polypi et alia quae diximus genera moluscorum. Polypis alueus paruus, pedes longi sunt: ceteris alueus grandis, pedes breues; quo fit, vt iis vti nequeant ad ingrediendum. Haec autem inter se quibus discrepant. Nam loligo e longioribus, sepia e latioribus est. At loliginibus lolii qui dicuntur longe maiores sunt: grandescunt enim vsque ad quina cubita. Euadunt etiam sepiæ aliquæ bicubitales: et polyporum brachia ad
- 9 eandem vastitatem, atque etiam maiora. Loliorum genus infrequentius est. Differunt etiam figura lolii a loliginibus: namque loliorum mucro latior est: totus quoque alueus continuata pinnula ambitur; loligini minus integra. Altum mare colit, vt loligo. Post pedes caput omnibus in eorum medio est, atque ipsi pedes etiam brachia vocantur. In capite os est; in ore dentes duo; supra hos oculi grandes totidem. Inter eos exigua cartilago pusillum continens cerebrum. In ore paruum quiddam
- 10 est carnosum, quo pro lingua vtitur, qua totum genus hoc caret. Post caput aluei partes extimæ videntur. Est eius caro fissilis non directo, sed orbiculariter; atque ea omnibus cute tegitur. Ab ore habent gulam longam et angustam: continentem

deinde ingluviem amplam, rotundam et similem illi, quam aues habent. Cui venter continuatur omasi facie, similis figura buccinorum anfractibus. Hinc rursum fertur ad os intestinum tenue quidem sed gula laxius. Viscera non habent praeter quam mytin vocant, supra quam atramentum, quod in sepiis et plurimum et maximum est. Atque hoc emittunt omnia, cum perterrefiunt, praesertim sepia. Mytis est sub ore sita: per hanc transit gula: qua vero intestinum reflectitur, infra atramentum, atque meatum suum eadem membrana obductum habet cum intestino. Idem quoque meatus est, qui effundit atramentum et deiecit excrementa. Insunt etiam in corpore villorum specie¹² quaedam. Sub dorso firma pars sepiae, loligini ac lolio continetur: illius sepium, (*os sepiae*,) horum gladium vocant. Ea tamen inter se differunt: sepium namque firmitus et latius, media concretionem inter spinam (*piscium*) et os continens quandam friabilem raritatem. At gladius loliginum tenuis ac magis vergens ad cartilaginis naturam. Figura autem, quemadmodum et aluei, inter se differunt. At polypi firma illa parte intus carent: sed circa caput (alueum) cartilagosam quiddam habent, quod durescit demum, cum quis eorum consenuerit. Differunt etiam inter se sexus ipsi.¹³

Mares meatum habent sub gula a cerebro ductum ad inferna alvei: ibi qua parte desinit, res est papillae similis. Femellis vero bina sunt haec, et parte superiore sita. Vtrisque autem pusilla corpuscula quaedam rubra subiuncta adsunt. Polypi unum (*ouarium*) unum, inaequali superficie; grande, intus humorem continet unicolorem totum ac laeue, tanta copia, ut complere possit vas ipso

14 polypi capite (alveo) maius. Sepia duos habet alveos atque in his ova numerosa, grandini similia candidae. Verum haec sigillatim quo se habeant pacto locouie, videre licet ex dissectarum partium picturis. Mares omnes in hoc toto genere a femellis differunt; praeter cetera sepiae. Nam dorsum alvei nigrius habet quam imam planitiem; et asperiora omnia habet et virgata; et extremum corporis

15 mucronatus. Verum polyporum plura sunt genera. Unum genus est frequentissimum, (vulgare,) quod et maximum est: ex hoc qui littora accolunt, longe sunt maiores, quam qui in alto degunt. Aliud genus paruorum; ii vario sunt colore, nec esitantur. Item alia duo: nam eledona cum peculiari crurum longitudine differt, tum molluscorum sola singularem acetabulorum ordinem habet, cum binos alia habeant omnia: alterum alii vocant boli-taenam, alii ozolin. (*latine dicas sterculeam et*

olentiam seu putiliam.) Postremo alii duo in 16 conchis: vnus a quibusdam nautilus [et nauticus], ab aliis ouum polypí vocatus. Testa istius refert pectunculum concuum non connexum in latere. Is prope terram pascitur saepenumero: quare a fluctibus eiicitur in terram, vbi delapsa testa, qua ambiebatur, capitur et in terra perit. Hoc genus et pusillum est et simile holitaenis. Alter in testa tanquam cochlia: is ex ea nunquam exit, sed inhaeret cochlearum modo; interdum tamen brachia exeat.

C A P. II. [Scaligero III.]

Haec de molluscis dicenda erant: nunc de iis, quae teneriore testa muniuntur. Horum vnum genus locustarum: alterum eorum simile, qui dicuntur astaci, (*gammari*), qui differunt a locustis, quod non habent forcipes atque alias differentias pauculas. Tertium squillarum: quartum cancerorum: sed tam horum quam squillarum genera plura sunt. Nam squillae quaedam sunt, quas gibbas vocant: aliae dicuntur crangones. Tertia species minutiorum est, quae nunquam grandescant. Cancerorum genus maiorem in modum variatur, neque adeo facile recenseri potest. Maximum eorum genus, quas maias vocant. Proximum magnitudine paguros et Heracleoticos cancos con-

plectitur. Post hos fluuiatiles. Alii minores, neque vlllo nomine insignes. Ad Phoenicem littorales sunt cancri, tanta celeritate, vt aegre eos, cum in cursu sunt, captatores consequantur. Idcirco vocant equites. (*alii Codd. equos.*) Verum aperti reperiuntur intus inanes esse, (*intus nihil esculenti habent,*) inopia paluli. Sunt etiam qui magnitudine cancris aequales sunt, facie autem astacis simili-

3 miles. Omnibus his igitur, quemadmodum diximus, pulpamentum interius vice cutis firmitudine testacea munitur. At supinae (*inferiores*) partes plagulis frequentiores habent, in quas edunt oua feminae. Pedes locustae quinos vtrinque habent vltimis connumeratis, qui sunt forcipati. Cancris quoque eodem modo vniuersi sunt decem, si forcipes annumeres. In genere squillarum gibbae vtrinque quinos habent; qui ad caput vergunt, acutos; et ad ventrem vtrinque totidem, mucrone latiore: dorso similes sunt locustis, auersa vero

4 parte subtus plagulas nullas habent. At crangones e contrario; primores enim quaternos vtrinque [*latos,*] deinde consequentes alios ternos vtrinque subtiles: cetero corpori pedes nulli insunt. Flectuntur omnium pedes in latus, quemadmodum etiam insectorum. Forcipes quae habent, ea introrsum flectunt. Habet locusta etiam caudam et pinnulas

quinque. [*utrinque.*] Etiam squilla gibba tum caudam tum pinnulas quaternas: etiam crangonis caudapinnis neutro latere vacat. Earum medium spinæ naturam præ se fert utroque in genere, sed crangoni latum est, gibbae acutum. Solus cancer huiusmodi animalium cauda caret: et cum locustarum squillarumque corpus oblongum sit, cancerum est rotundum. Differt mas locusta a femina; quoniam feminae primus pes bipartitus est, illi continuatus vno vngue. Femina quoque pinnulas, quæ subtus sunt ad collum (*caudam*), magnas habet, et mutua implicatione coeuntes: mas autem minores, nec inuicem coeuntes. Maris quoque pedibus postremis quasi calcaria quaedam sunt, eaque cum magna tum acuta: feminae eiusmodi pars parua et laevis. (*inoffensa.*) Aequè autem utrisque cornua bina ante oculos eminent magna et aspera, et alia cornicula pusilla sub illis laeua. Horum omnium 6 oculi sua duritie praediti sunt, quos mouent introrsum et extrorsum ad latus: quales etiam cancerum plurimis sunt, quia etiam mobiliores: Astacus colorem habet subalbidum, sed nigritia inspersum. Pedes inferiores ad grandes vsque octo habet: ab his grandes ipsos duos, multo maiores et mucrone latiore quam locusta, sed inaequales. Dextri namque summum latum, oblongum, tetive

est; sinistri crassum et teres: vtriusque vero bipartitam, ac quasi mandibula, cum dentibus infra supraque. Quanquam dextro dentes minores et serrati sunt omnes; sinistro primores serrati, at medii tanquam molares: inferiorum ordo quaternis continuis, superiorum ternis non continuis exple-

7 tur. Mouent partem superiorem vtrique, et ad inferiorem premunt: ac valgii quidem sunt situ, tanquam a natura destinati ad prehendum et prepeadum. Supra hosce magnos duo alii hispidi paulo infra os; mox paulo infra partes branchias referentes circum os multae et hispidae, quas assidue motat. Flectit atque adducit, (*cum cibum capit*,) duos illos hispidos pedes ad os: hi pedes, qui ori praesto sunt, extantibus quibusdam tenui-

8 bus barbulis asperantur. Dentes duos habet, ut locusta: supra hosce cornicula longa, sed breuiora ac tenuiora quam locusta: tum alia quatuor eadem specie, sed breuiora et tenuiora: super his oculos pusillos breues, non autem, ut locusta, grandes. Prominet pars, cui subsunt oculi, acuta et aspera quasi frons, maior quam locustis. Omnino facies acutior; pectus autem latius, totumque corpus carnosius ac mollius quam locustae. Octo pedum

9 quatuor in extremo bifidi, quatuor non: Quod collam appellatur, quinque in partes diuisum est

extrinsecus: tam est sexta pars lata, quinque constans plagulis. Iatus autem feminae quatuor hirta quaedam habent, in quae oua pariunt. A partium diorsum singulis prodit extrorsum spina breuis et recta: vniversum vero corpora atque etiam pectoris partes laeues habet; non locustae modo asperum, nisi quod maiorum pedum exteriora spinis obsita maioribus. Mas feminaque nulla nota insigni differunt inter se: nam vtriusuis vtrasilibet foreipem maiorem deprehendes, certe vtramque aequalem neutri. Mare omnia haec recipiunt iuxta 10 os: sed exceptum cancri et locustae emittunt paulatim iuxta barbudas branchias aemulantes, quas numerosas locustae habent, dum illam partem (*orificium*) obturant. Ceterum commune his omnibus est habere dentes duos: nam et locustae duos illos primores habent: et in ore carnosum quod pro lingua: deinde ventrem ori protinus continuatum: locustae tamen gulam minorem ante ventrem habent: a ventre intestinum, quod recto tractu terminatur ad caudam, vbi excrementa reddunt, et oua edunt, tam in genere locustarum quam in squillis. Cancris autem ad medium cooperculi, (*caudae ventri applicatae*), exitque eam in partem, qua item oua pariunt. Praeterea feminae 11 ipsorum iuxta intestinum locum habent ouorum;

et id quoque, quod eam mytini tum mecona (*papa-
ver*) appellant, plus minus habent omnia. Iam
singulorum generum differentiae contemplandae
sunt. Locustae igitur, quemadmodum dicebamus,
duos habent dentes magnos cauos: in quibus hu-
mor est mytidi similis. Inter dentes autem carun-
cula linguae speciei. Ab ore autem brevis gula
membranaceo ventri continuatur; cuius ventris
ostio dentes tres insunt: duo committuntur inter
¹² se, tertius infra eos est. Ad ventris latus intesti-
num simplex est, et toto tractu aequali crassitu-
dine vsque ad exitum excrementorum. Has igitur
partes communes habent omnia genera, locustae,
squillae et cancri: [*nam et cancri dentes duos
habent.*] Praeterea locustis meatus pectore depen-
det vsque ad exitum excrementi: is pro vulua fe-
minis est, genitale vero semen continet in maribus.
Iacet autem in concauo carnis, ita vt interiaceat
caro. Nam intestinum ad partem curvam situm
est, meatus ille ad cauam, non alio modo quam
in quadrupedibus, continetur. Neque vero id alia
specie est in masculo atque in femella, sed vtrisque
et tennes et candidi, ac pallidum continent. humo-
¹³ rem: et vtrisque eadem origo a pectore. Eodem
modo et ouum et anfractus squillae habent. Di-
stinguitur a femina mas duabus particulis candidis

quas ipse peculiare habet in carne pectoris, sed ab ipsa discretas, cum colore tum concretionem similes sepiarum promuscidibus. Vorticosae hae sunt, quemadmodum buccini anfractus, quem Graeci mecona, id est papaner, vocant. Oriuntur eae ab acetabulis, quae sub extremis sunt pedibus. Est [etiam] in hoc (*pectore*) caro rubra, sanguinis colore, tactu viscida, neque similis carni. Ab eo meatu, qui in pectore buccini refert speciem, alia est sinuatio funiculi crassitudine, sub qua (quibus *est in graeco*) duo quaedam sunt appensa intestino arenacea, genitali semini destinata. Atque haec mas habet: at femina ova ibi, colore rubra, quae annexa ventri, atque vtrinque ad latus intestini ad carnosas usque partes, membrana tenui continentur. Hae sunt partes, quot cum intus tum extra habent.

C A P. III. (Scaligero adhuc III.)

Euenit autem, ut eorum partibus interioribus, quae sunt sanguine constituta, omnibus nomina indita sint: at in sanguine carentibus nulli: neque enim viscera omnia habent; sed communia tam his quam illis omnibus venter, gula, intestinum. Quod quoque modo cancri haberent et forcipes et pedes, iam dictum est. Vnum maxima eorum pars

- dextrum forcipem et grandiore[m] et robustiore[m] habet. Diximus etiam de oculis, oblique eorum plurimos intueri. Corporis albus vnus et indiscretus est, itemque caput, aliaque si qua pars est.
- 2 In parte suprema statim sub cuppa habent oculos: quidam ad latera longe dissitos; quidam in medio, modico interuallo, vt Heracleotici et maiae. Sub oculis os, et in eo dentes duo, vt locustae, ceterum non rotundi, sed longi. His adstant valuulae instar operculorum duae, inter quas est quiddam,
- 3 quale locustae ad dentes habent. Aquam igitur recipit iuxta os, repellens opercula: reddit autem meatibus supra os sitis, occludens valuulis eam partem, qua ingressa fuerat. Sunt autem meatus hi statim sub oculis. [Atque vbi recepit humorem, occludit os valuulis ambabus, et deinde sic mare expuit.] Continuatur gula dentibus adeo brevis, vt illico videatur subesse venter ori; tum venter cum ea bipartitus, a cuius medio intestinum simplex, angustum, quod terminatur sub operculo (*cauda reflexa*) extimo, quemadmodum supra dictum est. [Habet autem inter opercula talia quaedam, qualia locusta ad dentes.] Intra cuppam pallidus humor est, atque in eo extant quaedam candida oblonga, et alia rufa maculosa: Differt mas a femina, quod et grandior et latior

est, et operculum (*caudam reflexam*) maius habet femina, et tumidius et barbulis magis differentum, sicut et in feminis locustis. Atque hic modus est partium eorum, quae crusta integuntur.

C A P. IV.

At quae testaceo tegmine nuniuntur animalia, ut limaces, (cochleae,) umbilici, (cochli,) et quae eunque ostracea (ostrea) dicuntur, ad haec echinorum genus, quae eunque carne praedita sunt, eam intus habent, quemadmodum et crustaceae: testam enim foris, intus autem duri nihil. Ipsae vero multis modis inter se diuersa sunt, vel testarum ratione vel interioris pulpaee differentia. Quaedam namque nihil habent carnis, ut ethini: quaedam tametsi habent, tamen operata tota est, neque praeter caput conspicuum quicquam est, ut terrestribus limacibus, (caechleis) et quae a quibusdam eoecalia appellantur, et ex maritimis purpurae, buccini, (cerytes,) umbilici, (cochli,) atque alia turbinata. Alia quaedam bivaluia sunt, quaedam univaluia. Bivaluia intelligo, quae duabus testis circumdantur: univaluia, quae vnica: haec carnem habent in superficie, ut patella. Bivaluiam quaedam sunt apertili natura, ut pectines et muscoli: haec enim omnia altero latere comata sunt, ab

altero dissoluta. Quare et claudunt et aperiunt se
 Quaedam, tametsi binis testis praedita sint, tamen
 utrinque conclusa sunt, ut solenes. Sunt quorum
 caro tota ambitur testa, neque quicquam nudi extra
 3 est, ut quae vocantur tethya. Ipsae quoque inter
 se differunt testae: quaedam enim laeves sunt, sic-
 ut solen, musculi et conchae quaedam, quae ga-
 laces ab aliquibus appellantur: aliae scabrae, quem-
 admodum ostreae, (*limnóstrea i. e. ostreae lacu-
 stres*), pinnae, buccini, et conchae nonnullae. At-
 que horum quaedam virgata (*striata*) sunt, ut pe-
 etunculi et concharum genus. Differunt etiam
 tenuitate et crassitudine testarum, cum tota in
 testa, tum eius partibus, quemadmodum ad oras:
 (*labra*): quibusdam enim subtiles sunt, ut muscu-
 4 lis, nonnullis crassae, ut ostreis lacustribus. Prae-
 terea sunt ex iis, quae moventur, ut pectines. Hos
 namque etiam volare argumento probant, quod e
 piscatorum instrumento capti exiliant saepenu-
 mero. Quaedam non moventur, sed sedi suae af-
 fixae haerent, ut pinnae. Turbinata omnia mo-
 ventur et repant: absoluitur etiam patella in pa-
 stum. Omnibus communis est interior laevitas
 5 testae. Carnosa pars vel singulis vel binis valuis
 intectorum testis ipsis adhaeret ita, ut non nisi vi
 abstrahi queat. turbinatis autem potius absoluitur.

Quibus illud peculiare, testam imam a capite in verticem (volutam) intorqueri. Praeterea cum suo quaeque operculo omnia nascuntur. Omnia turbinata e genere testaceorum dextra sunt, et moventur non secundum vorticem, sed in contrarium. Sic igitur horum animalium partes exteriores inter 6 se differunt. Interiores autem quodammodo similem naturam nactae sunt omnes, praesertim turbinatorum: magnitudine enim distant et aliis affectionibus, quae excessu comparantur. Haud multum inter se diuersa sunt etiam univaluia et bivaluia clausilia: quippe quae parum inter se differant; magis autem discrepant ab immobilibus; id quod post haec planius fiet. Igitur natura [*turbinatis*] omnibus eadem erat, nisi alterum ab altero aliquo modo excederetur: quaedam enim, quae maiora sunt, suas quoque partes conspectiores habent, minora autem minus. Similiter duritiae, mollitiae, et quae sunt aliae eiusmodi affectiones, discrepant. Nam quae caro summa e testae ostio 7 maxime exerta est, eam omnia firmam habent, quaedam magis, alia minus. Ex eius medio caput est et cornicula bina; in maioribus proceriora, in minoribus minima. Exerendi capitis eadem omnium ratio, et perterrefac. is contrahendi. Habent quaedam os et dentes, vt limax acutos, mi-

8 nutos, tenues. Quaedam etiam muscarum more
 habent proboscidem linguae speciei. Haec dura
 (compacta) est buccinis et purpuris, veluti tabanis
 (myopibus) et asilis (oestris), qui tergora quadrupe-
 dum pertundunt, imo etiam robustior, ita, vt esca-
 rum (*conchyliorum*) testas perforent. Subest ori
 statim venter similis auium ingluuiei, in vmbilicis:
 (cochlis:) infra duo candida quaedam, firma, speciei
 mammillarum; qualia in sepiis etiam inueniuntur,
 9 sed haec solidiora. A ventre gula simplex longa
 ad papauer vsque, quod in fundo est. Quae om-
 nia perspicui possunt in vortice (voluta) testarum
 tam purpurarum quam buccinorum. Quod gulae
 iungitur, intestinum est, aqua continuo tractu fertur
 totum simplex vsque ad exitum, incipiens a vor-
 tice papaueris, atque inde laxius: (est autem papa-
 ver fere quasi excrementum [*ventriculi*] in omni-
 bus crustaceis:) inde intestinum reciprocans rursus
 ascendit ad carnosas partes, atque iuxta caput ter-
 minatur, qua emittitur excrementum, omnibus
 10 turbinatis tam terrenis quam maritimis. In ma-
 ioribus vmbilicis a ventre cum gula contextus est
 media membrana meatus longus et albus, colore
 similis caruncularum, quas supra dicebamus mam-
 millarum speciem gerere. Habet autem incisuras,
 quemadmodum locustarum (*marinarum*) ouum;

sed hoc candidum est, illud rubrum. Huic vero per nullum meatum exitus patet, sed in membrana tenui contrahitur, sinum angustum in se habens. Ab intestino infra continuo tractu porriguntur quaedam nigra et aspera, qualia etiam in testudinibus, sed minus nigra. Marini (*vulgo est alii*)¹¹ quoque umbilici haec habent, et candida, sed minores minora. Bivaluia autem et univaluia partim his similia sunt, partim dissimilia. Caput namque et cornicula et os habent, et id quod pro lingua gerunt; sed quaedam in minutioribus ob earum parvitatem obscura sunt: quaedam autem etiam in exanimatis aut etiam quiescentibus manifesta sunt. Papaver quoque omnibus inest, sed neque eodem loco, neque eadem quantitate, neque eodem modo apparet: siquidem patellae imo in fundo: (in solo *Codices alii*) bivaluia autem in parte proxima commissurae. (ginglymo.) Capillamenta (*brachias?*)¹² quoque habent omnia haec in orbem disposita, ut pectines. Quodque otium appellatur, id ea, quibus a natura datum est ut habeant, eo tempore cum habent, in altera (*dextra*) parte orbis circumferentiae, quemadmodum et albae carniculae umbilicia. Similis enim in his haec est pars: Ceterum hae partes omnes, quemadmodum dictum est, in maioribus manifestae sunt, in minoribus

aut nulla, aut vix extant: quamobrem planissime in magnis pectinibus percipiuntur. Hoc eorum genus est, qui alteram e valuis planam habent, 13 quasi operculum. Excrementorum exitus in aliis quidem ab latere est: nam ei via data est extus, qua progreditur: [*si quidem papauer excrementum quoddam est omnibus in membrana.*] At quod ouum dicitur, in horum nullo ei datus exitus est, sed e carne protuberat: neque in eadem parte cum intestino situm est, sed ouum ad dextram, illud ad sinistram. Ceteris igitur huiusmodi exitus excrementi est: at patellae, quam feram aliqui, alii auriculam maris nominant, ad fundum testae foramen est ad excernendum. Apparet in hac etiam venter post os, et partes ouorum specie: quorum omnium situm ex dissectionibus perspicere 14 potes. Is autem, quem cancellum vocant, communis et crustaceis et testaceis est. Nam si naturam spectes, similem locustarum generi inuenies; atque ipse nascitur nulli testae iunctus. Cum autem et subeat testam et vitam agitet in ea, hoc similis est testaceis; quae rationes sunt, vt ad vtrumque genus referri possit. Faciem autem, vt simpliciter dicam, aranei gerit, nisi quod cum capitis tum pectoris inferiorem partem maiorem habet. 15 Praetenduntur cornicula duo tenuia, rufa; sub-

sunt iis oculi totidem oblongi, surrecti, qui neque intro recedunt, neque inclinantur, perinde atque cancrorum. Sub his os, quod capillamenta quaedam copiosa circumstant. Haec sequitur situs pedum duorum furcatorum, quibus cibum admo-
vet: tum aliorum vtrinque totidem: postrema ter-
tii pusilli accessio est. Quae pars pectori subditur,
tota mollis est; intra quam, si aperiatur, pallida
materia. Ab ore meatus ad ventrem vsque vnus: 16
at excrementi via nulla apparet. Pedes autem et
pectus durum quidem, sed minus quam cancris.
Cum ipsa testa neque connatus est, neque haeret
ei, quemadmodum purpurae et buccini, sed facile
exiit atque egreditur. Oblongiores sunt, qui in
turbinatis degunt, quam qui in neritis. Diuersum 17
autem genus est eius, qui cum nerite degit: fur-
catam enim pedem dextrum habet pusillum, sini-
strum grandem; quo etiam frequentius vitur ad
gressum: cetera aliorum similis est. Simile huic
deprehenditur etiam in conchis quiddam, quod
cyllarum (*vulgo scyllarum*) appellant, qui more
reliquorum (*conchis*) adhaeret. Nerites testam lae-
vem habet, grandem, (*Codd. alii nigram,*) orbī-
cularem, faciem autem buccino similiorem: pa-
pauer tamen non vtile ad nigrum, sed rubrum
habet: ad medium autem firmiter annexus est.

- 18 Tranquillis diebus soluta haec pascuntur: coortis ventis recipiunt se ad saxa cancelli, atque ibi quietem agitant. Neritae autem adhaerent more patellarum, et earum, quas haemorrhoides (aporrhoides *vulgati Codices*) Graeci vocant, et cetera horum genera omnia. Haerent autem saxis reclinato operculo, quod quasi tegumentum esse videtur. Quem enim vsum ambae valvae bivaluibus, hunc praestat altera tantum pars turbinatis. Intus
- 19 pulpa carnea, inque ea os. Modus hic idem haemorrhoidibus (aporrhoidibus *vulgo*) et purpuris et ceteris talibus. Quae autem grandioreni habent pedem sinistrum, neritis insunt, strombis (*turbinibus*) non insunt. Quodam in genere cochlearum (*cochlorum i. e. umbilicorum vulgo*) inuenias quaedam animalia minoribus gammaris (astacis) fluuiatilibus similia; sed differunt mollitudine partium, quae subeunt testam. Eorum autem faciem in picturis dissectionum discere potes.

C A P. V. (Scaliger continuat C A P. IV.)

Echini ne carneum quidem hoc habent, sed hoc illis peculiare est, vt carne intus omni privati careant: nigra autem illa habent omnes. Echinoxum genera plura sunt: vnum esculentum, in quo quae oua appellantur grandia atque vsui stilia sunt,

aeque in maioribus atque in minoribus. Nam etiam ab initio statim parui ea habent. Alia genera duo, alterum spatangorum, alterum bryssorum: ii in alto degunt, atque infrequentiores sunt. Praeterea echinometrae omnium maximae. Ad haec aliud genus pusillum, spinis magnis ac duris, gigni solitum in profundo multis orgyis mari, quo ad yrinae destillationes vtuntur nonnulli. Ad Toronem echini sunt tum testis tum spinis atque etiam onis albis; sed cum longiores ipsi, tum spinae breuiores, neque satis firmas, sed molliores. Nigrae autem particulae, quae ori applicatae sunt, plures: eaeque vt ad exitus meatum copulatae, ita inter se disiunctae sunt: namque his echinus quasi disseptus et dispartitus est. Motu maxime et agili et frequenti mouentur esculenti: cuius rei argumentum praebent, quod aliquid semper spinis sublatum gerunt. Habent oua omnes, sed quidam minima et cibo inepta. Contigit autem a natura echinis, vt quod in ipsis caput dici solet itemque os imo in parte subtus habeant, excrementi autem exitum in suprema: idque euenit cum turbinatis omnibus tum patellis. Pascuntur enim ab humo: ergo os quidem ad passionem inuersum fuit, excrementi exitus in summi calicis partibus coelum spectantibus. Habet autem echinus dentes quinque

cauos intus, atque inter eos corpus carniforme pro lingua. Huic continuatur gula; deinde venter in quinque diuisus partes excrementi plenus: conueniunt autem sinus eius omnes in vnum ad exitum excrementi, qua testa perforata est. Sub ventre in altera membra rana oua quiaé appellantur continentur, 6 aequae singulis quina, quippe imparia. Supra haec nigrae partes illae ab radice dentium ortum habent, prae amaritudine cibo ineptae. Simile corpus aliquod, aut quod proportione ei respondet, in omnibus animalibus adest; quippe in testudine et rubeta et rana et turbinatis et molluscis reperitur, quanquam colore diuersum. Praeterea haec esui accommodata non sunt: tametsi alia plus, alia minus. Echini corpus ab initio ad finem vsque perpetuum est; superficies autem dissita: similis namque laternae, cui praetenta nulla membrana sit. Spinis autem vitur quasi pedibus; his enim innixus et mouetur et mutat locum.

CAP. VI. (Scaliger continuat CAP. IV.)

Quae tethya vocantur, natura sunt quadam maxime diuersa: his enim solis est vniuersum corpus in calice, cuius natura est inter corium et testam media: quare secari potest tanquam tergus durum. Haeret autem saxis haec testae species,

duosque habet meatus, ab se inuicem distantes, angustos, ac difficulter qui videri queant; quibus excipit humorem ac reddit. Nihil enim excrementi habet, quod visu percipi possit, quale inter cetera ostracea (ostrea) vel echinus, vel quod papauer appellatur. Dissecanti ea tibi occurret primum mem- 2
 brana neruosa crustaceo corpori obducta: hac enim corpulentum tethyi continetur, idque ab ceteris omnibus dissimile; suo tamen in genere tota sibi similis haec caro est. Adhaeret hoc duobus locis et membranae et corio ab latere; quaque adhaeret, vtraque parte angustius est: quibus partibus tendit ad meatus ipsos, qui protinus per ipsum calicem extrorsum ducunt; atque hac emittit atque excipit tum cibum tum humorem, perinde atque si hic os sit, ille autem exitus excrementi. Atque horum alter crassior est, alter tenuior. Intus autem vtra- 3
 que in parte sinus dissepti media continua re quadam: in eorum altero humor inest. Ceterarum partium vel organicarum vel ad sensuum officium pertinentium, ac ne excrementa quidem cuiusquam modi, qualia in aliis sunt, quicquam habent. Color autem tethyorum alius luteus, alius ruber. [Cap. V. Scaligero.] Vrticarum etiam genus pecu- 4
 liare est: saxis enim adhaerent, quemadmodum quaedam testaceorum. Absoluuntur tamen inter-

dum. Carent autem testa, totoque corpore carnosae sunt. Sensum vero habent, atque admotam manum corripunt continentque, sicut polypus brachiis, tanta vi, ut carnem in tumorem tollant. Habent os in medio, atque ab saxo tanquam a testa (ostreo) viuunt. Tum si quid pisciculorum casu quopiam allabatur, comprehendunt, sicut et manum. Sic etiam esculenti quippiam si adpellatur, deuorant. Genus etiam quoddam absoluitur, ac quodcumque nactum fuerit, vel echinos ipsos vel etiam pectines, conficit. Nullum omnino inuenitur in iis excrementum; qua ratione plantis similis est. Sunt autem vrticarum genera duo: minores, quae etiam inter cibos saepius recipiuntur; et maiores eaeque duriores, cuiusmodi ad Chalcidem oriuntur. Hieme igitur carnem compactam habent; quo propterea tempore et captantur et esitantur: aestate fiunt deteriores: euadunt enim fluidae, at-tactaeque soluntur cito, ita ut integrae auelli non possint. Tum aestu laborantes penitiora subeunt scopulorum. Quae igitur molluscorum, crustatorum et testaceorum partes essent. exteriores interioresque, diximus.

C A P. VII. (Scaligero VI.)

Nunc de insectis eodem instituto scribendum est. Multas continet in se species genus hoc: quo-

rum quaedam, tametsi inter se congeneres sunt, tamen communi nominis coniunctione non explicantur, vt apis, crabro, (anthrena,) vespa, (sphex,) et alia similia; itemque quaecunq; alas munitas vagina habent, quemadmodum scarabaeus, (melolontha,) fullo, (carabus,) cantharis, et reliqua eiusmodi. Omnium igitur communes partes sunt tres, caput, alveus ventrem continens, et tertia, quae inter has sita est, cuiusmodi aliis pectus dorsumque dicitur. Hoc in multis vnicum est: sed iis, quae longa multipedaque sunt, multiplex aequat numerum iucisurarum. Insecta omnia etiam praecisa vitam retinent, nisi si qua aut vehementer fuerint frigidata aut ob paruitatem celeriter calorem amittant. Nam sane vespae quoque diuisae viuunt. Igitur cum media illa parte vel caput vel venter viuunt: sine ea autem non viuunt caput. Longorum autem et quae multis mouentur pedibus partes praecisae diu viuunt mouenturque ad vtrumque extremum, ac tam ad praecisuram quam ad caudam tendunt; vt quae scolopendra appellatur. Oculos vero habent omnia: ceterarum autem partium, quae sunt a natura sensuum ministerio attributae, nullam, quae sane appareat, praeter linguae speciem quaedam. Qua etiam testaceae omnia praedita sunt, qua et gustant et attrahunt

- 3 intra se cibum. Ea autem in quibusdam mollis, in aliis robusta valde, vt purpuris: tabani quoque atque asili praeualidam eam habent, et alia paene plurima. Quaecunque enim ad postremam alui partem aculeum non gerunt, iis haec pro telo data omnibus est. Atque haec quidem dentibus carent, praeter pauca quaedam: si quidem muscae quoque ea admota sanguinem cient, et culices (conopes)
- 4 sua pungunt. Habent quaedam aculeum, eumque aut in se ipsis conditum, vt apes et vespae, aut extantem, vt scorpius. Is solus insectorum longam
- c habet caudam; itemque pedes forcipatos, quemadmodum etiam scorpiunculo simile insectum, quod in libris nascitur. Ea quae volucra sunt, praeter ceteras partes alas quoque habent; quorum aliis binae sunt alae, vt muscis; aliis autem quaternae, vt apibus: nulli enim binae tantum, quod aculeum postrema aluo habeat. Quorundam quoque alae teguntur munimento quodam, vt melolonthae: alia eo carent, vt apis. Nulli ad volandum cauda officio est. Ala autem eiusmodi est, vt neque tu-
- 5 bis neque diuisuris constet. Praeterea cornicula prae oculis, vt papiliones et carabi. Quae ad saliendum sunt instituta, iis crura posteriora maiora sunt, atque ipsa postrema, quibus saliant, retroflexa, quemadmodum et quadrupedibus. Omnium

partes quae subtus sunt, a superis differunt, ut etiam reliquis animalibus. Corpus autem eorum 6 neque testaceum est, neque quale in testaceis continetur: neque carnosum, sed medium inter haec. Quare neque spinam habent neque os, nec quicquam sepiarum ossi simile, neque testa amittuntur: se ipsum enim suapte duritia tuetur corpus, neque alterius eget fultura. Ac cutem quidem sed praetenuem habent. Exteriores igitur partes hae sic se 7 habent. Intus autem statim post os intestinum est maximae parti eorum rectum simplexque ad exitum usque; paucis autem inflexum est. Neque viscus ullum, neque adipem habent insecta, sicuti ne alia quidem sanguine carentia. Nonnulla etiam ventrem habent, atque ab eo reliquo tractu intestinum aut simplex, aut flexuosum, ut locustae. Sola non modo horum sed etiam animantium omnium cicada ore caret; sed quiddam eius specie, quod in pone aculeatis simile linguae est, longum, consertum, non diuisum; per quod rore solo alitur. In ventre autem nullum retinet excrementum. Cicadarum genera multa sunt, ac differunt magnitudine ac paruitate. Quae canorae (achetae) appellantur, ad praecincturae locum diuisae (*apertae*) sunt, membranamque habent conspicuam: cicadastrae (tettigonia) autem non habent. [Cap. VII.

8 Scaligero.] Supersunt notis generibus animalia
 c quaedam in mari, quae propterea quod rara sunt,
 nequeunt ad genera referri. Nam piscatorum pe-
 ritiores narrare alia alii soliti sunt: vidisse sese in
 mari trabeculis similia, teretia, aequali crassitu-
 dine, colore nigra. Alia clypeorum specie, rubra;
 frequentibus pinnulis: nonnulla cum figura tum
 magnitudine veretri humani, nisi quod testium
 v loco pinnae haberent duas; haesisseque olim ad
 summum instrumenti, quod multis hamis conser-
 tis constat. Partes igitur animantium omnium cum
 interiores tum exteriores, quae singulis generibus
 aut propriae aut communes essent, hoc quo dixi-
 mus modo sunt constitutae.

C A P. VIII.

Nunc de sensibus dicendum est. Neque enim
 omnibus omnes praeditae sunt; sed quibusdam
 pauciores sunt. Sunt autem plurimum quinque
 numero; praeter quem nullus seorsum alius videat-
 ur: visus, auditus, olfactus, gustus, tactus.
 Homo igitur, et quaecunque sola humo ad motum
 vtuntur, atque animal pariter; quin omnia, quae
 e sanguine concreta sunt, modo animal pariter,
 videntur omnes habere sensus: nisi si cui generi
 2 intercepta perfectio est, cuiusmodi sunt talpae. Hi

enim visu carent: neque enim oculos conspicuos habent; sed ablata cute, quae crassiuscula ad exteriores luminum orbes capiti obtenta est, intus oculi sunt conspicui, constantea partibus iisdem, quibus veri quoque praediti sunt. Nam et continent nigredinem ipsam, atque in ea quam pupillam vocant; et ipsum circulum; ac minora quidem haec omnia, quam sint in iis, qui detectis sunt oculis. Verum horum indicium nullum extat propter corii crassitudinem, quasi in generationis principiis defecta fuerit natura. Sunt enim a cerebro, qua coniungitur cum medulla, meatus nervosi duo validi, qui ad ipsas oculorum sedes tendunt, terminanturque ad superiores exertos dentes. Cetera 3 autem et colorum et sonorum et odorum et saporum sensum habent. Quintum autem sensum, quem tactum vocant, etiam reliqua omnia obtinent animalia. In quibusdam igitur et sensuum instrumenta manifestissima sunt, potissimum vero visionis; definitum enim habent locum oculorum; deinde auditus; in quibusdam enim auriculae sunt, in nonnullis apparent foramina. Similis ratio in olfactu: quaedam enim nares habent; quaedam meatus ad olfaciendum; cuiusmodi avium genus est. Lingua quoque ad percipiendos sapes praedita sunt. At inter aquatilia qui pisces appellantur, 4

ad gustus officium linguam habent, sed incertam atque obscuram, quippe osseam et cohaerentem. Quin nonnullis eorum palatum carnosum est: cuiusmodi cyprini inter fluuiatiles. Itaque non exacte inspectantes id linguam esse putant. Quod autem gustando sentiant, patet: multi enim peculiaribus saporibus delectantur. Nam et amiam et pingues pisces praeter ceteras escas inprimis appetunt; propterea quod eiusmodi escarum gustu ac

5 cibo gaudeant. Auditus autem atque odoratus nullum habent instrumentum manifestum. Nam etsi id videri cuiquam possit, quod ad loca narium est, non sane transit ad cerebrum; sed partim non est

peruium, partim ad branchias fert. Eorum tamen tam auditus quam olfactus manifesta sunt: visi enim sunt fugere strepitus grauiore, quales sunt

6 triremium remigia, adeo vt in diuerticulis suis facile comprehenderentur. Nam tametsi extra aquam sonus exiguus sit, sub aqua tamen qui audiunt, his difficilis magnusque atque etiam grauis esse videtur. Id quod euenit etiam cum delphinos venantur: nam vbi eorum agmen lembis cinxerunt, strepitu inde in mari excitato, cuncti faciunt, vt impetu capto fugiant, atque exiliant in terram, vbi prae sonitu caput grauati capiuntur. Et tamen delphinis nullum apparet auditus instrumentum;

Ergo in piscatibus qui sunt, maxime cauent, ne 7
 quid soni aut remi aut retium cieatur: verum ubi
 eorum greges quopiam in loco deprehendere, capta
 coniectura tanto interuallo demittunt retia, vt ne-
 que remi sonitus, neque scalmio facta maris cri-
 spatium ad eos peruenire possit. Itaque imperant
 omnibus remigibus, vt quam maximo silentio pro-
 moueant naues, vsque dum obsessi intelligantur.
 Interdum etiam, cum eos palantes volunt congre- 8
 gare, idem faciunt, quod, cum delphinos venan-
 tur: obstrepunt enim in saxis; vt perterrefacti
 vnum conueniant in locum, vt possint retibus cir-
 cumueniri. Sed antequam conclusi sint, vt dixi-
 mus, strepitu abstinent: cum circumdedere, tum
 iubent clamorem tollere, et strepere: sonitu enim
 ac tumultu consternati feruntur in retia. Sic etiam 9
 piscatores, cum e longinquo speculati obseruarint
 eorum greges, tranquillo ac tepido mari summo
 fluitantes, capiuntque consilium explorandi, quam
 grandes cuiusue generis sint. Si sine strepitu ad-
 eunt, ibi latent illos, deprehenduntque etiamnum
 fluitantes: quod si quo sonitu forte praenentur,
 illi in conspectu omnium fugiunt. Ad haec in flu-
 uis pisciculi quidam sunt, cottos vocant: ii sub
 saxis degunt. Eorum igitur capturam ita instruunt:
 silicibus saxa ea percutiunt. Itaque inde excussi

feruntur ex sonitu, quem audiuerint, capite gra-
 vati. Eorum igitur auditionis haec argumenta sunt:
 10 Quin non defuere, qui acerrimo auditu pisces esse
 dicerent omnium animalium, idque auctoribus ma-
 ris accolis et piscatoribus, qui id experientia fre-
 quenti profitentur. Praeter ceteros pisces acutissi-
 mus auditus mugili, [*chremps omittunt optimi
 Codices*] salpae, chremidi, et aliis huius generis:
 ceteris minus acutus: itaque ad maris fundum po-
 11 tius degunt. Eadem et olfactus ratio est: cum enim
 piscium maxima pars non nisi ad recentem escam
 appetunt, alii vero minus quam hi; tum non om-
 nes eadem esca capiuntur; sed sibi quisque quod
 expetat, dignoscit olfactu. Quibusdam enim male
 olentes pastus placent, vt salpae stercus. Multi
 quoque pisces in specubus latent: eos captantes pi-
 scatores vbi elicere volunt, specus oras salsamen-
 tarius odoribus oblinunt, ad quorum odorem cele-
 12 riter prodeunt. Quia anguillam quoque ad hunc
 modum venantur, salsamentariis apposisis ficilibus,
 quorum orificiis indant id quod colum vocant. De-
 nique omnes ad nidorem potius feruntur: itaque
 sepiarum frustula, eaque odoris comparandi gratia
 ambustulata obiciunt: prodeunt enim libentius.
 Sic et polypos assatos in retia non ob aliam quam
 13 nidoris causam indere aiunt. Praeterea pisces, qui

rhyades appellantur, effusa vel piscium sorde vel sentina, ab eius odore retro fugiunt. Sanguinem item suum illico sentire dicuntur, ut, quem in locum sparsus sit, inde procul migrent. Certe putida esca in nassam inaperta, non appropinquant, nedum ut ingredi velint: contra recentis cibi nidore illecti protinus etiam de longinquo feruntur atque subeunt. Haec autem omnia vel in delphinia 14 plane videntur: qui cum neque auditus neque olfactus habeant evidens instrumentum, et capitis tamen grauedine a sonitu acoepa laborantes capiuntur, et acute odorantur. Igitur sic patet haec omnibus esse praedita sensibus. Quod vero attinet ad reliqua genera animalium, quorum multitudo quatuor in genera digesta iam fuit, mollusca, testacea, crustata, insecta: ex his mollusca et 15 crustata et insecta sensus habent omnes; si quidem vident, odorantur et gustant. Omnia enim insecta etiam porro sentiant, siue alata sint, siue alis careant, velut apes, et formicae paruae, rubrae, (crispes) mel percipiunt olfactu etiam e longinquo; sulphuris quoque habitu multa intereunt. Quin formicae si aspergantur origani et sulphuris pulvisculo, caui sui sedes relinquunt. Iam ceruini ocnus maxima fugit pars, sed pessime oderunt styracis suffitiones. Postremo cum seipiae, polypique ac 16

locustae capiantur escis, polypique adeo pertinaciter comprehensam teneant, vt prius praetruncari sese quam auelli patiantur: tum si quis pulicariam (conyzam) admoueat, tum ex eo odore aiunt illico escam amittere. Eodem modo se habent in gustu: alia enim aliam escam persequuntur, neque omnia saporibus iisdem delectantur. Apes enim ad nihil putridi assident, sed ad dulcia: culices (conopes) autem nihil dulce appetunt, sed acida.

17 Tactus autem sensus omnibus, vt supra dictum est, inest animalibus. At testa intacta olfactum quidem ac gustum habent: id quod e cibis deprehenditur. Nam purpura ita putridis inescatur, vt etiam e longinquo ea sentiat et appetat. Nam quae ex odoribus iudicant appetenda, eorum quoque saporibus

18 gaudent singula. Praeterea quae ore praedita sunt, saporum tactum vel gratum vel ingratum habent. De visu autem atque auditu nihil certi est: nihil enim valde manifestum est. Videntur tamen solennes et subire et penitus fugere, vbi senserint ferrum admoueri. Namque eorum exigua pars extat, ceterum corpus quasi latibulo conditur. Tum pectines, si digitum admoueas, hiscunt; mox com-

19 primunt se, quasi videant. Quin neritarum captatores secundo flatu adeunt, cum venantur eos ad escam: neque loquentes, sed taciti, quasi illi et

odorentur et audiant: quod si loquantur, aiunt eos subterfugere. In genere testaceorum quae mobilia sunt, echinus, ex iis, quae non mutant locum, tethya et glandes, (balani,) olfactum minime habere videntur. De sensuum igitur instrumentis animalium sic statuendum est.

C A P. IX.

Deinceps autem de voce videamus. Differt a sono vox, et ab his sermo. Nullum ergo animal alia parte quam gutture vocem edit. Quam ob rem quae pulmone carent, eadem voce quoque. Sermo autem est vocis dearticulatio per linguam. Vocales igitur a voce et gutture emittuntur: mutae autem a lingua et labiis; ex quibus sermo est constitutus. Idcirco quae linguam non habent, aut non habent solutam, neque vocem edunt, neque sermonem serunt, sed si quem sonum edunt, hoc aliis partibus effici potest. Igitur insecta neque vocem neque sermonem edunt, sed interiore spiritu sonant, non exteriori; siquidem eorum nullum spirat, sed partim murmurare dicuntur, ut apes et alia alata; partim catinere, ut cicadae: quae omnia sonum cient membrana, quae obtenta est ad praecincturae aperturam, quemadmodum cicadae aliquae attritu spiritus. Muscae quoque et apes atque alia omnia

alas inter volandum attollunt, ac mox contrahunt; sonus enim interioris spiritus attritu fit. Locustae autem saltatoria crura affricantes (*alis*) sonum faciunt. Neque molluscorum quippiam neque crustaceorum aut vocem ullam aut sonum naturalem
 3 emittit. Pisces quoque muti sunt: neque enim aut pulmonem aut arteriam aut guttur habent; sonos tamen edunt quosdam et strepitus ii, quos aiunt vocales esse, ut lyra et chromis: hi namque veluti grunnitum edunt. Sic et aper Acheloi fluvii incolae: praeterea chalcis (*chaleus id est faber Codices meliores*) et cuculus: nam illa (ille) sonum edit similem stridori, hic autem similem cuculo; unde et nomen obtinet. Quae tamen omnia hoc quod videtur vox emittunt partim attritu branchiarum: ea quippe loca spinea sunt; partim e partibus circa ventrem. Horum enim singula (*genera*) habent spiritum; quo attrito atque commoto sonus
 4 cietur. Etiam quaedam e cartilagineis strepere videntur: verum horum sonus potius quam vox debet dici. Nam pectines etiam, cum summam radunt aquam, quo dicuntur volare, strident. Sic ut et marinae hirundines; quae similiter supra mare ita volant, ut aequor non attingant: pinnae enim latas ac longas habent. Sonus igitur quasi volantium auium, non vox est: sic ne aliorum

quidem. Delphin quoque stridet ac gemit, cum in aerem exit; sed alia quam illi ratione. Quippe et vocem et pulmonem et arteriam habet; sed cum lingua ei soluta non sit, et labiis careat, inarticulatam vocem edit. At quas ova pariunt, siue 5 sint quadrupedes, siue huius solius per superficiem mobilia sint, vocem quidem emittunt, sed imbecillam tamen. Quorum alia sibilum emittunt, ut serpentes⁴: alia autem exilem vocem et infirmam: alia autem sibilum breuem, ut testudines. Diuersam ab aliis ranæ habent linguam: mucro namque qui in ceteris absolutus est, ipsis cohaeret piscium more; quod autem gutturi affine est, et solutum et applicatum est, quo suam vocem solent emittere. Ululatum (ololygonem) autem, quem in aqua ciet masculi ranarum, efficiunt, cum ad venerem femellas inuitant. Sunt enim unicuique 6 generi animantium certae voces attributæ ad consuetudinem et congressum, ut suibus, hircis, ouibus. Edit autem ululatum, cum, inferioris mandibulae labio ad summam aquam coaequato, super aqua obducit superiorem. Intentis igitur maxillis, atque idcirco perlucetibus lucernarum speciem præbent oculi: frequens enim noctu coitus fieri solet. Atium genus vocale est; potissimumque loquantur eae, quibus aut mediocris linguæ lati-

tudo, aut ipsa lingua tenuis est. Quarundam igitur vox eadem tam mari quam feminae; in aliis diuersa. Cum multa voce, tum maiore loquacitate praeditae sunt minores quam maiores. Hoc autem earum cuilibet euenire maxime solet coitus tempore. Quaedam quoque inter pugnandum vocem edunt, vt coturnix; aliae, cum pugnam ineunt, prouocantes, [vt perdix:] nonnullae etiam victoriam canunt, vt galli. Maris feminaeque cantus in quibusdam idem est, vt luscinae: silet tamen femina, quamdiu incubat pullosque educat. Sunt in quibus potius canat mas quam femina, vt in genere gallinaceo et coturnicum: feminae enim non canunt. At quadrupedes, quae animal pariunt, vocem emittunt, sermonem nullum edunt; hominis enim is proprius est. Quaecunque igitur sermonem habent, etiam vocem habent; non autem e conuerso. Qui surdi nati sunt, postquam adoleuerunt, vocem quidem omnes emittunt, at sermonem nullum. Infantes autem, quemadmodum ceterorum membrorum impotes sunt, ita linguae quoque per initia: imperfecta enim his est, atque serius soluitur: itaque blaesi balbique sunt plerumque. Differunt autem cum voces tum sermones locorum ratione. Vocis differentiae notissimae graue et acutum, sed genera nulla specie-

discreta sunt. Dearticulatio autem, quam quasi sermonem dicat quispiam, cum in aliis animalibus tum in eodem genere locorum ratione differt. Nam perdices aliae dicuntur caccabare, aliae trissare. (*titubare.*) Auiculae quoque aliam a parentum voce vocem edunt, si alibi quam ab ipsis educuntur, atque alias aues audiant canentes. Iam id quoque obseruatum est, lusciniam instruere pullos ad canendum, argumento, sermonem non perinde, ac vocem, a natura proficisci, sed fingi posse. Quippe homines vocem quidem eandem emittunt, at eodem non loquuntur modo. At elephantus ore ipso sine naribus edit spiritum magis quam vocem, tanquam homo, cum suspirans ingemiscit; simul cum naribus autem raucam tubae asperitatem imitatur.

C A P. X.

Quod attinet ad somnum et vigiliam, ea quae humo sola nituntur, vt mutant locum, eademque sanguine concreta sunt, haec omnia et dormire et vigilare sensu ipso percipimus. Quaecunque enim palpebris praedita sunt, ea conuiuent omnia, dum somnum capiunt. Somniant quoque non solum homines, verum etiam equi, canes bouesque, ad haec oues capraeque, vniuersumque genus animantium, quae animal pariunt; et quadrupeda sunt.

Indicium sumitur a latratu canum. An vero quae
 2 oua pariunt somnient, incertum est; sed manife-
 2 stum est, ea dormire. Aquatilia quoque dormire,
 palam est, pisces, mollusca, crusta intecta, vt lo-
 custas, et eiusmodi. Breui tamen somno vtuntur
 omnia haec, sed manifesto. Ac quanquam ex ocu-
 lis id deprehendi non potest: palpebris enim ca-
 rent: tamen e quiete intrepida coniiiciunt. Nisi
 enim pediculis et iis quos pulices vocant, infesten-
 tur, capiuntur pisces immobiles adeo, vt manu fa-
 cile comprehendi possint. Quod si [in retibus] in-
 clusi moram fecerint, ii quos diximus, pediculi
 pulicesque maximo agmine nocturno inuerti eos
 3 deuorant. Eorum ortus in profundo maris est,
 tantaque frequentia, vt escam, si e piscis pulpa-
 mento constet, si diutius iaceat in terra, absum-
 mant. Itaque circum eam conglobatos saepe tra-
 hunt piscatores. Inde quoque de eorum somno
 coniectura capi potest. Saepenumero enim euenit
 superuentum piscatorum non sentire, sed aut manu
 ipsa capi, aut ictu praeueniri: quo sane tempore
 profunda quiete capti nihil nisi candam placide mo-
 vent. Manifestus somnus eorum fit et ex impetu,
 quem capiunt, si quid, dum quiescant, mouea-
 4 tur: feruntur enim velut e somno excitati. Prae-
 terea noctu, ad ignem [*vulgo in saxis*] dum dor-

miunt, capiuntur. Thynnorum quoque speculatores retibus cingunt dormientes, quos vident capi posse, per quietem cum albuginem oculorum semiapertam ostendunt. Nocte potius dormiunt, quam interdiu, adeo ut ne ad ictum quidem moveantur. Maxima pars quiescunt aut in arena aut in terra, aut lapidi cuiuspiam haerentes in imo maris fundo, aut saxum quodpiam aut etiam sabulum (littus) subeuntes. Lati pisces in arena, in qua eorum figurae vestigia apparent: idcirco fuscina icti prae-
 dae sunt. Quin lupi et auratae et mugiles et alij eiusmodi saepe etiam interdiu sopiti fuscina icti capiuntur: alioquin horum nullus fuscina capi posse existimatur. Cartilaginea vero interdum ad- 5
 eo sopiuntur, ut etiam manu ipsaprehendantur. At delphini halaenaeque ac cetera omnia, quae fistulam habent, ea ab aequore extante dormiunt, per quam respirant, leniter motis pinnis. Delphinum quoque stertentem nonnulli audierunt. Dormiunt et mollusca eodem modo, quo et pisces; et crustacea, ut mollusca. Quod autem insecta quoque somnum capiant, his indiciis colligi potest. Nam ita quiescunt, ut immobilia penitus sine controversia appareant. Id quod in apibus planissimum est: per noctem enim quietem agitant, neque murmur vllum edunt. Patet autem hoc ex his,

quae ante oculos nostros quotidie versantur. Neque enim propterea abstinere motu in tenebris, quia hebeti tam visu sint: omnia enim quibus oculi duri sunt, obscurius vident; sed eadem admoto lumine
 6 nihilo minus quiescere videmus. Plurimum omnium animantium homo somniat. Infantibus adhuc, tum primore pueritia etiam modo constitutis, insomnia nulla fiunt, sed paucissimis ante annum quartum aut quintum incipiunt. Fuerunt etiam et viri et mulieres, quibus nullum vnquam somnium obiectum fuerit. Horum aliqui cum forte aetate prouectiore somniassent, valetudine mutata, partim morte partim morbo affecti sunt.

C A P. XI.

De sensibus, vigilia et somno hactenus. At sexus differentiae masculi et feminae insunt aliquibus animalium, quibusdam non insunt, sed per similitudinem dicuntur, vt parere et praegnantem esse. Tum in animalibus, quae non mutant locum, tum in iis, quae testa operta sunt, nullum est maris feminaeque discrimen. In molluscis autem et molli testa intectis tam mas quam femina est: item in iis, quae solius humi beneficio mutant locum, tum bipedibus, tum quadrupedibus, denique omnibus iis, quae ex coniugio aut animal aut ouum

aut vermem pariunt. In ceteris igitur generibus ²
 simpliciter aut inest aut non inest sexus: nam in
 quadrupedum genere vniuerso tum marem tum fe-
 minam inuenire est. In testaceis autem non inest,
 sed quemadmodum plantae quaedam frugiferae
 sunt, aliae steriles, ita et in his. At in genere in-
 sectorum et in piscibus sunt quae omnino neutram
 in partem hac ratione distinguantur, velut anguilla.
 Cum enim neque mas neque femina est, tum ex
 sese nihil generat. Quanquam piscatores, cum ea- ³
 rum nonnullis deprehenderent capillari tenuitate
 adnatos quasi lumbricos, neque obseruarent, qua
 corporis parte ii essent, imprudenter loquuntur.
 Nam hoc in genere nullum inuenias, quod non ex
 ouo animal pariat. At ouum habere nulla vnquam
 visa est. Praeterea quae animal pariunt, ipsum in
 vtero atque adhaerens, non autem in ventre gerunt:
 concoqueretur enim, sicut et cibus. Postremo
 quam allegant quidam differentiae notam maris fe-
 minaeque in anguilla, quod mas capite grandiore
 oblongioreque sit, femina autem paruo et depres-
 siore, non quod maris ac feminae, sed quod ge-
 neris intersit, aiunt. Sunt etiam pisces, quos epi- ⁴
 tragias (*ab hirco cognominatos*) Graeci vocant;
 cuiusmodi inter fluuiatiles cyprinus et balagrus:
 [barinus *vulgo*:] in his neque ouum neque humor

genitius vilis est: sed qui solida et pingui carne constant, exiguum intestinum habent, et maxime commendantur. Inter pisces quoque, quemadmodum in testaceis et in plantis, aliqui pariunt tantum et generant, at qui ineat, non est: cuiusmodi passerum (psettarum) genus est, et rubellorum (erythrinorum) et hiatulæ: (chanae:) ova enim in
 5 eiusmodi omnibus reperiuntur. Igitur eorum, quae sanguine concretæ animantes solius humi solo mouentur, nec ova pariunt, plerumque maiore corpore longioreque vita sunt mares quam feminae, excepto genere mulino: longaeuiore enim et proceriores mulæ. Inter ea vero eorum, quae aut ouum aut vermem pariunt, cuiusmodi et pisces et insecta sunt, maiores sunt feminae quam mares, ut serpens, phalangium, stellio (ascalabotes) rana. Et ex piscibus cartilaginea illa, quae suapte natura parua sunt: et plerique eorum, qui gregatim de-
 6 gunt, et saxatiles omnes. Quod autem diutius feminae quam mares in genere piscium vivant, eo deprehensum est argumento, quod grandiores natu feminae capiuntur. Marium partes tam superiores quam anteriores praestantiores et validiores et lateribus firmiores sunt: at in feminis eae, quae aut quasi posteriores aut inferiores dici solent. Hoc tum in homine tum in aliis animalibus eodem modo

se habet, modo eorum motus per humum solam fiat, et animal generent. Omnis item femina nervorum et artuum minore firmitate: et quibus pilus est, iis quoque tenuior inuenitur; sicuti quae pilum non habent, id quod eius loco a natura est institutum. Fluxior quoque caro feminae est, et genua magis incurua, et surae tenuiores, et pedes elegantiores eo in genere, quod haec membra aptum natum est habere. Vox quibus natura data fuit, 7 exilior feminis et acutior, praeterquam vaccae: boves autem grauius mugiunt, vaccae vero grauius etiam quam boues et tauri. Quae partes animantibus velut arma a natura datae sunt, ut tam ceteri dentes quam exerti, ad haec cornua ac calcaria, aliaque id genus, quorundam generum maribus omnibus oriuntur, feminae autem carent. Cervae enim cornua non habet, sicut inter aues calcaribus praeditas feminae nulla habent; et subus feminis exerti dentes nulli sunt. In quibusdam tamen tam mas quam femina gerit, sed praestantiora multo maribus sunt, ut cornua taurorum quam vaccarum firmiora.

ARISTOTELIS
DE ANIMALIBVS HISTORIAE
LIBER V.

CAP. I.

Hactenus de omnium animantium partibus tam interioribus quam exterioribus: adhaec de sensibus et voce somnoque: postremo in quibus generibus sexuum discrimina inuenirentur, dictum est. Deinceps eorum generationes persequamur: ac de primis primum. Sunt autem multae multaque discretæ varietate, quanquam partim dissimiles, partim modo quopiam inter se conuenientes. Igitur cum initio partiti simus genera ipsa, in praesentia quoque idem institutum tenere conandum est: tametsi ibi partes contemplaturi ab homine exorsi sumus. Nunc de eo postremo loco agendum est, propterea quod sit ipse omnium animalium operosissimus. Itaque ab iis, quae testa conteguntur, incipiendum

est; deinde de crustatis ceterisque ad eundem modum atque ordinem, molluscis scilicet atque insectis; tum piscium genere, tam quod animal, quam quod ouum parit; postea de auibus; tandem de iis, quorum motus humi tantummodo cietur, dicendum est. Ac dicendum quidem, quae animal, quaeque ouum pariunt. [*Igitur quadrupedes nonnullae et bipedum solus homo animal parit. Gaza vt aliena omisit et damnauit Scaliger.*] Comuni autem natura fuit comparatum, quemadmodum in plantis, ita in animalibus, vt sicuti plantae partim ab aliarum plantarum semine, partim, vbi certa principia similia constiterunt et coaluerunt, sponte prodeant, ac, quemadmodum in doctrina plantarum diximus, aliae de terra capiant alimentum, nonnullae in aliis innascantur plantis: sic et animalia quaedam per formae cognationem ab animalibus generentur, nonnulla sponte, non a congeneribus: quorum aliqua ex putrida vel terra vel trunco; quod insectorum magnae contingit parti: alia in ipsis animalibus [*atque*] ex eorum partium excrementis oriantur. Ergo quae a congeneribus procreantur, in his si et mas et femina reperitur, e coitu generantur. At genera quaedam sunt in piscibus quibusdam, in quibus neque marem neque feminam inuenias: qui genere quidem

cum ceteris piscibus iidem sunt, specie autem differunt. Alii quoque priuatim omnino naturam quandam nacti sunt. Nam feminae sunt sine vlllo mari. Itaque ex his generantur talia, qualia in auiibus irrita, quae Graeci hypenemia, quasi a vento concepta, dicunt. Haec igitur, quae ab auiibus eduntur, inutilia ad generandum omnia sunt: natura enim sola oui absoluendi circumscribitur potestate: nisi alio quopiam modo maris vis communicetur: qua de re exactius in sequentibus dicetur. Euenit autem, vt ex piscium quorundam ovis, sine maris opera natis, partim sine maris quoque, partim non sine maris opera animalia generentur: cuius rei item modum postea declarabimus. Similis enim paene horum atque auium ratio est. Ex his autem, quae sponte aut in animalibus aut in terra aut in plantis aut horum partibus oriuntur, marique atque femina discreta sunt, gignitur quidem aliquid, sed non idem atque imperfectum; vt ex pediculis lendes, e muscis et e papilionibus (publicibus *vulgo*) ouorum specie vermes: ex quibus neque parentum genus instauratur, neque aliud animal, sed talia duntaxat existunt. Primum igitur de coitu dicendum est, et quatenam genera coeant: deinde de aliis, quae aut proprias aut communes naturas nacta sunt.

C A P. II.

Cœunt igitur ea, in quibus mas et femina est. Coitus neque similes omnibus sunt, neque similem in modum aguntur. Quae enim animal pariunt ea terrae solo nituntur ad motum suam et sanguine concreta sunt, horum mares habent instrumenta, quibus dent operam soboli procreandae: non omnes tamen eodem coeunt modo. Sed quae retro urinam reddunt, admotis inter se clunibus, ut leones, lepores, lynces. Leporam quoque femina marem saepe prior conscendit. Aliis autem, quae plurima pars est, idem modus coeundi, vulgaris ille scilicet, qui in maxima parte quadrupedum cernitur, ut marem femina tergo accipiat. Omniaque avium genera coeunt vno hoc tantum modo. Sed sunt in avibus quoque discrimina quaedam: 2 nam aliis subsidentes feminas in terram mares excipiunt, ut tardas et gallinas. Quaedam non se submitunt: nam statim feminam graem mas stans, momentoque temporis passerum more coitum perficit. Ex quadrupedibus ursae decumbentes eodem genere coitus utuntur, quo aliae stantes, admissio maris verare in tergo suum. Erinacei recti, ventribus commissis. Inter ea, quae animal pariunt, 3 et grandiora sunt, neque verruae cerui initum nisi perraro sustinent, neque tauros vaccas propter

veretri rigiditatem, sed cedendo excipiunt feminae genituram: quod certe in cervis [elephantis *Codex aliquis habet.*] cicuribus observatum est. Eodemque quo canes modo coeunt lupi. Feles a tergo non ineunt, sed mari stanti substernit se femina. Sunt sane hoc in genere natura salaces ipsae, adducuntque mares ad coitum, et inter coeundum clamitant. Camelus mas feminam sedentem (*decumbentem*) complexus inquit non clunibus aduersis, sed more ceterarum quadrupedum, totamque diem vterque transigit concubitu: per tempus secedunt in solitudines: neque licet cuiquam interuenire nisi armentario. Cameli genitale eiusmodi nerui natura constat, vt etiam ad arcus vsus pro funiculo interpolent. Elephanti quoque deserta loca petunt, vbi coeant, in primis secundum flumina, quibus sane in locis versari consueuerunt: feminam summissis clunibus et pedibus dinaricatis mas superinquit. Coit vitulus marinus sicut ea, quae retro vrinam reddunt, haerentque diu canum more; grande est maribus genitale.

C A P. III.

Quibus solam per terram motus datus est, quadrupedes ouiparae simili modo coeunt: quaedam enim inquit, eorum more, quae animal pariunt; vt testudo tam marina quam terrestris. Habent

etiam quo meatus coaptari possint, et quo inter
 coeundum cohaereant, vt pastinacae [*nomen vi-*
tiosum, rubetae substituit C. Gesner.] et ranae et
 reliqua genera eiusmodi. [Vulgo et Scalig. Cap. IV.]
 Quae pedibus carent et longa sunt animalia, vt ser- 2
 pens et muraena, circumplexa aduersis ventribus:
 adeoque serpentes conuoluuntur inter se, vt vnus
 serpentis biceps corpus totum videatur. Lacerta-
 rum generi in coeundo modus idem similisque cir-
 cumplicatio.

C A P. IV. [Vulgo et Scaligero V.]

Pisces autem omnes praeter latos cartilagineos
 admotis inter se ventribus peragunt rem. At lati
 caudati, vt raia (batos), pastinaca et alia talia, non
 solum mutuo admotu, sed etiam ineunte a tergo
 mare feminam, quibus scilicet grandior cauda im-
 pedimento non est: at quibus est, vt squatinae,
 attritu perficiunt, ventribus inter se commissis.
 Sunt qui dicant, sese animaduertisse cartilaginea
 quaedam, quae auersa inter se canum more cohae-
 rerent. Cartilagineorum feminae grandiores sunt 2
 quam mares: id quod fere in ceteris etiam piscibus
 euenit. Porro cartilaginei sunt tum hi, tum bos,
 lamia, aquila, torpedo, rana, et mustelina genera
 omnia. Omnes igitur cartilaginei deprehensi sunt
 a multis his coeuntes modis: diuturnior enim com-

plexus eorum omnium, quae animal, quam quae ouum pariunt. Delphini quoque et omnia cetacea eodem modo planis admotis partibus inter se, neque parum neque multum temporis in coitu ponunt. Cartilaginei nonnulli mares duo quaedam appensa habent ad exitum excrementorum, quibus a feminis, quod eae his carcant, distinguuntur. Patet hoc in mustelorum generibus, quorum nulli ea desunt. Testes igitur neque piscis neque aliud quippiam pedibus carens habet; meatus tantum duos tum serpentes tum pisces mares, qui genitili succo tempore coitus implentur; omnesque lacteum humorem emittunt. Porro horum uterque in unum (*membrum*) coeunt, quemadmodum etiam auibus. Aues namque intus habent testes, ceteraque omnia et quae ouum pariunt et pedibus praedita sunt. Illud igitur (*membrum*) continuatum extenditur et pertingit in femellae locum et receptaculum. Est autem pedestribus, quae animal pariunt, idem et geniturae et humidi excrementi meatus exterior, intus autem diuersus, quemadmodum supra diximus in partium differentiis. At quae vesicam non habent, idem etiam sicci excrementi ductus est exterior: interius enim [duo] proximi inter se sunt. Neque mas et femina eo inter se differunt: carent enim vesica, nisi testudo: at hoc in genere feminae

marinae?) singularis meatus est, licet vesicam
 habeat. Et tamen testudines sunt ex ouiparis. At 5
 piscium ouiparorum coitus incertior est: quo fa-
 ctum est, vt crediderint plurimi, feminas impleri
 deuorata marium genitura. Id enim euenit saepe-
 numero, vt videretur. Coitus namque tempore
 feminae secutae masculos hoc agunt, oreque eorum
 ventres subtus tundunt, atque illi et celerius et
 largius profundunt. Partus autem tempore mares
 feminas sequentes foetarum oua edita carpunt: nam
 pisces iis, quae reliqua sunt, generantur. Circa 6
 Phoenicen instituunt venationem alterno sexu: nam
 subductis maribus feminarum greges, et ostensa fe-
 mina mares circumretiunt. Quare cum saepe id
 sit animaduersum, fecit opinionem eiusce coitus ge-
 neris. At hoc idem faciunt etiam quadrupedes
 coitus tempore: maris enim ac feminae ab genita-
 libus destillat aliquid, easdemque partes inter se
 odorantur. Perdices quoque feminae, ex aduerso 7
 mares si constiterint, ex ea parte vento excepto,
 concipiunt. Saepe etiam voce duntaxat audita, si
 per id tempus pruriant: etiam superuolantibus illis,
 ita vt feminas afflent. (*alii Codd.* vt aura ab his
 afflet.) Hiant autem tum mas tum femina, ac linguam
 exerunt coeuntes. At verus ouiparorum piscium coi-
 tus rarius est animaduersus, propterea quod ven-

tribus admotis congressi celeriter dilabuntur. Nam modo antea dicto hi etiam coire visi sunt.

C A P. V. (vulgo et Scaligero VI.)

Mollusca eodem modo coeunt, polypus, sepia, loligo. Os enim ori, brachia brachiis componunt. Polypus cum eo, quod vocant caput, in terram verso nitens brachia explicauerit, alter passis item flagellis adaptat sese ita, vt acetabula inter se continentur. Aiunt nonnulli, marem habere non nihil simile genitali in vno ex brachiis, quod duo maxima acetabula continet; id protendi quasi neruosum vsque in medium brachium, atque totum in nares 2 feminae inseri. Sepiae autem et loligines complexae, commisso inter se vtrinque ore et brachiis, contrariis natatibus simul feruntur. Aptant etiam nares quae vocantur naribus: natant autem altera prorsum, altera rursus. Edunt oua per tubum, quem physeterem Graeci, fistulam Latini vocant, qua parte etiam coire dicuntur a quibusdam.

C A P. VI. (vulgo et Scaligero VII.)

Crusta contexta, vt locustae et gammari et squillae atque eiusmodi, eorum modo coeunt, quae retro vrinantur, vt, cum alter supinam inuertat caudam, ei suam interponat alter. Coeunt ineunte

vere iuxta terram, vt saepe est obseruatum: alicubi etiam, vbi fici maturescere incipiunt. Idem modus etiam gammaris et squillis. Cancris autem anterioribus partibus inter se coniunguntur, compositis mutuo applicatu caudis plicatilibus. Prius cancer qui minor est a tergo inscendit, mox alter maior in latus se (*et in dorsum*) inuertit. Ac sane a mare femina nihil differt, nisi quod ei cauda illa ad ventrem replicata et maior est et distantior, ac barbulis plurimis differta, in quam illae edunt oua, et qua excrementum reddunt. Pars autem, quae alteri inseratur, neutri data est.

C A P. VII. (vulgo et Scaligero VIII.)

Insecta primo congressu coeunt auersa inter se; deinde conscenditur a minore maius: minor enim mas est: in quem inserit surrectum sursum meatum: suum femina, non, quemadmodum in aliis, in eam mas. Atque ea quidem pars in quibusdam videtur maior quam pro totius corporis ratione, cum illa admodum parua sint; in aliis autem minor. Hoc autem videtur, si coeuntes muscas disiunxeris: vix enim absoluuntur ab se inuicem: nam horum coniunctio diuturna est. Exemplo quoque familiari hoc deprehenditur, vt in muscis et scarabaeis, (cantharidibus,) quae eodem modo coeunt, sicut et ce-

tera omnia, vt sphondylae, et phalangia, et alia generis eiusdem, quae coire solent. Phalangia ea, quae telam texunt, sic coeunt. Femina distentae telae e medio fila cum traxerit, vicissim mas trahit contra. Hoc cum saepe fecerint, tum congregiuntur atque clunibus aduersis copulantur. Conuenit enim is coeundi modus illis propter ventris habitudinem orbicularem. Coitus igitur omnium animalium hoc modo fit.

CAP. VIII. (vulgo adhuc VIII. Scaligero IX.)

Coeundi autem tempora atque aetates suae cuique praescripta sunt. Igitur natura vult plurimorum coitum animalium per idem tempus agitari, cum hiems cum aestate commutatur; tunc enim ver est: quo tempore maxima et alitum et terrestrium et natantium pars impetum capit ad eiusmodi coniunctionem. Nonnulla tamen et coeunt et pariunt tum autumno tum hieme, vt ex aqualibus et ex volucris quaedam. Homo autem potissimum per omne tempus, multaue eorum, quae humi tantum mouentur, atque homini sunt familiaria, tum propter teporem tum ob victum largiorem. Atque haec sane haud multum temporis vterum gerunt: cuiusmodi sus et canis est: e volucris autem ea, quae frequenter pariunt. Mulia

etiam facta coniectura temporis, quo foetum suum educare debent, opportuno tempore coeunt. Stimulatur ad coitum homo mas hieme potius, femina autem aestate. Maxima anium pars, quemadmodum dictum est, verno tempore atque aestate appetente et coire et parere instituit, praeterquam alcedo: parit enim circa brumam. Idcirco tempus id cum est tranquillum, alcedonii dies vocantur, ante brumam septem⁴ et totidem post. Id quod etiam Simonidis carmen testatur: *vt cum per mensem hibernum Iupiter bis septem dies temperauit: quod tempus mortales obliuionem ventorum, sacram nutricem pictae alcedonis vocant.* Eua-³ dunt autem tranquilli, cum euenit, vt Vergiliarum occasum aquilonium austrina bruma excipiat. Aiunt septenis diebus nidum aedificare, septenis alteris pullos et parere et educare. Atque in his sane locis non semper apparent alcedones hiberno aequinoctio; at in mari Siculo paene semper. Pariunt autem ad quinque oua.

[Vulgo C. IX.]

Mergi autem et gaviae (aithyiae et lari) in maritimis cautibus duo aut tria numero: verum gavia aestate, mergus autem statim a bruma ineunte vere; et superdormit (*inubat*) aharum more anium. Neutra harum latet. (*conditur.*) Rarissime venit in

conspectum alcedo: fere enim circa Vergiliarum occasum apparet tantum; atque vt in portu primulum quantum nauigium circumuolarit, euolat illico. Idcirco Stesichorus ad hunc modum de ea meminit.

- 5 Parit luscinia quoque aestatis initio quinque sexue: latet autem autumnò ad veris vsque tempus. [Cap. X. Scaligero.] Insecta quae non conduntur hieme, per id quoque tempus coeunt: id quod euenit tranquillâ et austrina tempestate. Sic muscae et formicae. [Cap. XI. Scaligero.] Siluestrium animalium bona pars semel in anno pariunt, modo ne superfoetent, vt lepus.

C A P. IX. (vulgo adhuc IX. Scaligero XI.)

Sic etiam plurimi piscium semel, vt qui chyti a Graecis, a nobis fusanei dicuntur, ii nempe qui retibus circumueniuntur, thunnus, pelamis, mugil, chalcis, coliae, [*optimi Codd. addunt collaenae,*] chromis, passer, et alia eiusmodi, praeter lupum. Is namque ex his solus bis; ac foetus quidem posterior imbecillior est. Trichias autem et saxatiles bis. Solus nullus ter; quod ex foetura deprehenderunt: trinam enim circa quaedam loca
 2 obseruarunt. Scorpio autem bis, etiam sargus bis, vere et autumnò. Salpa autumnò semel. Thunna autem semel: nam propterea bis parere credita est,

quia partim tempestivus, partim cordus eius foetus est. Nam prior soboles exit circa mensem Poseidonem a bruma, posterior vere. Differt a femina thunnus mas pinnula, quam illa sub ventre habet, ipse non habet; aphareum vocant. [Cap. vulgo X.] Sola e cartilagineis squatina parit bis, initio autum- 3
 tumni et circa occasum Vergiliarum, sed commo-
 diore vtitur autumno. Parit autem septena octo-
 naue circiter. Putarunt quidam, mustelorum ali-
 quos bis parere in mense, vt asteriam; (*stellatum*;) quod contigit propterea, quod non omnia simul ova perficiuntur. Quaedam autem omni tempore 4
 pariunt, vt muraena. Parit haec multa ova, quae e paruis celeri incremento adolescunt, sicut et hippuri foetus, qui e minimo grandissimus celerissime euadit. At muraena omni parit tempore; hippurus vere tantum. Differt a muraena myrus. Muraena enim [valde] varia et imbecillior: ille vnicolor et validus et pini (pityos) arboris colore similis. Dentes quoque habet intus extraque. Aiunt, quod etiam in ceteris, hanc esse feminam, illum marem. Egrediuntur in siccum, ac saepenumero capiuntur. Fere omnibus igitur piscibus commune est, vt ce- 5
 leriter crescant; maxime autem omnium inter parvos coracino accidit. Parit is prope terram algosis in locis et opacis. Orphus quoque cito e pusillo

grandis fit. Pelamides autem et thynni in Ponto tantum neque alibi pariunt. Mugiles, auratae, lupi, potissimum qua fluvii influunt. Orcynes autem et scorpides (*Codd. alii scombrides*) aliaque
 6 genera multa in alto mari. [Cap. XI. vulgo.] Pariunt plurimi piscium tribus mensibus, Munychione, Thargelione et Scirrophorione: (*Martio, Aprili, Maio:*) autumno pauci, salpa, sargus et similia quaedam: paulo ante aequinoctium torpedo et squatina. Pariunt quidam etiam hieme, etiam aestate, quemadmodum antea quoque dictum est. Per hiemem lupus, mugil, acus: per aestatem mense Iecatombaeone (*Iunio*) thynna circa solstitium folliculo simile, in quo ova minuta multa continentur. Item rhyades aestate pariunt. In mugilum genere chelones (*labeones*) incipiunt foeti esse mense Posideone; (*Decembri:*) item sargus et myxo (*muco*) et cephalus; (*capito:*) gerunt utrumque dies tricenos. Mugiles non omnes e coitu generantur, sed aliqui
 7 oriuntur e limo et arena. Igitur maxima pars vere foeta est. Quanquam autem aestate aliquot et hieme et autumno, ut dictum est, non tamen aut similiter aut simpliciter, aut cuius generi contingit; quemadmodum illis qui in vere; neque numerosis partibus alio tempore frequentantur. Illud autem omnino non debet latere nos, quemadmodum et

plantae et quadrupedes pro locorum diuersitate variantur, neque solum secundum corporis felicem habitudinem, sed etiam coitus partusue frequentia: sic regionum ratione pisces ipsos alios atque alios fieri non solum magnitudine et nitore, verum etiam foetura et coitu; ita vt eodem in genere alibi saepius alibi spissius pariantur.

CAP. X. (vulgo XII. Scaligero adhuc XI.)

Vere pariunt etiam mollusca, et cum primis marinorum sepia, quae tamen omni etiam tempore parit, effoetaque fit die demum quinto decimo. (*Athenaeus* parturit dies 15.) Vbi ova ediderit, ea mas assecutus e physetere vocato aspergit atramento, (*alii Codd. genitura,*) atque inde solidescunt. Degunt coniugatim. Est autem mas varius quam femina magis, dorsoque nigriore. Polypus hieme coit, vere parit. Duos circiter latet menses. Edit ouum quasi cirrhum, simile albae populi (vitia *Guilelmi versio*) fructui. Foecundum sane animal est: nam ex eo quod ediderit, infinita multitudo provenit. Differt a femina mas capite (*sic vocato*) oblongiore, et id quod genitale vocant pisces, habet in brachio candidum. Quae peperit, incubat; quo tempore deterrimi sunt: neque enim tunc in pastum eunt. Nascuntur purpurae verno tempore, 2

et buccini hieme affecta. . Ommino quae testa operiuntur tum vere ~~tota~~ autumno inueniuntur plena iis, quae oua appellantur, praeter echinos esculentos. Nam quanquam ii quoque per haec tempora illa habent, tamen ne alias quoque vnquam carent; praecipue autem pleniluniis et tepidis diebus. Ceterum qui in euripo Pyrrhaeorum degunt, per hiemem magis commendantur: minutiores sunt ii, sed pleni ouorum. Per idem tempus (*veris*) umbilicos omnes quoque praegnantem aequae esse constat.

C. A. P. XI. (vulgo XIII. Scaligero XII.)

Siluestrium auium plurimae, quemadmodum dictum est, semel coeunt et pariunt. Hirundo autem bis, et merula; sed eius foetum priorem hiems necat: maxime enim mature omnium auium parit. Alterum autem posteriorem educat, quoad perficiatur. Quae autem cicures aut per se sunt aut fieri possunt, eae frequentius, vt columbae tota aestate; et gallinae: coeunt enim tam mas quam femina in genere hoc semper ac pariunt, praeterquam per brumam. Columbini generis multae sunt species. Est enim diuersa liuia (*pelias*, *Scaligero* turrilia) a columba, ac minor quidem hac, mansuescit autem citius columba. Tum autem liuia siue turrilia nigra ac parua pedibusque et ru-

bentibus et asperis. Ergo nullus eam alere instituit. Maxima harum omnium palumbes, (phatta,) proxima rupilia; (oenas, *Gazae* vinago;) siquidem haec paulo maiuscula est quam columba: minima autem turtur. Pariunt vero columbae toto anni tempore, atque etiam educant, si et loci tepidi et eorum, quae opus habent, utantur commoditate. Sin autem desint haec, aestate tantum. Pulli verni et autumnales meliores: aestiui, aut aestu infestis diebus qui oriuntur, pessimi.

C A P. XII. (vulgo XIV. Scaligero XIII.)

Differunt autem inter se aetatis ratione ad coitum animalia. Principio non est plerisque idem initium et excernendi seminis et facultatis generandi; sed haec postea accedit. Omnia namque animalia prima aetate aut nihil generant, aut generant sobolem tum imbecilliolem tum minorem. Id quod planissime apparet et in hominibus et quadrupedibus, quae animal pariunt, et in auibus. Illorum enim proles, horum oua minima sunt. Aetas autem ad coitum accommodata suo cuique in genere per idem fere tempus plurimis euenit, nisi quippiam occupet aut ex prodigio, aut ex naturae nocumento. Igitur in homine indicio est tum vocis mutatio, tum genitalium et magnitudo et facies,

atque etiam mammae, potissimum autem ortus pubis. Incipit ferre semen circa bis septem annos, sed prolificum ter septenos annos circiter. Ceteris animalibus pubes nulla oritur: nam quaedam pilis omnino carent: quaedam autem aut nullos habent in partibus inferioribus, aut pauciores quam in superioribus. Vocem autem in aliis mutari, manifestum est: in aliis autem aliae corporis partes indicant initium tum seminis copiae tum foecunditatis. Habent omnino feminae fere vocem acutiorem, et iuniores quam seniores. Nam cerui quoque mares grauiorem quam feminae vocem emittunt. Mares edunt vocem coitus, feminae autem metus tempore. Feminae breuior vox, mari prolixior. Et senescentibus canibus ingrauescit. Equorum quoque voces diuersae sunt: statim enim natae femellae vocem edunt tenuem atque exiguam: pulli autem, etsi puillam, maiusculam et grauiusculam tamen: procedente autem tempore plenior. Bimatum autem ubi attigit mas, et inire inceperit, magnam tum ac grauem, femina autem maiorem et clariorem quam antea; idque ad vicesimum vsque annum fere. Post id temporis tamen infirmiore edunt tum mares tum feminae. Magna igitur ex parte, vt diximus, vox grauior a mare quam a femina emittitur fere, quorum scilicet vox cum productione emittitur.

Neque tamen id in omnibus animalibus, sed in quibusdam e contrario fit, ut in bobus. Horum enim feminae grauiorem vocem edunt, quam mares: et vitulis grauior, quam adultis. Quo fit, ut, si caestrentur, in contrarium mutant vocem, siquidem in femineam. Aetatum autem tempora in animalibus sic se habent. Oues capraeque anniculæ et ineuntur et vterum gerunt, sed caprae potius: mares autem quoque eodem tempore. Verum quæ ab his maribus et quæ ab aliis generantur, differunt. Namque mares cum altero anno meliores fiunt, quam vbi senescunt. Sues coeunt tam mas quam femina non ante octauum mensem: sed non nisi annicula parit femina; ita enim tempus foetificationis congruit. At mas ab octauo mense ad duodecimum vsque generat, sed vitiosa. Verum, quemadmodum diximus, locorum ratione aetates variantur. Est enim, vbi sues quadrimestres tam mas quam femina coeant, atque adeo, ut altero inde mense et gignere et educare queant. Alicubi autem apri etiam decimo incipiunt coire mense, durant autem vsque ad triennium. Canis vtriusque sexus anniculus coit; quanquam aliquando etiam octauo mense: sed hoc saepius contingit maribus quam femellis. [*Vulgo contrarium dicitur.*] Fert vterum diebus non paucioribus sexagenis, vno

- alteroue aut ad summum tertio adiecto: citra illud tempus quod editum fuerit, non potest educatione perfici. A partu non ante sextum mensem coitum repetit. Equi mares et feminae bimii coire incipiunt, atque etiam generare: at pulli qui per id tempus concipiuntur, minores sunt et imbecilliores. Verum plurimi, ut tertio anno coeunt, atque inde ad vicesimum vsque annum in dies semper fiunt ad generandam sobolem praestantiores. Admissarii ad tertium vsque et tricesimum vtilis sunt: equae autem ad quadragesimum. Quo fit, ut paene toto vitae tempore coeant. Viuit enim fere mas annos circiter quinque et triginta, femina autem excedit etiam quadragesimum. Iam vero etiam septuaginta quinque vixit equus quidam. Asinus asinaque tricesimo mense coit; verum raro generant nisi trimi aut etiam sex mensibus grandiores. Quanquam etiam annicula et gessit et educauit. Iam vero et bucula annicula et peperit et educauit foetum, qui ad eam adcreuit magnitudinem, quam par erat adipisci, nec amplius. Haec sunt tempora, quibus animalia haec incipiunt generare.
- 8 Viro septuagesimus annus, mulieri quinquagesimus meta vltima est generandi. Hoc tamen raro paucisque euenit, his ut aetatibus liberos procrearent; sed virorum plurimi quinto et sexagesimo

cessant, mulieres autem quinto et quadragesimo. Ovis vsque ad annos octo parit; quod si bene tractetur, ad vndecimum vsque. Paene autem toto vitae tempore tam mas quam femina coit. Hirci praepingues minus sunt habiles ad generandum: a quibus vites steriles hircescere dixerunt Graeci. Qui si paulo graciliores fiant, eorum coitus proficit ad generandum. Ineunt arietes grandissimas natu primum; iuenculas autem non appetunt. Pariunt autem, quemadmodum supra diximus, agnae minores soboles quam adultae oves. Apri coitus utilis ad tertium annum perfectum vsque; grandiorum soboles deteriores: neque enim inde proficit, robore destitutus. Inire solet satur, et vbi prius alterum non inscenderit: alioqui et celerius absolvunt, et foetus crescunt minus. Minimos vero editus primipara; altero autem partu viget; senescens nihilo minus parit, sed marem tardius admittit. Quintum ac decimum natae annum cessant parere atque efferantur. Quo largius aluntur, eo citius tum iuniores tum vetulae ad coitum sollicitantur. Praegnantem si valde pinguescant, foetu edito minus habent lactis. Quod pertinet ad aetatem, a vegetis parentibus praestantissimi foetus eduntur; quod ad anni partes spectat, qui ineunte hieme generantur; deterrimi aestiui. Pusilli hi et exiles et

N

soluti. Mas si bene tractetur, quouis tempore vel interdiu vel etiam noctu inquit; sin minus, potissimum mane. Ac senescens quidem deterius semper, vt dictum est. Saepenumero qui aut per aetatem aut ob impotentiam nequit expedite absoluere coitum, cum femina stando fessa decubuit, concumbens inquit. Concipit scrofa maxime postquam subans aures demiserit; sin minus, quando iterum subat. Canes non quamdiu viuunt, sed quamdiu vigent, marem admittunt; ita vt fere tum coeant tum vterum gerant ad duodecimum annum. Quamquam tam mari quam feminae et coitus et generatio contingit anno duodeuicesimo, atque etiam vicesimo. Atque his quidem et generandi et pariendi facultas tollitur etiam senectute, sicut et aliis. Camelus retro mingit, et inquit, vt supra dictum est. Coitus tempus in Arabia mense Maemacterione; (Septembri;) fert menses duodecim; vnum parit: vniparum enim est. Incipit tum femina tum mas in trimatu; foetu edito, ante annum exactum non repetit venerem. Elephas femina coit, cum citissime, anno aetatis decimo; cum tardissime, quinto decimo; mas autem quinto sextoue decimo: verno sane tempore: tertio post anno coitum repetit. Quam impleuerit, non amplius attingit. Fert annos duos: vnum parit: est enim vniparum animal.

Pullus editus aequat bimestris aut trimestris vituli magnitudinem. Atque hic modus est coeundi animalibus, quae coitu generantur.

C A P. XIII. (vulgo XV. Scaligero XIV.)

Nunc de generatione tam eorum, quae a coitu, quam quae sine eo proueniunt, dicendum est. Ac primum quidem de iis, quae testæ teguntur: solum enim, ut ita dicam, genus hoc totum coitus expera est. Purpuræ igitur verno tempore eundem in locum congregatae faciunt id quod vocant fauaginem; est enim faui speciei, sed minus expolita, quemadmodum si ex folliculis alborum eicerum multis quiddam compectam. Nullus his patet exitus, neque inde fiunt purpuræ, sed tum illa tum testacea alia ex limo et putredine proueniunt: illud autem est quasi purgamentum purpurarum, ut et buccinorum: nam buccini quoque fauificant. Generantur igitur haec quoque fauificantia, quemadmodum cetera testacea, facilius tamen, si qua subsint principia referentia genus suum. Cum enim incipiunt fauificare, emittunt lentorem quendam mucosum, ex quo folliculi concresecunt illi. His igitur omnibus solutis, affluit in terram ichor (*humor*), quem continebant. Atque eo in loco purpurillae minutae oriuntur atque concresecunt, quae haerentes pur-

puris capiuntur; aliquot etiam inchoatae tantum. Quod si ante partus tempus capiuntur, in ipsis stercoribus non temere pariunt, sed in eundem locum conuentu facto, quemadmodum etiam in mari; sed propter cratium angustias racemi speciem capiunt. Sunt autem purpurarum genera multa: nam quaedam grandes, ut ad Sigeum et Lectum; aliae paruae, velut in Euripo et ad Cariam. Tum quae in alto mari degunt, magnae sunt atque scabrae: quarum plurimae florem illam suam atrum habent, aliquae rubrum exiguum. Ex magnis sunt, quae etiam minam pendunt. Quae in littoribus et circa oras [petras *Codices alii*] maris oriuntur, paruae quidem sunt, sed flore rubro. Praeterea in aquiloniis tractibus nigrae, in austrinis rubrae fere sunt. Capiuntur vere, quo tempore fauos facere incipiunt; sub canicula autem non pascuntur, sed tum sese condunt ac latent. Florem continent inter papauer et collum, quorum contextus [*connexio?*] densus est. Speciem habet membranae candidae, quam auferunt; qua pressa, manus flore tingitur. Per eum transit tanquam vena; hoc ipsum flos esse videtur. Reliquus contextus quasi aluminis. Cum fauos faciunt, deterrimus flos est. Paruas cum testis suis tundunt; neque enim facile auferuntur: at maioribus testa exutis florem detra-

hant. Ergo collum cum papauere separant; quorum in medio flos est, supra eam partem, quam ventrem vocant: quare dum is auferatur, necesse est diuidi. Dant operam, vt. viuentes tundantur: nam antequam frangantur, simul atque moriuntur, florem euomunt. Quamobrem congregatas in nassis asseruare solent, donec etiam nacti fuerint. Ventes adiuctas escae nassas non demittebant; eueniebat itaque saepe numero, vt iam extractae reciderent. Nostra aetate alligant nassas; ne, si decidant, amittantur. Facile autem; cum sunt plenae (*gravidae?*), delabuntur, at imnes (*non gravidae?*) etiam difficulter auelluntur. Atque haec sunt, quas priuatim ad purpuras pertinent. Modus idem, idemque tempus generationis buccinorum; sicut et purpurarum. Coopercula [quoque] eodem modo habent tam horum vtraque tam cetera turbinata, secum simul nata omnia. Prodeunt in partem lingua sub operculo (*rostrum tubulato?*) exserta: cuius linguae magnitudo digito maior est, qua pascuntur, et pertundunt conchas, atque etiam sui testam generis. Tam purpura quam buccinum diu viuunt: purpura enim ad annum sextum usque. Manifestum quotannis deprehenditur incrementum ex vorticis in testa interuallis. Fauificant et mytuli; (*myes;*) at in coeno consistunt principia gene-

rationis ostreorum, quae lacustria dicuntur. Conchae et chamae et solenes et pectines in sabulosis constitutionem suam nanciscuntur. Pinnae autem surrectae e fundo enascuntur in sabuletis et coeno. Habent intra se custodem aut squillam aut cancelum, quo amisso celerius pereunt. Omnino omnia testacea sponte e limo proveniunt, alia ex alio: ostreae in coenoso; conchae et quae supra diximus, in sabuloso; circa saxorum caua tethya et glandes, et quae per summa adhaerent, ut patellae et neritas. Omnia igitur huiusmodi celeriter crescunt: celerrime autem et purpurae et pectines: anno enim primo perficiuntur. In quibusdam autem testaceis cancri albi, admodum minuti, innascuntur, potissimum in mytulis limosis: deinde in pannis ii, qui dicuntur pinnotherae; tum autem in pectinum genere et ostreis lacustribus. Neque ad ullam notabilem crescant magnitudinem: ferunt piscatores, eos cum ipsis nasci. Latent aliquo tempore in arena pectines, sicut et purpurae. Nascuntur igitur ostrea, (bivalvia) quemadmodum diximus; verum alia aliis locis. Alia vadis, alia littoribus, partim lutosi, quaedam duris atque asperis, vix nulla arenosis. Ac quaedam mutant loca, quaedam non.

10 Quae non mutant, partim radicibus affixae sunt, ut pinnae; partim sine radice permanent, ut solenes

et conchae, quae auulsa viuere nequeunt. Quae stella appellatur, adeo calida est natura sua, vt quicquid assumserit, si statim eximatur, discoctum reperiatur. Aiunt autem ab hac peste Pyrrhaeorum Euripum magnopere incommodari. Facies eius stellas pictas repraesentat. Nascuntur sponte ii quoque, qui pulmones nominantur. Concha (ostreum), qua pictores vtuntur, longe praestat crassitudine, floremque suum extra testam habet additum; plurima adiacentibus Cariae locis. Can-¹¹ celli autem primordia generationis e terra et limo sunt; inde concham inanem subit. Vbi creuerit; amplio-rem in testam transmigrat, puta neritae, turbinis aliorumque eiusmodi. Saepe etiam in buccina parua sese induit, quod etiam circumfert, et in quo rursus alitur: auctus tamen iterum in aliam ingreditur capacio-rem testam.

C A P. XIV. (vulgo XVI Scaligero XV.)

Idem modus generationis eorum quae testa carent, qui et testaceis: cuiusmodi sunt et vrticae et spongiae, quae haerent saxorum cauernis. Vrticarum duo genera: quaedam canis haerent petris neque abso-ntantur: aliae autem laeuibus et planis, quae abso-ntant se, et sedem mutant. [*Quod etiam patellae faciunt, vt abscedant et alio migrent.*]

In spongiarum cauis pinnophylaces (*pinnarum custodes*) insunt; caua autem obducit velut aranearum tela, qua vel diducta aut contracta pisciculos venantur; ingressuris enim aperiunt; ingressis occludunt. Spongiarum genera tria sunt, rarum, densum, et tertium quod Achilleum vocant. Tenuissimum hoc et densissimum et validissimum, suppositum galeis et ocreis facit, vt ictuum sonitus leuior sit: rarum sane inuentu. In genere densorum quae spongiae durae sunt vehementer atque asperae, hirci vocantur. Aut ad saxa aut ad littus oriuntur omnes: aluntur limo: quod animaduersum est, cum eo plenae captae sunt. Idem vero accidit ceteris plantis, vt qua parte adhaerent, alimentum capiant. Minus validae sunt densae, quam rariae, propterea quod minus adhaerent. Sentire quoque eas hoc arguamento deprehensum ferunt. Nam si sese auulsum iri praesenserint, contrahi adeo, vt haud facile auferantur. Id quod etiam facit vehementi spirante vento et vndabundo mari, ne decidunt. Sed sunt, qui hac de re dubitent, atque inter hos Toronenses. Alunt intra sese animalia, vt lumbricos aliaque eiusmodi, quae, cum illae extirpatae sunt, vna cum radicum reliquiis a saxatilibus pisciculis deuorantur. Si autem abrumpanur, ex eo quod relictum est, renascuntur et

complentur. (*Variant libri narrationem. Vide annot.*) Spongiarum maximae igitur raras illas et frequentissimas circa Lyciam; molliores densae; compactissimae Achilleae. Omnino quae in profundis et tepidis locis sunt, mollissimae: vento enim et frigore, sicut et alia plantarum genera, indurantur, atque crescere prohibentur. Quare Hellenponticae asperae sunt et densae: denique molliores durioresque, prout ultra citraue Maleam oriuntur. Quanquam ne aestu quidem vehementi opus habent: puterent enim, sicut et plantae. Itaque quae nascuntur ad littora, si profunda sint, praestantissimae: temperantur enim ad utrumque (*frigus et aestum*) ipsa profunditate. Nisi lauentur, dum viuunt, sunt nigrae. Haerent neque vna tantum parte, neque omnibus; interuenientibus scilicet fistulis inanibus; atque ambiuntur ad radicem quasi membrana; pluribus tamen partibus haerent. Meatus autem superiores nulli sunt peruii, praeterquam quatuor aut quinque: quae fuit causa, ut dicerent aliqui, his eas cibum capere. Est et aliud genus, quas aplysias nominant, propterea quod elui nequeant. Hae magnas quidem illas fistulas habent, at cetero corpore denso sunt, dissecto vero densiore lentioreque spongiis aliis, atque omnino pulmonem magis referente. Igitur hoc genus prae-

cipue consentiunt et sensu praeditum esse et diu viuere. Discernuntur etiam in mari spongiis, quoniam spongiae insidente limo candicant, aplyisiae semper atrae sunt. Spongiarum igitur et testaceorum generatio talis est.

CAP. XV. (vulgo XVII. Scaligero XVI.)

In genere crustatorum locusta post coitum impletur, et continet oua circiter menses tres, Scirophorionem, Hecatombaeonem et Metagitnionem. (*Maium, Iunium et Iulium.*) Deinde edita sub ventre ad plicaturas immatura exponuntur, vbi crescunt, quomodo solent vermiculi. Id quod commune est et molluscis et piscibus ouiparis, vt
 2 omnium oua crescant. Locustarum igitur ouum est solutile in arenae modum, octo in partes partitum. Singulis enim cooperculis, (*segmentorum caudae lateribus productis*) quae in lateribus sunt, cartilagineum quiddam (*appendices ramosae et pinnatae*) additum est, circum quod haerent oua cumulata specie rami. Vnumquodque enim horum cartilagineorum in plura scinditur. Quod deprehendas, si diducas; sin procul intueare, vnum corpus concretum putes. Grandissimum quodque non est ad foramen, sed ad medium: postrema autem minima. Minimis magnitudo

quanta fici granulo. Neque continuo ipsi meatui 3
 haerent, sed medio. A cauda namque ad pectus
 duo, singula vtrinque, sunt potissimum interualla.
 Sic enim cooperacula ipsa disposita sunt. Ipsae
 igitur per se partes laterales (*caudae*) non possunt
 comprehendere (*oua*), sed adducto extremo (*cau-
 dae*) omnia conteguntur, atque ita fit velut opercu-
 lum. Videtur autem parturiens producere oua ipsa 4
 ad illa cartilaginea fine caudae lato applicato. Ap-
 primens enim illam et sese curtuans parit. Carti-
 laginea ista hoc tempore augescunt ita, vt ouorum
 ipsorum capaciora esse possint. Nam ad cartila-
 ginea pariunt, sicut sepiae ad malleolos aut alia
 quae in aqua fluitant. Is est pariendi modus. Con-
 coquit autem ibidem potissimum vicenis diebus:
 tum abiicit cuncta simul consistentia, sicut, cum
 eiecit, videntur. Inde ex his locustae oriuntur die
 fere quinto decimo; capiunturque saepenumero
 minores digito. Ante Arcturum oua immatura
 pariunt: post Arcturum amittunt oua. E squilla- 5
 rum genere gibbae circiter quatuor menses vterum
 gerunt. Locustae in asperis et saxosis, astaci in
 locis laeuius nascuntur: in lutosi neutrum genus.
 Idcirco in Hellesponto et circa Thasum astaci, ad
 Sigeon et Athon locustae. Discernuntur a piscar-
 toribus loca vel aspera vel lutosa oris littoralibus,

aliasque id genus indicium, cum volunt ipsi in alto piscari. Vere et hieme propius terram, aestate in alto versantur. Captant enim aliquando calorem; 6 aliquando frigus. Quae vrsae vocantur, simili tempore atque locustae pariunt. Itaque et hieme et antequam pariant vere, maxime commendantur: ubi pepererunt, deteriores sunt. Quemadmodum verno tempore serpentes exuunt cutem, quam appellant senectam, ita et locustae et cancri tam recepti nati, quam post, crustam suam. Locustis omnibus vita longa est.

CAP. XVI. (vulgo XVIII. Scaligero XVII.)

Mollusca ex coniugio et coitu ouum gerunt album, quod processu temporis in arenae modum con-
 crescit, quale etiam in genere crustatorum. Deponit polypus aut in caernis aut in testis aliove cauo loco simile quiddam labruscae cirrhulis et candidae populi fructui, quemadmodum supra dictum est. Edita oua dependent ab ambientibus specuum parietibus tanta copia, ut exenta vas impleant longe maius quam caput ipsius, in quo ipsa continebantur. 2 His quinquagesimo demum die disruptis, pusilli polypi generantur, et magno agmine serpunt phalangiorum more. Ac quanquam non omnibus membrorum singulorum natura conspicua est, tota

tamen apparet forma. Multi autem propterea, quod et minuti sunt et inualidi, pereunt. Adeo vero aliquando exigui reperti sunt, vt nihil haberent discretum, ceterum contacti mouerentur. Sepi- 3
 piae edunt similia myrti baccis nigris grandioribus, quae ita racematim cohaerent, vt cuncta vni cuiuspiam (*corpore*) nexu agglomerata non facile separari possint. Superiufundit enim mas humorem quendam mucidum, qui viscidam illis naturam impertitur. Inde oua increscunt, quae primum edita candida sunt: affuso vero atramento (*semine alii Codices*) et grandiora et nigriora euadunt. Ergo vbi ex albumine tota sepiola intus generata est, obrupta cute exit. Principio id quod femina 4
 primum emisit grandinis specie constat; atque ex eo sepiola facta exit in caput, quemadmodum aues, ventre annexa; qualis autem annexio haec ab umbilico sit, nondum constitit, nisi quod crescente sepia decrescit albumen semper; tandemque vt in auib; luteum, sic in his album deficit. Oculi primum 5
 grandissimi extant in hoc genere, sicut et in alijs. Pingatur ouum, vbi est A; oculi, vbi B, C; sepiola, vbi D. Vere vterum gerit; parit diebus quindecim: edita oua totidem diebus sequentibus euadunt quasi acini racemorum, sed minores: quibus obruptis exiunt sese inde sepiolae. Quod si quis membranulam cir-

cumsecare occupet, quae sunt iam perfectae sepiolae, sterqus emittunt, mutatoque colore ex candida
 6 rubrae fiunt ob metum. Crustata quidem suppositis sibi incubant ouis; at polypus et sepia et cetera eiusmodi cum ediderint oua, vbiunque ea adhaeserint, fouent, praesertim sepia, cuius prope terram extantem alueum saepenumero obseruare licet. Polypus autem femina interdum ouis incubat, alias caernae ostio assidet brachio superposito. At sepia iuxta terram parit, circum algam et arundineta aliudue quippiam, quod a mari eiectum sit, vt materia, sarmentum aut lapides. Itaque piscatores sternunt malleolos studiose, ad quos parit oblongum quasi cirrhum ex ouis cohaerentibus compositum. Parturit autem et emittit paulatim (oua)
 7 repetitis vicibus, propterea quod laboriosus eius nixus est. Loligines in alto pariunt oua conserta vt seipiae. Tam loligo quam sepia non diu viuunt: neque enim annum alterum explent, praeter paucos. Sic et polypi. Singulis ex ouis singulae produnt sepiolae, quemadmodum et loligines. Differt lolius mas a femina, quoniam capillos (*branchias*) si diducas, intus corpuscula duo rubra mammillarum specie deprehendes, quibus mas caret. In sepiarum genere tam femina hoc discrimen habet, tam mas varius magis quam illa, vt supra dictum est.

CAP. XVII. (vulgo XIX. Scaligero XVIII.)

In genere insectorum quemadmodum mares essent feminis minores, easque a tergo inirent, quoque modo et coirent, et a coitu sero absterent, iam dictum est. Hoc igitur in genere quae ineuntur, ab ipso coitu maxima pars cito parit. Pariunt autem omnes vermem praeter papilionum genus quoddam, quod edit durum quiddam, cneci (*cartami*) semini simile cum humore (medulla *Scaliger*) intus. E verme autem ita fit animal, ut non ex eius parte, sicut ex ovo, sed totus crescat et dearticulatum animal euadat. Generantur eorum 2 quaedam ex animalibus congeneribus, veluti phalangia et araneae ex phalangiis et araneis, et bruchi (*attelabi*) et locustae et cicadae. Quaedam autem non ex animalibus, sed sponte. Nam quaedam e rore, qui super folia deciderit, naturae quidem instituto per ver, diuturniore autem serenitate austrina etiam hieme saepenumero. Alia in coeno aut fimo putrescentibus. Quaedam in lignis aut plantarum aut iam aridis. Alia inter pilos animalium: alia autem in carnibus animalium aut in excrementis, vel iam excretis, vel quae adhuc in animalibus continentur, quales sunt lumbrici. Quorum genera tria sunt, qui lati appellantur, et 3 qui rotundi, et qui dicuntur ascarides. Atque ab

his quidem nihil praeterea procreatur, nisi quod
 lati haerent quidem intestino, pariuntque quid-
 dam simile semini cucumerino; quo iudicio iudi-
 4 cant medici, id genus inesse. Fiunt papiliones ex
 erucis; hae autem fiunt in foliis virentibus potissi-
 mum brassicae. Primum milio minor est; deinde
 minuti vermes, tum crescentes; tertio die eruciae
 pusillae; posthaec auctae nullum motum edunt,
 ac formam mutant, chrysalidesque vocantur, cru-
 staque dura continentur; atque si attingantur, mo-
 tum edunt. Meatibus (*filis*) araneosis adhaerent,
 (*vulgo* obducuntur) neque os habent, neque par-
 tem ullam aliam manifestam. Crusta non multo
 post tempore obrumpitur tandem, unde alata ani-
 5 malia euolant, quos vocant papiliones. Initio
 igitur, dum sunt eruciae, et aluntur, et deiiciunt
 excrementum: factae autem chrysalides, neque
 quicquam gustant neque excernunt. Idem modus
 etiam ceterorum animalium, quae e vermibus fiunt,
 siue ex animalium coitu vermes seu sine coitu ori-
 antur. Apum autem et crabronum (anthrenarum)
 et vesparum (sphecum) recens nati vermiculi et ci-
 bum capiunt et stercus habere videntur; cum au-
 tem e vermium figura in aliam transeunt, qua
 nymphae tunc vocantur, neque vllum capiunt ci-
 bum, neque amplius excrementum habent; sed

cœclusae tantisper motu cessant, dum creuerint. Tunc pertuso eo, quo oblitus loculus vel fauus occludebatur, egrediuntur. Fiunt quoque penia et 6 hyperae e quibusdam erucis, cuiusmodi sunt, quae fluctuatim ambulant, et progressae altera parte curuata subsequuntur. Vnumquodque autem, quod inde nascitur, colorem refert suarum eruçarum. Ex verme autem quodam magno, qui tanquam cornua habet, et ab aliis differt, mutato primum fit eruca, deinde bombylius, ex eo necydalus. Sex menses has omnes formas mutat. Ex hoc animali bombycina mulieres quaedam excolunt, deglomerantes, atque inde texunt: cuius rei auctorem ferunt extitisse in Co insula Pamphilam Platis filiam. E vermibus, qui in arido ligno oriuntur, fiunt carambii (cerambyces? *vulgo* carabi) eodem modo: 7 primum enim vermes immoti iacent, deinde obrupto putamine exeunt carambii. E brassicis fiunt [*crambides vocatae,*] quae et ipsae sunt alatae: [*ex porris vero*] porricidae. (proscurides.) Ex pusillis animalibus, quae fluminum aequor supercurrunt, asilus generatur: quare asilorum frequentia maxima, vbi et aquae et talia animalia. Ex nigris erucis, quae pilosae neque magnae sunt, primum fiunt cicindelae, (pygolampades,) non volucra istae: eae rursus in aliud animal alatum mu-

- 8 tantur, quos vocant cirrhos. (bostrychos.) Empides ex ascaridibus frunt; ascarides autem in limo puteor-
ram et quocunque aquae, subsidente concretione
terrena, confluunt. Principio limus ille putrescens
colorem capit candidum; deinde nigrum; postremo
sanguineum. Tum ex ea quaedam perexigua rubra
oriuntur, algæ pusillae specie; ea aliquamdiu hae-
rentia mouentur, postea abrupta feruntur ab aqua,
et vocantur ascarides. Diebus haud multis post
tollunt sese rectas ab aqua, neque mouentur et sunt
durae: tandem obrupto putamine culex superin-
sidet, donec sole aut flatu moueatur, vt inde auolet.
- 9 Omnium aliorum quoque et vermium et ex vermi-
bus erumpentiam animalium generationis (*motus?*)
principium videtur esse aut a sole aut a vento. Fre-
quentius autem et maturius proueniunt ascarides,
vbi subsidit promiscua materies, quemadmodum
in terrae Megaricae aruis: putrescunt enim haec
citius. Autumno magis nascuntur; quo sane tem-
pore humor plus deficit. Ricini e gramine oriuntur.
Melolonthae (*scarabaei aurei?*) e vermibus ortis:
10 in fimo bubulo et asinorum. At canthari (*scara-
baei pilularii*), quod volutant stercus, in id con-
dunt sese per hiemem, vermesque pariunt, vnde
proles prodeat. In leguminibus gignuntur vermi-
culi, e quibus fiunt volueria animalia, quemad-

modum ea, quae iam diximus. Muscarum ortus fit e vermiculis in fimo, quem agricolae seorsum a stramentis separarant. Quare ii, qui in hoc opere sunt, contendunt secernere reliquum stercoreis, quod sincerum non est, ibique aiunt fimum confici. Vermiculorum autem principia exigua.¹¹ Primum enim in his quoque rubor subit, atque ex immobilibus proficiunt ad motum, tanquam adhaerentia. Deinde vermiculus euadit immobilis; tum demum motus; rursus mouere se cessat, atque ex ea musca perficitur, moueturque flatus solisue superuentu. Tabani (myopes) e lignis oriuntur. Orsodacnae mutatis vermiculis, qui in brassicae caulibus nascuntur. At cantharides e ficariis erucis, aut quae in piris, pinis et canino rubo, (cynacantha,) quibus omnibus oriuntur vermes. Appetunt autem olida, propterea quod tali ex materia ortae sunt. Culices (conopes) autem ex vermiculis, qui ex aceti faece oriuntur.¹² Animalia namque etiam in iis, quae putrefieri minime posse putant, videntur nasci: quemadmodum in vetustaniue vermes. Qui propterea et rubri sunt, et hirsuti, quia nix vetas quoque rubra est. At in niue Mediae terrae candidi et grandes. Omnes autem torpidiores sunt. In Cypro autem insula, vbi chalcites lapis iniectus pluribus diebus excoquitur,

ibi in igne oriuntur bestiolæ grandibus m̄uscis paulo maiores, alatae, quae per ignem ambulant et
 13 saliunt. Moriuntur autem tam illi, si ex niue, quam hae, si ex igni eximantur. Fieri autem posse, vt ne quorundam animalium constitutiones igni soluantur, salamandra indicio est. Haec enim, vt
 14 aiunt, per ignem incedens eum extinguit. Ab Hypani fluuio, qui in Bosporum fluit Cimmerium, sub solstitio deferuntur quasi folliculi, acinis maiores, quibus ruptis exit animal alatum quadrupes. Viuit hoc volatque ad serum diei vsque: inclinato sole tabescit, cumque occidente occidit, die vnico transacta vita. Vnde etiam ephemerum vocant, quasi diarium dicas. Maxima eorum pars, quae ex erucis aut e vermiculis oriuntur, prius aranea-
 ceis telis retinentur et firmantur. (*Vulgo erat: involuta continentur.*) Haec igitur sic generantur. [Vulgo Cap. XX. Scaliger continuat Cap.
 15 XVIII.] Vespae autem, quae ichneumones appellantur, atque aliis sunt minores, ab se interfecta phalangia ferunt ad parietinas aut alio, vbi foramen sit, lutoque oblito ibi pariunt, vnde ipsae generentur. Quaedam eorum, quae alas vagina tectas habent, paruaque sunt et sine nomine, ex luto tubulos (nidos) extruunt paruos aut ad sepulcra aut ad parietinas, in quibus vermiculos suos

pariant. Maximae paene horum parti generationis 16 tempus ab initio ad finem vsque ternis quaternisque mensuratur septimanis. Vermes enim et vermibus similia pleraque tertia absoluuntur septimana: ouipara autem quarta plerumque. Post coitum namque haec diebus septem concrescunt; reliquis ter septenis incubant atque excludunt quae generarint, vt araneus et alia eiusmodi. Mutantur autem plurima ternis quaternisque diebus; quemadmodum etiam in morbis eueniunt dies iudiciorum. (*critici*) Insecta igitur sic generantur. Intereunt autem ru- 17 gatis membris, quemadmodum senectute maiora animalia: alata vero etiam alis contractis autumnii tempore: tabani (*myopes*) vero oculis aqua suffusa turbatis.

C A P. XVIII. (vulgo XXI. Scaligero XIX.)

Quemadmodum autem apes generentur, non omnibus eadem sententia est. Quidam enim negant eas et parere et coire, sed ferre prolem, vel, vt quidam dicunt, a callyntri, (*Gaza et Scaliger cecinthae*), alii ab arundinis, alii ab oliuae flore. Cuius rei argumentum sit, quod vbertate oliuarum plurima prodeunt examina. Sunt qui affirmant, fucos ab ipsis ferri de aliqua materia supradictarum; at apiculis parentes esse reges, eosque parere. Regum autem genera duo; praestantior rufus: 2

alter niger et varius magis. Regis magnitudo tanto altero maior, quam operariae apis; quique infra cincturam locus est quam reliquum corpus cum maxime dimidio longior. Vocantur ab aliquibus matres, quasi quae pariant. Dicunt indicio esse, quod fucorum foetus innascantur etiam, vbi reges absint, apum autem non innascantur. Alii aiunt
 3 coire eas: mares esse fucos, apes feminas. Atque aliarum quidem generatio in cauis fauorum est, reges autem oriuntur infra ad (*extremos*) fauos, seorsum collocati, seni septeniue, [*protuberantes?*] contra quam cetera foetura. Aculeum apes habent, fuci non habent. Reges et duces habent quidem, sed non figunt; quare quidam eos carere arbitrantur.

C A P. XIX. (vulgo XXII.)

In genere apum praestantissima quae parua, rotunda, varia: alterum genus est oblongum et vespae (*anthrenae*) simile: tertium furem vocant: niger is, aluo lata. Quartus fucus, omnium maximus, sine aculeo, ignauus. Quamobrem obtexunt aliquid circa aluearia, qua apes ingredi queant, fuci, quod sint grandiores, nequeant.
 2 Regum genera quot diximus, duo. Sed in singulis aluearibus plures sunt, non vnus solus. Nam sane perit examen, nisi satis intus regum sit; non

propterea quod principe careant, sed quia, ut aiunt, conferant ad apum generationem; sicut etiam, si multi sunt, distrahunt. Vernum tempus 3
 si sero appetat et squallente coelo, itemque et rubigine, foetura infrequentior fit; sed sicco tempore plus mellis operantur; pluuio foeturae student. Itaque simul est et oliuarum et foetus copia. Construunt igitur primo fauos, deinde foetum induunt ore editum, ut aiunt, qui aliunde ferre ipsum tradunt; deinde ita mel, quo alantur, tam aestate quam autumnno. Autumnale vero praestantius est. Fauos e floribus conficiunt, melliginem ex arborum 4
 lacrima. Mel autem ex aere cadit, praesertim siderum ortu, atque ubi incubuerit coelestis arcus. (*alii sirius.*) Neque enim ante ortum Vergiliarum mel fit. Ceram igitur, ut diximus, faciunt ex floribus: mel autem non faciunt, sed id quod decidit legunt tantum. Cuius rei argumentum est: vno enim aut altero die apiarii cellas inueniunt melle plenas. Praeterea autumnno flores sunt, et tamen nullum fit mel, si castrentur. Castratis igitur aluariis, cum aut inedia apes aut penuria laborant, operarentur sibi mel, si ex floribus conficeretur. Maturitate spissatur mel: nam per initia 5
 dilutae aquae modo diebus aliquot liquidum est. Quo tempore etiamsi exprimatur, crassum non est.

Vicesimo demum die concrevit. Prodit se statim sapore: differt enim et dulcedine et crassitie. Legit apis ab omnibus quae in calice flores habent, et ab aliis, quae dulcia sunt, nullum laedens fructum. Sed horum sapes lingua illa sua exceptos fert.

6. Aluearia castrantur, cum caprifici fructus apparuerit: soboles eae praestantissimae sunt, quae, cum mellificant, procreantur. Ceram autem et erithacen in cruribus gerunt. Mel ore vomunt in cellas. Vbi foetum peperit, animum more incubat. In fauo igitur vermiculus pusillus ad latus iacet; tum ipse sese erigit atque alitur: neque enim fauo ita adhaeret vsquam, ut inuiti possit. Apum fucorumque foetus aequae candidus est. Ex quo vermiculus generatur, qui postea crescens fit apis aut fucus. At regum foetus colore subrufus, tenuitate mellis crassioris, magnitudinem statim habet, quantum id quod ex eo generatur. Ceterum non fit inde vermiculus primum, sed statim, ut aiunt, apis exit. Vbi peperit, in fauo e regione loci illius mel situm
- 7 est. Cum fauus desuper oblitus fuerit, foetus capit pedes atque alas; vbi vero absolutus fuerit, obrupta membrana euolat. Quamdiu vermiculus est, stercus emittit; postea nullum, nisi cum egressus fuerit, ut diximus. Quod si quis eorum capita amputarit, priusquam alas habeant, eos apes

ipsae deuorant: quemadmodum, si fucum ademitis alis emiseris, ceterorum ipsae erodent alas. Vi- 8
vunt annos sex quaedam vel septem. Quod si durat examen nouem decemue, bene actum secum putant. In Ponto genus apum valde candidum, quae bis in mense mellificare solent. In Themiscyra ad Thermodontem fluuium tam in terra quam in alueis fauos construunt, in quibus pauca cera admodum, mel crassum, fauus laeuis atque aequalis est. Hoc tamen non semper faciunt, sed hieme tantum. Hedera enim his locis multa, a qua per id tempus florescente mel legunt. E superioribus (*interioribus vel mediterraneis*) locis in Amisum defertur mel candidum et inprimis crassum, quod apes operantur sine fauis in arboribus: quale etiam in Ponto alibi quoque est. Sunt etiam apes, quae in terra triplices condunt fauos; in quibus mel quidem inuenias, sed vermem nullum. Verum neque omnes faui tales, neque omnes apes id faciunt.

C A P. XX. (vulgo XXIII. Scaliger continuat C A P. XIX.)

Crabrones vespaeque (anthrenae et spheces) favos exaedificant pullis suis, si ducem habeant nullum, eumque palantes quaerant: ac crabrones quidem in sublimi loco aliquo, vespae in foraminibus.

Quae ducem habent, sub terra. Horum item faui sexanguli, quemadmodum et apum, compositi non e cera, sed ex corticea materia atque araneosa. (*alii Codices* arenacea.) Crabronum operosiores quam vesparum. Ad cellae latus apum more deponunt foetus suos guttae magnitudine, qui parieti adsiti sunt. Non omnibus in cellis tamen simul foetus est, sed in quibusdam adeo grandes, ut etiam volare possint: in aliis nymphae: in aliis vermiculi adhuc. Quibus solis adest stercus, sicuti etiam in apum genere. Ac quamdiu nymphae sunt, non mouentur, et fauus oclusus est. In cella autem fauorum, qui a crabronibus instituuntur, ex aduersum foetus quasi mellis gutta inest. Foetificant non vere, sed autumnis; atque pleniluniis potissimum crescunt. Soboles non in cellae fundo iacet, sed lateri applicatus.

C. A. P. XXI. (vulgo XXIV.)

Quaedam ex bombycum genere ad lapidem aut tale quid construunt e luto metae figuram sale quasi quodam oblitam. Crassum hoc durumque: lancea enim vix diuidi potest. In eo pariunt, vnde fiant vermiculi candidi nigra in membrana; seorsumque a membrana ceram in luto, quae longe est pallidior quam apum cera.

[Vulgo XXV. Scaligero XX.]

Coeunt etiam formicae et pariunt vermiculos 2
 [ouorum specie *addit Plinius,*] qui nulli rei an-
 nexi sunt. Ii initio e paruis et rotundis crescendo
 fiunt oblongi, atque in membrana debita discer-
 nuntur. Horum ortus vere est. [Cap. XXVI. vulgo,
 XXI. Scaligero.] Pariunt etiam terreni scorpiones 3
 vermiculos ouorum specie multos, atque incubant.
 Ii vbi sunt perfecti, expellunt parentes atque inter-
 ficiunt; quod etiam in araneorum genere fit. Saepe
 ad vndecim numero generantur.

C A P. XXII. (vulgo XXVI. Scaligero XXII.)

Vniuersum genus araneorum coit quo diximus
 modo. Parit vermiculos pusillos primum. Totius
 enim mutatione fiunt, non ex parte: alioquin ro-
 tundi per initia sunt: (*ut ouorum speciem prae-
 bere possint.*) Cum peperit, incubat ac figurat
 tribus diebus. In tela pariunt omnes, sed partim
 in tenui et breui, partim in crassiore: et alii in si-
 nu orbiculato: nonnullis etiam aliqua tantum ex
 parte circumdantur a tela. Non omnes araneoli
 simul generantur: statim nati et saliant et filum
 emittunt. Humor idem in vermiculis attritis et in
 iuueniculis araneolis, quippe crassus, candidus.
 Pratenses aranei pariunt in tela, cuius dimidium 2

applicatum ipsis matribus est, alterum dimidium foris extat. Atque in ea tamdiu foetum fouent, quoad animal perficiatur. Phalangia crassi quali speciem texunt, in quam pariant atque incubent. Ac venustioribus quidem araneis foetus infrequentior, phalangis autem numerosa proles. Quae ubi adulta fuerit, circumssistit matrem, atque interfectam eiicit; saepe etiam patrem, si comprehenderit. Vna enim fouet ille quoque interdum cum coniuge. Vni phalangio ad trecentos numero circumfusi visi sunt. Aranei circiter quater septenis diebus e paruis absoluti fiunt.

C. A. P. XXIII. (vulgo XXVIII Scaligero XXIII.)

Locustae aliorum insectorum more coeunt; inscendente minore maius. Minor enim mas est. Pariunt autem in terra, impacta fistula, [*alii Codd. et Plinius caule*] quam ad caudam habent ipsae: mares non habent. Simul cuncta pariunt, eundemque in locum deponunt, ita vt quasi fauus fiat. Deinde ubi pepererint, ibi nascuntur vermes oui specie, qui comprehenduntur a terra quadam tenui quasi a membrana, in qua maturescunt. Foetus adeo molles edunt, vt solo tactu elidantur: neque in terrae superficie, sed paulo infra. Tum

excoctae et maturatae emergunt ex terreo illo tegmine locustillae minutae ac nigrae: postremo circumrupta cute euadunt grandiores. Pariunt affecta aestate, simulque effoetae intereunt. Circum namque earum collum innascuntur vermes tunc. Eodem tempore etiam mares pereunt. Exeunt desubus terram vere. Locustae in terra montana aut equalida (*exili*) non oriuntur, sed in campestri atque hiante. In rimis enim pariunt oua sua: e quibus, transacta in terra hieme, proueniunt e superstitibus foetibus locustae ineunte aestate. [Cap. XIX. vulgo XXIV. Scaligero.] Simili modo bruchi (attelabi) et pariunt et post partum moriuntur. Corruptur eorum oua autumno, cum multi imbres ingruunt. At sicciore tempestate prouentus eorum maior, haud perinde corruptis ouis, propterea quod eorum interitas neque certo ordine et fortuito fieri videtur.

C A P. XXIV. (vulgo XXX. Scaligero XXV.)

Cicadarum genera duo: vnum paruum, quod primum apparet, postremum interit. Alterum maius canorum tum posterius oritur, tum prius perit. Quae canunt, siue e maiorum siue e minorum genere sint, ad praecinctum secturam habent. Quibus autem continua ea pars, eae non canunt.

Maiōres canoras vocant nonnulli achetas, minores
 autem cicadellas: (tettigonia:) quarum quae diui-
 2 suram habent, etiam aliquantulum cantillant. Loca
 arboribus vacua non ferunt cicadas. Itaque in agro
 Cyrenaico nullae sunt: at ad urbem ipsam frequen-
 tes. Praesertim vbi oliuae crescunt, proueniunt, vt-
 pote quae non multa opacent umbra. Nam cum
 frigidis locis non nascantur, ne in opacis quidem
 lucis reperiuntur. Ineuntur maiores similiter at-
 que minores supinae inter se copulatae. Immittit
 in feminam mas, non (*Negationem omittunt Co-*
dices.) vt alia insecta. Habet femina scissum ge-
 nitale; femina intelligitur ea, in quam mas suum
 3 immittit. Pariunt in aruis cessantibus, sicut et
 bruchi, quorum partus in ipsis item fit, perforan-
 tes mucrone illo, quem ad clunes habent. Quam-
 obrem in agro Cyrenensi large nascuntur. Pariunt
 etiam in arundinibus, ex quibus facta sunt vitibus
 pedamenta, et in squillae caulibus. Qui foetus in
 terram decidunt. Magnus earum prouentus per
 imbres. Cum in terra creuerit vermiculus, fit tet-
 4 tigometra: quo tempore sunt in cibo suauissimae,
 antequam calix dirumpatur. Appetente autem sol-
 stitii tempore, nocta prodeunt statim rupto cor-
 tice; atque ita ex tettigometris cicadae fiunt, nigrae
 quidem ac statim duriores et maiores: et iam canunt.

In utroque genere quae canunt, mares sunt; reliquae feminae. Ac primum quidem mares suauiores; a coitu vero feminae: habent enim ova candida. Cum excitatae auolant, emittunt humorem 5 aquae specie: eo agricolae putant ipsas mingere, perinde atque excrementum roris, quo alantur. Si quis digitum mouens appropinquet, ita ut a summo articulos paulatim incuruet et rursus extendat, securiores manent, quam si derepente extendat, et transcendunt in digitum, quasi in folium motum, propterea quod obscure cernunt.

CAP. XXV. (vulgo XXXI. Scaligero XXVI.)

Insecta quae carnivora non sunt, sed viuorum corporum succam depascuntur, cuiusmodi pediculi et pulices et cimices, e coitu generant omnia ea, quae lendes vocantur. Ex his aliud nihil gignitur rursus. Horum generatio talis est. E minima putredine pulices; ubi fœmus aridus sit, ibi concresecunt. Cimices ex vapore, qui consistit in cute animalium: pediculi e carnibus. Nam cum prope est ut emascantur, extant veluti pustulae pusillae sine pure, quas si acu aperias, prodeunt pediculi. Euenit quibusdam exuberante humore plurimo, ut pediculari morbo capiuntur: interentis etiam nonnullis iam ad hanc modum, velut Alcmanem

- 2 poetam et Syrium Pherecydem narrant. Et in quibusdam morbis pediculi proueniunt. Pediculorum genus est, quod ferum vocant. Durius hoc quam quod in multis gignitur; nec facile a corpore auelli possunt. Puerili aetate pediculis plus scatent capita; virili minus: item feminis plus quam viris. Quibus caput pediculis frequens est, iis minus saepe dolet. Proueniunt etiam pediculi alii in animalibus; habent enim et aues. Quin etiam phasiani qui vocantur, ab iis necantur, nisi puluerentur: item et aliae, quarum pennae caulem habent. Et ea animalia, quae pilis teguntur, excepto asino, qui neque pediculis neque ricinis infestatur. At boues vtrumque habent. Oues et caprae ricinum, pediculum non. Item sues grandibus pediculis durisque laborant. Canibus autem generantur, quos cynoraïstas vocant. Pediculi ex ipsis animalibus fiunt, in quibus generantur. Quae animalia et lauantur et solent pediculos generare, ea tum pluribus infestantur, cum aquas, quibus se
- 3 lauant, mutant. In mari qui pediculi infestant pisces, non ex ipsis fiunt piscibus, sed e limo proueniunt. Eorum facies similis asellorum, qui multis pedibus praediti sunt; nisi quod caudam habent latam. Omnibus his vnum genus, et vbi-que proueniunt, maxime autem in triuglis. (*Vulgo*

circa foramina.) Omnia autem haec insecta et exanguia sunt, et multis praedita pedibus. In nonnullis thynnibus circa pinnas inuenitur asilus (oestrus) scorpionis figura, aranei magnitudine. In mari, quod inter Cyrenen et Aegyptum interiacet, delphini comes quidam piscis est, pediculum vocant. Is omnium maxime pinguescit, propterea quod e delphini venatu largissimo impletur cibo.

C A P. XXVI. (vulgo XXXII. Scaligero
C A P. XXVII.)

Nascuntur et alia pusilla animalia, quemadmodum antea dictum est: nonnulla in lanis et lanificiis, quales tineae, quae tum magis proueniunt, cum puluerulentae lanae sunt: maxime vero, cum aranea conclusa fuerit. Exucto enim, si quis intus, humore, siccatur. Vermiculus is tunica quadam amicitur. In cellis apum quoque vetustis non secius gignitur quam in arido ligno animal candidum, quod omnium animalium minimum videtur esse; et vocatur acari. In libris quoque gignuntur animalcula quaedam vestiariis tineis similia, alia scorpionibus, sine cauda, pusilla valde. Omnino in omnibus fere et aridis, si humescant, et humidis, si exsiccantur, si quidem viuunt (vel vitam sustentare possint.) Est vermiculus quidam, quem 2

xylophthorum (*Gaza ligniperdum*, *alii Codd.* xylophorum, *id est lignigerum*) vocant Graeci, non minus his absurdum animal. Extra folliculum caput varium extat, et in summo pedes, vt aliis vermiculis: in tunica autem araneorum telae simili ceterum corpus, quod a festucis continetur, ita vt, cum ingreditur, ei haerere videantur. Haec con-nata ipsi sunt tunicae: ac quemadmodum testa cochleis, sic totum hoc vermiculo: neque exiit, sed auellitur tanquam adnatum. Tunica detracta moritur, atque perinde inutilis fit atque cochlea exemta testa. Procedente tempore fit chrysalis, erucarum more, viuitque sine motu. Verum quid inde alati animalis fiat, nondum perspectum est.

- 3 In fructibus caprificorum culices generantur, quos Graeci psenes vocant. Vermiculus initio, deinde cute disrupta atque coram relicta euolat subitque ficos immaturos, quos pertusos facit ne decidant. Itaque applicant caprificorum poma ficis agricolae, et circumserunt ficos caprificis.

C A P. XXVII. (vulgo XXXIII. Scaligero
C A P. XXVIII.)

Quadrupedes ouiparae, quarum concretio constat sanguine, vere generant: quanquam non omnes eodem coeunt tempore, sed partim vere, partim

aestate: circa autumnum aliae, vt cuique foeturae subeuntis temporis ratio commodior sit futura. Testudo (*terrestris*) ouum parit, cuius cortex durus est, et bicolor, quale etiam auium. Edita defodit atque impositam terram pauit: tum frequenti incubatu fouet insidens, atque altero anno excludit. Emys (*testudo palustris*) egressa ex aqua parit excavata scrobe in dolii modum; vbi quod pepere- rit, relinquit per dies triginta: tum effodit ac mox excludit, ac continuo in aquam educit foetum. Maritimae quoque testudines in terra pariunt oua, qualia cortales aues; defossis noctu incubant: numerosa ouorum foetura, quippe ad centena. Tam lacertae, quam crocodili vel terreni vel etiam fluuiatiles in terram pariunt. Ex ouis lacertarum sponte foetus excluditur in terra: neque enim annum viuunt lacertae, sed, vt aiunt, menses tantum sex. Fluuiialis crocodilus parit oua multa, cum plurima circiter sexaginta, colore candido. Sexagenos dies incubat; viuunt enim diu. Ex minimis autem ouis maximum animal fit: neque enim eius ouum anserino grandius est: ac foetus quidem pro oui quantitate. At vbi creuit, decem et septem cubitorum explet magnitudinem. Quidam putant, quamdiu viuunt, crescere.

C A P. XXVIII, (vulgo XXXIV. Scaligero
C A P. XXIX.)

In serpentum genere vipera, concepto intra se ovo, animal parit: eius ouum unicolor ac molle membrana amictum, ut piscium. Superextat pullus ab summo: neque ouum testaceo ambitur cortice, sicut neque in piscibus. Parit viperillas exiguas in membranis, quae tertio die circumrumpuntur. Fit aliquando, ut catuli ex utero erosio membranarum ipsi egrediantur. Sigillatim parit: absoluit uno die, interdum plura viginti. Ceterae serpentes ova edunt inter se continua cohaesione, ad muliebris monilis modum: quae cum pepererint, deponunt in terram; atque ibi fouent, excluduntque anno altero.

A R I S T O T E L I S
DE ANIMALIBVS HISTORIAE
LIBER VI.

C A P. I.

Serpentium igitur insectorumque, atque etiam quadrupedum ouiparorum tales sunt generationes. Aues autem omnes quidem ova pariunt, at coitus partusque tempora non eadem omnibus. Quaedam namque fere omni tempore et coeunt et pariunt, vt gallina et columba. Gallina siquidem toto anno praeter menses brumales duos. Generosae ante incubationis tempus etiam sexagena pariunt; quanquam haec minus sunt foecundae quam plebeiae. Adrianicae gallinae paruae sunt quidem, quotidie tamen pariunt: feroces autem et morosae sunt, et pullos interimunt saepe suis: ac sunt versicolores. E domesticis nonnullae etiam bis die pariunt. Iam vero etiam quaedam ob ingentem

- 2 foecunditatem breui interierunt. Gallinae igitur, vt dictum est, continenter pariunt. Turrilia autem (pelias) et palumbes (phatta) et turtur et rupilia (oenas) bis tantum pariunt, columbae autem decies. Plurimae aues (*semel et*) verno tempore pariunt; sed earum quaedam multiparae. Atque hoc quidem duplici ratione: nam aut multum, vt columbae, aut multa, vt gallinae. Quibus vngues vnci sunt, paucos pariunt omnes, praeter tinnunculum: (cenchridem:) in eo enim genere plurima parit. Iam et quatuor visa sunt oua; verum etiam plura parit. Ceterae in nidis pariunt; at quae minus volacia sunt, non, vt perdices et coturnices, sed in terra adstructis festuculis abscondentes. Sic
- 3 et alauda et tetrrix. Hae igitur omnes vento auersos nidos construunt. Quem Boeotii aeropem vocant, vnus omnium terrae cauernas subit, nidificandi gratia. Turdi in excelsis arboribus e luto, sicut hirundines, nidos faciunt, serie quadam inter se cohaerentes, ita vt serti speciem praebeant. In eo genere auium, quae per se solae nidificant, sola vpupa nullum sibi aedificat, sed ingressa in arborum stipites cauos, ibi parit, nihil eo congerens. Cuculus autem (*Versio antiqua habet pro vitioso nomine kirhus*) in domiciliis vel in saxis. Tetrrix illa, quam Athenienses vragem vocant, neque in

terra, neque in arboribus, sed in humilibus fruticibus.

C A P. II.

Oua omnium auium similia inter se putaminis durtia, si eius generatio non corrumpatur. Mollia enim nonnullae gallinae pariunt. Duo colores in ouis auium, ambiente luteum albumine. Fluvialium et palustrium differunt multa oua ab iis, quae in sicco degunt. Aquatiliam namque exceditur albumen a luteo praeter modum. Quorum colores etiam alii aliis auium generibus: nam quarundam alba sunt, vt columbae et perdicis: alii pallida, vt palustrium: alia punctis distincta, vt meleagridum et phasianorum: tinnunculi rubra, quasi minium. Differunt inter se oui partes, haec acutior, illa latior. Egreditur autem latior par prior. Ex oblongis et acutis feminae generantur, ex iis quae rotunda sunt et mucronem obtusum habent, marea. Excluduntur igitur auium incubatu; verum etiam sponte sua in terra perficiuntur, quemadmodum in Aegypto. Defodiunt enim in fimo. Et Syracusis prodiderunt potatorem quendam, ouis sub storea humo stratis, tamdiu potare, nunquam opera intermissa, solitum esse, dum oua excluderentur. Iam vero etiam indita in vasis tepidis eo concocta sunt, vt exirent sponte pulli.

- 4 Animum genitura omnium candida, qualis etiam aliorum animalium. Concipit femina inita superiore loco, qui subest praecincturae. Ac primum quidem exiguum et candidum videtur: deinde rubrum et sanguineum: ubi creuit, luteum et flavum totum. Iam amplius auctum discernitur, atque intus quidem luteum exteriore albumine ambitur. Cum vero perfectum fuerit, absoluitur atque ita exit, tempore procedente e molli mutatum in durum. Cum enim egreditur, nondum induruit: simul atque prodiit, spissatur ac durescit, nisi morbo quopiam praeuentum sit. Editum etiam aliquando fuit ouum tale, quale quodam tempore est ouum omne; lutea enim similiter sunt, qualis postea fit vitellus. Hoc etiam colore in dissecta gallina iam visa sunt sub praecincturae loco, ubi illae ova continent, specie quidem lutea, at magnitudine tanta, quanta sunt ova; quae in prodigii loco deputare consueuerunt.
- 5 Qui aiunt hypenemia (*irrita ova*) reliquias eorum esse, quae antea e coitu generata sunt, haud recte sentiunt. Nam compertum fuit, in gallinarum et anserum genere eiusmodi ova edita esse a nouellis sine vilo coitu. Eorum eorum magnitudo minor, minusque suavia et liquidiora quam ea, quae apta sunt ad generationem, sed plura numero. Si aui subiiciantur, liquor ille non

crassescit, neque aut luteum aut candidum a pristina mutatur natura. Eduntur irrita a multis, gallina, perdice, columba, pauone, anser, vulpansere. Incubatu aestiuo quam hiberno celerius 6
excluduntur: per aestatem enim gallinae duodevicesimo die absoluunt; hieme interdum ad quinque et viginti. Sane ipsae quoque anes inter se differunt, quod aliis aliae incubationi aptiores. Coelotonante quae fouentur ova, corrumpuntur. Quae autem cynosura et vrina ab aliquibus dicuntur, per aestatem magis oriuntur. Vocantur etiam a nonnullis hypozephyria ea, quae hypenemia diximus, propterea, quod verno tempore excipere auras aues solent. At hoc ipsum faciunt etiam, si certo tempore attrahuntur. Quemadmodum irrita evadunt vtilia ad generationem, sic etiam quae iam e coitu sunt constituta, transeunt e suo genere in genus aliud, si, quae irrita habet, incitatur, priusquam luteum in candidum mutetur, aut quae vtilia ad generandum ova concepit, cum alterius generis aue coeat. Atque ita et irrita fiunt genitiua, et genitiua suscipiunt maris formam, qui posterior inierit. Quod si iam in album facta sit mutatio, 7
ipsa non mutantur, neque ut irrita fiant genitiua, neque semine concepta ut in genus transeant incipientis. Praeterea cum adhuc parua sunt, si coitus

intermittatur, non crescunt ea, quae antea inerant: repetito autem coitu celeriter ad suum perficiuntur incrementum. Luteum ouorum atque albumen contrariam naturam obtinent, non solum colore, sed etiam potestate. Luteum enim a frigore densatur, albumen non densatur, sed magis liquescit. Contra ab igni spissatur albumen, luteum non spissatur, sed molle permanet, nisi peruratur. Et elixando quam assando plus concrescit atque sicca-

8 tur. Vtrumque autem seorsum a se inuicem in membrana disseptum est. Quae ad principium lutei grandines haerent, nihil conferunt ad generationem, quemadmodum quidam suspicantur. Duae eae sunt; altera in imo, altera in summo. Euenit autem, vt cum quis vitellos atque albumina multa exemta, inque patinam indiderit collecta, atque elixarit igni molliore remissioreque (*lento*), lutea tota massa in medium coeat, alba autem huic circumfundatur. [Cap. III. Scaligero.] Gallinarum nouellarum partus primus ineunte statim vere est: ac plura edunt quam vetulae, sed minora sunt, quae ab his pariuntur. Omnes aues, si non incu-

9 bant, corrumpuntur atque aegrotant. A coitu inhorrescunt, et excutiunt sese, ac festuca saepenumero lustrant; id quod etiam a partu faciunt aliquando. Columbae caudam attrahunt; anseres

autem aquas subeunt. Tum foetus tum irritorum ouorum conceptio euenit plurimis auibus repentina: quemadmodum perdici, cum in venerem sollicitatur. Si enim affletur vento a mare veniente, concipit, continuoque fit inutilis aucupii. Insigni namque odoratu praeditus perdix esse videtur. Tam oui post coitum, quam ex ouo incubato pulli generatio non eodem omnibus temporis contingit spatio, sed pro ratione magnitudinis parentum euenit. Gallinarum ouum consistit a coitu perficiturque saepissime decem diebus, columbinum paucioribus. Columbae etiam in dolore parturiendi ouum continere possunt; si quid enim molestiae interuenerit aut circa nidum, aut penna euulsa, aut aliter vexata, aut aegre quippiam tulerit, continet, et partum differt. Coiturae columbae illud quoque habent peculiare: ante enim quam mas ineat, inter se osculantur: aliter marem non admittunt. Ac primo quidem coitu senior osculans, postea etiam sine osculo init. At iuniores nunquam sine osculo coeunt; id quod etiam femellae faciunt. Absente enim mare post mutua oscula, masculorum more, vicissim se conscendunt, nihiloque inuicem immisso seminis genitalis, pariunt oua plura, quam quae e semine concepta

sunt; e quibus nullus foetus oriatur; sed omnia talia irrita sunt.

C A P. III. [Scaligero IV.]

Auium omnium generatio eadem. At perfectionis tempora alia aliis, quemadmodum dictum est. In gallinis igitur generationis indicia extare incipiunt post dies tres totidemque noctes: in genere auium, quam hae sunt, maiorum serius; minorum citius. Per id tempus ascendit iam vitellus ad superiorem partem oui acutiorem, vbi et principium oui est, et foetus excluditur. Corque ipsum apparet in albumine sanguinei puncti: quod punctum salit et mouet sese instar quasi animatum. Ab eo meatus venarum specie duo, sanguine pleni, flexuosi, qui crescente foetu feruntur in vtramque tunicam ambientem. Ac membrana sanguineas fibras habens eo tempore albumen continet (circumdat) a meatibus illis venarum. At paulo post discernitur corpus, perpusillum initio et candidum, capite conspicuo, atque in eo oculis maxime turgidis: qui diu sic permanent. Sero enim tandem parui fiunt, ac considunt. In parte autem corporis inferiore nullum extat membrum per initia, quod respondeat superioribus. Meatus autem illi, qui

a corde prodeunt, alter ad circumdantem membranam tendit, alter ad luteum, officio vmbilici: Pulli igitur origo ex albumine est: alitus enim luteo per vmbilicum. Decima vero die iam pullus pullique partes omnes conspicuae. Sed et caput toto corpore et oculi capite sunt grandiores, nulla adhuc pupilla praediti. Quippe tunc eminent magnitudine fabis grandiores ac nigri: a quibus detracta cute humor exit candidus ac frigidus, vehementer ad lucem praefulgens, solidi vero nihil inest. Oculi igitur ac caput sic sunt. At eodem 4 tempore viscera quoque iam apparent, et quae ad ventris intestinorumque pertinent naturam. Iam vero venae, quae a corde tendunt, nunc vmbilico applicantur. Ab vmbilico autem tenditur vena: vna ad membranam, qua vitellus continetur, quae eo tempore liquidior iam et fusior est, quam qui natura sua constare solet. Altera autem ad membranam, qua et tota membrana foetum ambiens et vitellum interiaccensque humor continetur. Crescente enim paulatim pullo vitelli pars supra, pars infra est; albumen autem in medio liquidum. Sed et sub inferiore vitelli parte illa albumen inest, quemadmodum et antea suberat. Decima vero die albumen subsedit totum, (fit extremum,) exiguum iam et viscidum et crassum et subtileum. Ordo

5 enim ac situs singulorum sic se habet. Prima postremaque ad testam membrana oui est, non testae membrana, sed sub ea: atque in hac albumen inest candidum: deinde pullus inest, et eum continens membrana atque ita separans, ut ne in liquore illo sit foetus ipse. Sub pullo autem vitellus, in quem tendebat altera vena illa, altera autem in circumpositum albumen. Totum autem hoc ambitur a membrana, in qua est humor saniosus. Deinde membrana alia circum ipsum iam formatum foetum, quemadmodum diximus, separans eum ab humore. Sub eo autem luteum membrana altera circumdatum, in quod tendit umbilicus a corde et magna vena ferens; ita ut

6 foetus in neutro sit humorum. Circa vicesimam autem diem iam vocem emittit, et aperto ovo si quis eum moueat, mouet se: atque inde plumis vestitur, cum ultra vicesimum diem ovo exiit. Tenet autem caput supra dextrum crus ad ile sub ala. Atque eo tempore apparet tum membrana secundarum matricularum vicem gerens, quae sub vltima testae membrana est, ad quam tendebat alter ex umbilicis. Iam tum pullus in eo totus est. Atque etiam videre est alteram membranam secundariam, qua ambitur luteum, quo alter tendebat umbilicus: quorum vterque erat a corde et a

magna vena. Tunc etiam vmbilicus is, qui ad
 extimas secundinas tendit, concidit et soluitur ab
 animali: qui vero ad luteum fertur, cum pulli te-
 nui intestino connectitur; atque intra pullum mul-
 tum lutei subit, et sedimentum luteum reperitur in
 aluo pulli. Quo tempore etiam emittit excrementum 7
 ad extremum chorion: quin etiam habet in aluo;
 et excrementum tam externum quam internum est
 album. Tandem luteum decrescit; procedenteque
 tempore totum absumitur in ipsum pullum, cuius
 in corpore comprehendatur, ita vt decimo post die,
 quam exclusus est pullus, si dissecetur, etiamnum
 ad intestinum paulum vitelli reliquum inueniatur.
 Ab vmbilico autem absolutus est, nec quicquam
 intermedium relinquitur interea, sed totus absum-
 tus est. Ante hoc tempus dormit pullus; quod si
 moueatur, experrectus et respicit et mouetur et vo-
 cem edit: et tum eius cor quasi spirantis simul cum
 vmbilico reflat. Aues igitur ex ovo sic generantur.
 Pariunt autem ipsae etiam oua aliqua sterilia, et 8
 iam quae ex concubitu orta sint: e quibus ne per
 incubatum quidem excluditur quicquam. Id quod
 potissimum in columbis est animaduersum. Gem-
 mellifica oua binis vitellis praedita sunt, quae in
 aliquibus tenui albuminis dissepimento separantur,
 quo minus inter se confusa sint. In aliis nullum

est, sed inter se contingunt. Ac gallinae quidem nonnullae sunt, quae omnia gemellifera pariunt, in quibus, quod euenire vitello diximus, perspectum est. Duodeuiginti enim aliqua cum peperisset, exclusit geminos, nisi quae irrita fuerunt. Reliqua genitalia gemellos dederunt, ita tamen, ut ex gemellis alter maior esset, alter minor, postremus autem etiam monstruosus.

C A P. IV. (Scaligero V.)

Generis columbacei omnes aues bina oua pariunt, veluti palumbes et turtur magna ex parte, cum plurima, terna palumbes et turtur. Columba domestica, quemadmodum dictum est, omni anni tempore. Turtur et palumbes vere non saepius quam bis. Iterum autem pariunt, ubi priora perierunt: id quod a pluribus auibus fieri solet. Atque pariunt quidem, uti diximus, interdum terna; verum nunquam educant plures binis pullos: aliquando vero vnum tantum. Reliquum autem ouorum semper irritum est. Aues non fere generant anniculae: at vero omnes, postquam semel parere coeperint, natura fert ut paene semper oua habeant: sed interdum propter exiguitatem haud facile deprehenduntur. Columba domestica fere marem et feminam parit: ac marem quidem priorem,

ac frequenter die interiecto alteram parit. Incubant ambo vicissim, mas interdiu, noctu femina. Quod ouum prius editum fuerit, intra vicesimum diem et absolvitur et excutitur a pullo. Pertundunt ouum pridie quam excludatur pullus. Atque ad certum tempus prolem fouent ambo, eo modo quo etiam oua. Femina tantisper, dum pullos alit, infestior est quam mas: quemadmodum cetera quoque animalia post partum. Pariunt in anno decies, aliquae etiam vndecies: in Aegypto etiam duodecies. Intra annum (*quo natae sunt,*) tam mas quam femina coeunt: namque etiam semestres coeunt. Palumbes et turtures aiunt quidam et 3 coire et gignere etiam tertio aetatis suae mense, argumento sumto ab earum copia. Gerunt vtero quatuordecim dies: totidem incubant: tantundem temporis ponunt plumescendo, eo vsque vt ne facile prehendi possint. Viuit palumbes, vt aiunt, etiam annos quadraginta. Perdices plus sexdecim. Emissa priore foetu columba domestica iterum intra diem tricesimum parit.

C A P. V. (Scaligero VI.)

Vultur in saxis inaccessis nidum ponit; quo fit, vt raro visus sit vulturis nidus et pulli. Ac propterea Herodorus Brysonis sophistae pater ait,

Q

vultures aduenire e terra altera ignota nobis, eo argumento, tum quod nemo vulturis nidum conspexerit, tum quod magno numero repente apparent sequentes exercitus. Verum quanquam difficile est ad deprehendendum, tamen perspectum aliquando est. Pariunt autem bina. Ceteras omnes aues, quae carniuorae sunt, non plus quam semel anno parere, obseruatum est: hirundo magis, quam ceterae eius generis aues, bis nidificat. Eius pullis etiamnum iuueniculis si quis oculos pupugerit, conualescunt, atque iterum visum recipiunt.

C A P. VI. (Scaliger continuat VI.)

Aquila autem tria oua parit: excluduntur tantum e duobus pulli: id quod in carminibus, quae Musaei nomine circumferuntur, scriptum est:

Terna parit, binis exclusis educat unum.

Atque hoc quidem fere ita euenit: nam tres quoque pulli eius conspecti sunt. Vbi creuere pulli, eorum alterum eiicit prae taedio nutriendi. Quo sane tempore etiam ineptam ad praedam aiunt eam fieri, ne ferarum catulos rapiat. Paucis igitur diebus eius ungues deprauantur, pennaeque albescunt; quare iniquiore ea vtuntur pulli. Eiectum autem excipit atque educat ossifraga. (phene.) Incubat autem dies circiter triginta. Nam id temporis

aliis etiam grandioribus auibus exigitur ad incubationem, vt anseri et tardae: mediis satis sunt viginti, vt miluo et accipitri. Parit autem miluus fere bina; interdum etiam ternos educat pullos. Aegolius (aetolius *alii Codices*) autem qui dicitur, aliquando etiam quaternos. Parit etiam coruus non solum bina, vt aiunt quidam, sed etiam plura. Circiter viginti dies incubat, pullosque nido eiicit; id quod aliae quoque aues faciunt. Nam quae plura pariunt, saepenumero vnum eiiciunt. Non omnia aquilarum genera aequae erga pullos suos afficiuntur; sed et pygargus morosa est. Nigrae propensiores educandis pullis sunt suis. Alioqui omnes quae vncis vnguibus praeditae sunt, vbi pulli volare queunt, eiiciunt pulsantes e nido; quod, quemadmodum dictum est, aliarum quoque maxima pars facit: cumque enutriti fuerint, nullam praeterea eorum gerunt curam, excepta cornice. Ea enim aliquanto etiam tempore suis studet adeo, vt propter sese volantes ipsa etiam volans pascat.

C A P. VII. (Scaligero adhuc VI.)

Cuculum putarunt quidam ex accipitre mutato fieri, propterea quod ille, cui similis ipse sit, eo tempore non apparet. Ac fere aliorum quoque accipitrum nullus nisi paucis diebus videtur, cum

canere cuculus incipit. Conspicitur vero paruo tempore per aestatem; hieme autem nuspiam. At vero est accipiter vncis vnguibus: cuculus non est. Neque capite illi similis est; sed vtrisque partibus potius columbae: colore tantum accipitrém repraesentat. Quanquam accipitres maculis linearum specie sunt, cuculus quasi punctis potius variatur.

² Magnitudo tamen et volatus similis minimo accipitri, qui per id tempus fere non comparet, quo cuculus videtur. Nam sane iam ambo visi sunt. Quin perspectum est, cuculum ab accipitre deuorari. Atqui nullo in genere auium congenerum hoc euenire solet. Cuculi pullos negant a quoquam conspectos. At ille parit quidem, sed nidum nullum construit; verum in minorum auium nidis, deuoratis illorum ouis, deponit ipse sua, potissimum vero in palumbis nido, deuoratis ipsius ouis. Singula fere parit, raro bina. Parit autem in currucae (hypolaidis) quoque nido; atque illa et excludit et educat. Quo maxime tempore et pinguis est et carne suavi ad vescendum: quemadmodum accipitrum quoque pulli sunt et pingues et suavi carne valde. Eorum genus quoddam praeruptis atque longinquis in saxis nidificare solet.

C A P. VIII. (Scaligero VII.)

Auium magna pars incubat, quemadmodum de

columbis diximus, feminae mare succedente: quidam mares tamdiu saltem, dum abest femina sibi cibum quaerens. At anseres feminae solae incubant atque perpetuo insident, postquam id agere instituerint. Lacustres aues propter palustria atque herbida loca: quamobrém nullo negotiò etiam in ipso incubatu possunt sibi cibum capere, neque omnino inedia laborare. Cornices quoque feminae solae fouent perstantesque in opere non intermittunt: at eas mares alunt, allato atque dato ex ore cibo. Palumba ab sero diei incipiens totam noctem vsque ad ientaculi tempus incubat: reliquum temporis palumbus. At perdices bina ouorum cubilia faciunt; in altero femina, in altero mas incubat: suos vterque exclusos enutrit. Quin etiam cum educit, primum pullos eos init.

C A P. IX.

Pauo autem quinque ac viginti annos viuit: trimus potissimum generat: quo tempore etiam versicolores eius pennae fiunt. Tricenis aut paulo pluribus excludit diebus: semel duntaxat in anno parit. Ouorum numerus ad duodecim aut non multo pauciora. Interiectis binis ternisue diebus pariendi officium intercipit. Primiparae octona circiter. Edunt etiam irrita. Vere coeunt: statim

- 2 a coitu pariunt. Amittit pennas cum casu foliorum, atque cum eorum ortu replumescit. Gallinis paonina oua subiiciunt ad incubandum pastionibus praefecti, propterea quod mas fouenti feminae aduolans atterat. Quae causa est, vt siluestrium quoque volucrum quaedam fuga facta clam maribus et pariant et incubent. Gallinis subiiciunt cum plurimum bina: tot enim duntaxat fouendo educere possunt. Student vero, ne abscedens relin-
- 3 quat incubationem, esca apposita. Auium testes coitus tempore grandiores extant; ac salacioribus quidem et semper coitum exercentibus insunt manifesti, vt gallinaceis et perdicibus: qui vero venerem intermittunt, minus. Ad hunc igitur modum gestant aues et pariunt.

C A P. X. (Scaligero VIII.)

At pisces non omnes oua pariunt, vt dictum est: cartilaginei namque animal edunt, ceterum genus oua. Edunt autem illi animal, postquam prius intra se et pepererint ouum, ibique dato incremento excluserint praeter ranam (*marinam*). Ac quemadmodum supra dictum est, matrices alii alias pisces habent. Nam qui oua edunt, et bipartitas et inferiore parte sitas, at cartilaginei potius ad auium naturam vergentes habent: ceterum ab

illis hoc differunt, quod quibusdam non sub praecinctura consistunt ova, sed in medio secundum dorsum: quo ex loco, cum creuerunt, in alium transferuntur locum. Piscium ouum non duobus coloribus (intus), sed vno praeditum est: ac candidius quam luteum, tum ante, tum vbi iam in foetum mutatum est. Non eodem autem modo pisces 2 hi auesque ex ouo generantur. In piscibus enim non est vmbilicus ille alter, qui ad membranam, quae testae subest, ducit. At qui in auibus meatus ad luteum tendit, e duobus vnum hunc habent. Reliqua vero generationis ratio ex ouo tam auium quam piscium eadem tota est. Nam et in eius summo fit, et venae similiter tendunt a corde primum: item caput atque oculi partesque superiores maximae, vt in illis, per initia. Crescente autem foetu decrescit semper ouum, ac tandem subducitur ab oculis, atque induit se in pisciculum, quemadmodum vitellus in auiculam. Agnatus quoque annectitur vmbilicus paulo infra corporis ventrem; ac per initia quidem longus est vmbilicus, auctis autem minor: tandem vero pusillus, vsque dum subeat, quemadmodum in auibus dictum est. Amb- 3 itur autem et foetus et ouum communi membrana, sub qua altera item est, qua priuatim foetus continetur. Inter membranas autem est humor: ac

quemadmodum in auiculis, ita in pisciculorum alno continetur cibus, in illis luteus, in his candidus. Qua vero facie matrix sit, dissectorum corporum picturis compertum habeto. At vero etiam inter se differunt: nam neque inter se, neque cum latis conueniunt genera mustelaceorum. Quidam enim ad matricis medium circa dorsi locum adhaerentia habent oua, sicut antea dictum est. Huiusmodi sunt caniculae: aucta autem vtrinque descendit. In binos enim partita sinus matrix cum sit atque sub praecinctura constituta, qualis etiam in eiusmodi generibus aliis, abscedunt in circumstantem vtramque partem. Habet autem tum horum tum aliorum mustelaceorum matrix paulo infra praecincturam quasi mammas albas: quas, si foetus non insint, non inuenias. Caniculae (scylia) et raiae (batides) testacea illa nota gerunt, in quibus oui specie humor insit: testae facies similis tiliarum ligulis. Atque in ea insunt meatus capillamentorum tenuitate. Atque eo in genere caniculorum, quos (*ab hinnuli similitudine*) nebras appellant, disrupto et exuto cortice exeunt catuli: raiae cum ipsa testa pariunt, quae deinde rumpitur; atque ex ea prodit foetus. At mustelus spinus (acanthias) sub praecinctura continet oua supra mammas; vbi vero ouum descendit, in eo

fit catulus superne, cum iam absolutum fuerit. Quomodo etiam vulpes generantur. In medio ma-⁵tricum ova continent laeues musteli, quemadmodum et caniculae: vbi vero circumstetere, in vtrumque matricis sinum descendunt, et euadunt animalia annexa per vmbilicum ad matricem, ita vt absumentis ovis non alio modo quam quadrupedes habere foetus videantur. Annexus est longus vmbilicus ad matricis partem inferiorem, vnusquisque tanquam appensus acetabulo, et ad foetus medium, qua iecur habet. Quem si seces, intus alimentum quasi ex ovo deprehendas, etiam cum amplius ouum non est. Ceterum secundae membranaeque, sua cuique foetui, more quadrupedum. Foetus per in-⁶itia caput in superiore habet parte: adultus autem atque perfectus deuexum. In laeua mares generantur, in dextra feminae: quin eadem in parte simul tum femina tum mas. Dissecto foetu, quot habet viscera, ea magna sunt, puta iecur, et quae sanguinem continent, sicut in quadrupedibus. Omnes cartilaginei pisces eodem tempore et superiore parte ad praecincturam ova continent cum maiora tum minora multa, et inferiore iam exclusos foetus. Quo fit, vt huiuscemodi pisces crediti sint eodem mense saepe et parere et coire, propterea quod non omnia simul edunt, sed saepenumero ac diu. In-

7 terea quae in ima sunt matrice, et concoquuntur et perficiuntur. Cetera vero mustelorum genera et emittunt et admittunt intra se catulos: item squatinae et torpedines. Iam vero deprehensa est grandior torpedo, quae ad octoginta contineret in se foetus. Solus mustelorum spinus non recipit propter spinam: e latioribus neque pastinaca neque raia ob caudae asperitatem: ac ne rana quidem foetus suos recipit, tum ob capitis magnitudinem, tum ob spinas: quin ne animal quidem parit haec sola hoc in genere, quemadmodum antea dictum est. Quo igitur differant inter se, quoque generentur ex ovis, is modus est.

[Vulgo C A P. XI. Scaligero IX.]

8 Mares autem tempore coitus meatus habent geniturae plenos, adeo vt expressis exeat inde candidum semen. Sunt ii biuii, a vena magna et praecinctura orti. Tunc igitur conspicui sunt in maribus meatus illi, comparati cum vtero femineo: (*Scaliger* adeo, vt ad feminarum matrices respondeant proportione:) alio tempore minus deprehendi possunt, nisi a peritis. Omnino enim quibusdam certo tempore nulli apparent, sicuti de auium testibus dictum est. Seminales meatus et matriciales inter se differunt, eo etiam, quod hi quidem haerent lumbis, feminis autem bene mobiles sunt, te-

nuique membrana adstricti. Marium meatus vt se habent, spectare poteris in picturis dissectorum animalium. Superfoetant cartilaginei pisces, ac 9 ventrem gerunt menses cum diutissime sex. Qui dicitur stellaris (asterias) e genere mustelorum, saepissime parit; quippe bis in vno mense: coire incipit Maemacterione mense. (Septembri.) Ceteri musteli bis in anno pariunt, praeter caniculam, (scylium,) quae semel in anno tantum. Partim vere pariunt; squatina autem cum vere primum, tum etiam autumnno iterum brumali occasu vergiliarum: qui posteriores foetus feliciores. (*alii Codd. infeliciores.*) Torpedo autem circa autumnnum parit. Ex alto ac profundo terram repetunt, vbi pariant cartilaginei, tum captantes teporem, tum catulis metuentes. Aliorum piscium nullus visus est extra 10 genus suum coire: sola squatina et raia hoc facere videtur. Est enim piscis, qui squatinoraia (rhinobatus) appellatur. Caput is partesque anteriores raiae habet, posteriores squatinae, quasi compositus ex vtroque. Igitur musteli et mustelacei, vt vulpecula et canis, (cyon,) item latiores, vt torpedo, et raia, et laeuraia, (leiobatus, *vulgo erat rhinobatus,*) et pastinaca eo quo diximus modo ex conceptis ouis animal edunt.

C A P. XI. (vulgo XII. Scaligero X.)

Delphin autem et balaena aliaque cete, quaecunque non branchias sed fistulam habent, animal gignunt: item pristis et bos. Horum enim in nullo inuenta oua sunt, sed statim foetus: ex quo dearticulato animal generatur, quemadmodum homo et quadrupedes, quae pariunt animal. Delphin vnum fere parit; interdum etiam duos. Balaena vel duos, atque id adeo frequenter, vel vnum. Similis lex phocaenae cum delphino; siquidem minori delphino quoque similis ipsa est. Nascitur in Ponto. Hoc vero ab illo differt, quod et minor est, et dorso latiore, colore coeruleo. Phocaenam generi ² delphinorum multi attribuerunt. Spirant omnia, quae habent fistulam, atque aerem recipiunt: pulmonem enim habent. Quin animaduernerunt delphinum extante rostro dormientem atque per somnum stertentem. Habet autem tam delphin quam phocaena lac, quod catulis suis praebeant; quos etiam, dum pusilli sunt, intra se recipiunt. Capiunt incrementum celeriter delphinorum catuli: decimo enim anno iustam absoluunt magnitudinem. Gerit vterum menses decem. Parit aestate delphin, neque alio tempore. Fit etiam, vt lateat sub ortu caniculae circiter triginta dies. Catulos suos diu comitatur, quippe magna erga eos caritate est. Viuit

annis pluribus: etenim aliquem plus quam quinque et viginti vixisse annos constitit: alium autem et ad triginta. Id quod obseruarunt piscatores amputatis caudis atque ab se amissis: quo argumento eorum aetatem deprehenderunt. [Cap. XI. Scaligero.] Vi- 3
 tulus autem marinus vtriusque naturae particeps est: nam neque aquam recipit, sed respirat; atque etiam tum dormit tum parit in terra ad littora, tanquam animal terrae incola. At in mari cum maiorem aetatis suae partem exigat, atque ex eo sibi victum petat, de eo inter aquatiles dicendum est. Concipit igitur illico intra se animal: atque edit: itemque secundas et cetera eiicit pecudum more. Vitulorum, quos parit, numerus singuli biniue: cum plurimi, terni. Habet vbera, quibus lactat foetus suos, quemadmodum et quadrupedes. Parit autem omni tempore anni, sicut et homo; potissimum autem cum primis capellis. Vitulos deducit 4
 suos duodecimo circiter quam peperit die in mare: identidem interdiu paulatim assuescens. Ii autem proni repunt, nec ambulant; quippe inniti pedibus qui nequeant. Colligere et contrahere se ipsum potest; carnosus enim est et mollis, ossaque eius cartilaginea. Nec facile interficitur, et frustrantur conatibus, nisi iuxta tempora percutiant: eius enim corpus carnosum est. Emittit vocem boui similem.

Habet genitale femina simile raiae; (batidi;) reliqua omnia similia mulieri. De aquaticis igitur, quae intra aut extra se pariunt animal, generatio partusque sic se habet.

C A P. XII. (vulgo XIII. Scaligero XII.)

At qui pisces oua edunt, eorum matrix binis sinibus caua, et in imo sita est, quemadmodum antea dictum est. Pariunt oua omnes qui squammis teguntur, (lepidoti,) vt lupus, cephalus, mugil, entelis, (*vulgo* etelis,) atque omnes, qui candidi appellantur: praeterea laeues quoque, praeter anguillam. Ouum habent arenaceum. Hoc autem sic (*simplex et unum*) videtur, propterea quod tota matrix ovis stipata est, ita vt in minutis piscibus duo tantummodo oua esse videantur, cum propter et paruitatem et tenuitatem matrix nequeat deprehendi. Ac de piscium quidem omnium coitu iam dictum fuit. Piscium vero pars maxima maris et feminae notis distinguitur; de rubello (erythrino) et hiatula (channa) dubitatur: omnes enim grauidae 2 capiuntur. Quanquam autem concreantur oua in coeuntibus, tamen etiam sine coitu habent quidam pisces. Deprehensum hoc est in fluuiatiliis certis generibus. Paene enim statim quam nati sunt atque pusilli adhuc phoxini foeti sunt. Feminae oua

guttatim emittunt, et mares, quemadmodum aiunt, magnam partem ouorum deuorant: alia autem per eunt in aqua. Quaecunque autem deposuerint in locis, in quibus pariunt, ea supersunt. Etenim si omnia incolumia forent, nimia cuiusque generis esset copia. Quin ne horum quidem quodlibet genitale est, sed quae irrorarit genitura sua mas. Etenim dum pariunt, sequens mas aspergit oua semine suo. Quae igitur aspersa fuerint, ex iis omnibus pisciculi generantur; aliis alia sors est. Hoc 3 idem etiam molluscis euenit. Nam in genere sepiarum femina ubi peperit, mas irrorat oua. Quod ratione pari colligere possis etiam in aliis fieri molluscis: nam in solis sepiis ad hunc usque diem id obseruatum est. Pariunt prope terram ad saxa gobi, estque quod pariunt latum et arenaceum. Sic et alii. Tepidiora enim loca iuxta terram sunt; et est vnde plus escae suppeditetur. Tunc sic pote cauent, ne a grandioribus foetus absumantur. Quae caussa est, vt in Ponto ad Thermodontem fluium plurimi pariant: tranquillus enim locus est tepidusque, et vberior aqua dulci. Qui edunt oua 4 pisces ceteri, semel pariunt in anno praeter paruas fucas. (phycides.) Hae enim bis. Differt a femina fucus, (phyces,) quod et nigrior fit et maiori squamma tectus. Igitur ceteri omnes pisces legitima

foetura pariunt atque oua edunt; at ea, quam acum vocant, instante pariendi tempore, dirumpitur; atque ita exeunt oua. Habet enim is piscis sub ventre et sumine (*Codices* iecinore) rimam quandam, veluti caeciliae serpentes. At vbi peperit,

5 vulnus rursum coalescit. Eodem modo generantur ex ouo pisces vel extra vel intus oua parientes. In summo enim oui pullus oritur, et ambitur membrana; et oculi primum apparent grandes atque globosi. Quare manifestum est, non eodem, vt aiunt, modo fieri, quo qui e vermiculis generantur. Contraria enim in illis ratio: inferiora enim maiora prius: caput autem atque oculi posterius. Absumto autem ouo accipiunt gyrini faciem; ac principio quidem nullum capiunt cibum, sed crescunt hausto oui humore. Postea vero aluntur, vsque

6 dum excreuerint, aquis fluuiialibus. Cum purgatur Pontus, fluitat secundo mari ad Hellespontum id quod appellant Graeci fucum, nos algam. Color huic pallidus. Nonnulli algae florem dicunt esse, ex quo etiam fucus fiat. (*Alii Codices sic: Nonnulli dicunt, fucum esse florem aliquem naturalem.*) Ineunte aestate fit hoc, quo et ostreae et pisciculi; ea loca qui colunt, alantur. Maris accolae nonnulli etiam purpuram suam ab hoc florem habere tradunt.

C A P. XIII. (vulgo XIV.)

Lacustres fluuiatilesque pisces fere grauidi esse incipiunt quinto aetatis suae mense. Vertente autem anno pariunt omnes. Neque vero aut mares genituram aut feminae oua omnia simul emittunt, vt nec marini; sed semper plus minusue habent hae ouorum, hi seminis genitalis. Pariunt statis temporibus; cyprinus quinquies aut sexies, paritque potissimum sub certorum siderum exortu. Chalcis autem ter: ceteri omnes semel in anno. Pariunt autem in stagnantibus fluuiorum aquis lacuumque ad arundines, veluti phoxini et percae. Glanes et percae foetus suos cohaerentes edunt, sicut et ranae; qui ita sunt continuata serie obuoluti; vt quod perca pepererit, propterea quod fusius expandatur, piscatores in lacubus ex arundinibus inglomum colligant. Maiores glanes in profundis aquis pariunt; quippe nonnulli etiam vbi senum pedum altitudo sit. Minores locis breuioribus fere ad radices salicis aut alterius arboris cuiuspiam; iuxtaque arundines atque etiam muscum. (vluam *Camotiana editio nominat.*) Coeunt etiam interdum valde magnus cum paruo, et admotis meatibus inter se, quos vocant aliqui vmbilicos; qua parte semen emittunt genitale: feminae oua, mares genituram proiciunt. Primo igitur aspersu oua

R

statim fiunt candidiora grandioraque vel ipso paene die: deinde mox apparent oculi pisciculorum: quae pars in omni piscium genere, sicut in aliis quoque animalibus, et maxime conspicua et maxima est. At quae ova non attigerit semen, quemadmodum in maritimis dicebamus, inutile fit ouum ineptumque ad generationem. Auctis autem piscibus, ex iis ovis, quae sunt genitalia, excutitur quasi putamen quoddam. Ea est membrana illa, qua et ouum et pisciculus continentur. Vbi vero admistum fuerit ouo semen, quod ex utroque conflatum est, viscidum fit et adhaeret radicibus aliisque locis, ubi pepererint. Quo loco ova plurima edita fuerint, ibi eorum agit custodiam mas: femina cum pepererit, abit. Tardissimum glani est ex ouo incrementum: atque idcirco assidet mas quadragenos quinquagenosque dies, ne deuoretur foetus ab occurrentibus piscibus. Proxima tarditas cyprino generando: quanquam horum quoque foetus qui servatus fuerit, celeriter aufugit. At in minorum genere vel tertio die pisciculi species iam agnoscitur. Eodem quoque die atque etiam post capiunt ova incrementum, quae contigerit semen; glanis ad erui magnitudinem; cyprinorum atque eiusmodi quantum milium sit. Haec igitur ad hunc modum et pariunt et gignunt. Chalcis autem conferta parit

in altis aquis in vnum congregata. At quem tylo-
nem (*vulgo* psyllonem, *Gaza* fullonem) vocant,
ad littora ventis auersa. Is quoque gregalis est.
Cyprinus, balerus, ac fere omnes alii ad vada ap-
pellunt sese, vbi pariant. Singulas feminas saepe-
numero terni quaterniue deni sequuntur mares,
ouumque quod ea abscedente emissum fuerit, asse-
cuti aspergunt semine. Verum quia cedendo parit
femina, plurima intereunt, quae correpta aquae
fluxu dissipantur, nisi quae aliquam ad materiam
adhaeserint. Neque enim praeter glanin vllus alio-
rum custodit oua, nisi si quando forte cyprinus
suis in vnum locum compositis interuenerit: tunc
enim amat ea seruare. Semen autem mares omnes 7
habent praeter anguillam, quae neque semen neque
ouum. Mugiles autem e mari ascendunt in lacus et
fluuios: anguillae contra ex his in mare. Maxima
igitur piscium pars, sicut dictum est, ex ouo ge-
neratur.

C A P. XIV. (*vulgo* XV.)

At enimvero nonnulli ex limo et arena: quin
ex his ipsis generibus, quae etiam ex coitu atque
ouo procreantur, tum in aliis stagnis, tum in eo,
quod circa Cnidon fuisse olim aiunt. Eo cani-
culae sideris aestu exiccato, totus quoque limus extra-
hebatur. Tunc vbi primis imbribus aquae restitui

incipiebant, ibi vero pisciculi cum ipsis aquae iniitiis exoriri, qui genus essent eorum mugilum, quod e coitu nasci solet, pusillarum maenularum magnitudine, sine ouo, sine semine. In Asiae quoque fluuiis, qui in mare exitum non habent, pisciculi pusilli nascuntur, quemadmodum et illi, similes vero minimorum pisciculorum (hepsēti) intestinis. Quidam falso sic omnes mugiles aiunt prouenire: eo namque in genere gerentes oua feminae et mares cum semine genitali videntur. Sed certum genus duntaxat id est, quod e limo et arena procreatur.

- ² Cum igitur quaedam neque ex ouis neque ex coitu sed sponte oriri his argumentis manifestum est, tum vero quae neque ouum neque animal pariunt, omnia vel e limo vel ex arena, atque etiam ex fluitante re quapiam putrefacta euenire solent; quemadmodum ex sabulone ea, quam in genere apuae spumam vocant. Est enim eiusmodi apua, ut neque grandescat, neque habilis sit ad generandum, neque diu queat durare. Sed priore turba abolita, altera succrescit. Quo fit, ut, praeterquam paruo tempore quodam, semper proueniat. Durat enim ab initio Arcturi autumnalis ad ver usque. Eam vero e terra prodire interdum hoc argumento obseruarunt piscatores, quod frigidis temporibus non capiatur, sed tepore quem de terra emergens captet

illa. Quin traheis scalpta humo saepenumero et copiosiores et praestantiores capiunt. At alia aquarum genera deteriora, propterea quod praemature minus creuere. Oriuntur opacis paludosisque locis, cum coeli clementia terra concalescit, velut in Atheniensis agri Salamine et ad Themistocleum et in Marathone. His scilicet locis spuma illa fit. Ceterum in locis eiusmodi et teporibus existere consuevit; sed alibi quoque, vbi largiores imbres ingruunt, excitata in ipsis spuma; aqua etiam spumae nomen est consecuta. Fertur etiam tepido coelo fluitabunda maris aequore ea in materia, in qua conuoluta est. Nam quemadmodum in fimo vermiculi minuti, sic in eiusmodi re spuma; quocunque loco aequoris concreuerit. Quo fit, vt ex alto multa ad loca appellatur hoc apuae genus. Eius prouentus ac praestantia maxima, quo tempore annus humore et tepore abundat. Alia autem apua a piscibus generatur. Quae enim gobialis (cobitis) appellatur, fit e gobiis minutis et vilibus, qui terram subeunt. E Phalerica autem oriuntur mentbrades; ex his trichides; e trichidibus trichiae: ex aliquo genere apuae, velut eo, quod in portu Atheniensium degit, generantur qui encrasicholi dicuntur. Est et alia (*Codex alius* et haec apua maenarum) apua, quae maenularum et mugilum foetura

est. At spuma illa sterilis est et breui, vt antea dictam est, aboletur. Reliquum tandem caput atque oculi ipsi fiunt. Piscatorum tamen horum nostrorum inuentum est, vt eam, quo deportare possint, sale aspergant: sic enim diutius durat.

C A P. XV. (vulgo XVI.)

Anguilla neque ex coitu generatur, neque ouum parit: neque vlla capta est, quae vel genituram vel ouum haberet: neque dissecta comperti sunt meatus vel seminales vel ad matricis officium destinati; sed solum (*vulgo* totum) hoc genus interea, quae sanguine constant, neque ex coitu neque ex animali fit. Sic autem esse hoc argumento patet. Certis enim feculentis lacubus, tota aqua exhausta, et coeno exacto, rursus generantur, vbi imbres euerint. Siccis autem temporibus non proueniunt, neque in lacubus perennibus. Veniunt enim atque aluntur aqua pluuia. Quod autem neque e coitu neque ex animalibus fiant, manifestum est. Verum quibusdam generare visae sunt, propterea quod in nonnullis lumbricellos deprehendere: ex quibus² arbitrati sunt innasci anguillas. At hoc sic non habet; sed gignuntur ex iis, quae terrae intestina nominant, quae sponte concresecunt in coeno et humo vda. At iam obseruatae sunt ex iis emergen-

tes anguillae: partim etiam discerptis et discissis existerunt. Haec autem proueniunt tum in mari, tum in fluuiis, cum potissimum fit putrefactio. Maritimis quidem locis, vbiunque alga (fucus) fuerit; in stagnis autem ac fluuiis iuxta ripas: ibi enī tepor vicens putrefacit. De anguillae igitur generatione sic se habet.

C A P. XVI. (vulgo XVII.)

Non autem omnes pisces eodem aut tempore aut modo pariunt, neque pari gerunt. Vterum tractu. Igitur ante coitum gregatim conueniunt tam mares tam feminae. Appetente vero et coitus et partus tempore per paria comparantur. Vterum gerunt horum nonnulli haud plures tricesimos dies: alii pauciores. Sed omnes iis temporibus, quae certo septimanarum numero diuidi possunt. Plurimum tempus gerunt, qui marini vocantur. Circiter Decembrem (Poseidoneonem) mensem praegnant fit sargus, geritque dies triginta. Eodem tempore vterum gestat tum is, quem labeonem (chailoneis) in mugilum genere vocant, tum nauco. (myxon.) Doloribus laborant praegnae. Quo fit, vt per id tempus potissimum exiliant. Feruntur enim graui stimulo concitati in terram; atque omnino interea perpetuo in motu sunt, quoad pariant:

maxime omnium piscium mugil. Leuati autem
 2 partu quietem agitant. Parere desinunt pisces
 multi innatis in ventre vermiculis. Innascuntur
 enim pusilla animalcula, quae exigunt foetus.
 Pisces, qui rhyades appellantur, vere pariunt, ac
 plurimi circa vernum aequinoctium. Aliis aliud
 anni tempus: nam quibusdam aestas, nonnullis
 aequinoctium autumnale. Hoc in genere prima
 parit alherina, idque iuxta terram. Cephalus au-
 tem postremus. Deprehensum hoc est eo, quod
 huius foetus primus aspectus sit, cephalii autem
 postremus. Parit autem mugil inter primos. Salpa
 [locis plurimis] aestate parit ineunte: alicubi etiam
 3 autumno. Aulopias quoque, quem anthiam vo-
 cant, aestate parit. Post hos aurata et lupus et
 mormyrus, (osmylus *alii Codices*) denique om-
 nes, quos Graeci cursores (dromades) vocant. Vi-
 tinus gregalium mullus et coracinus: pariunt enim
 autumno. Parit mullus in coeno; ideo sero parit:
 diu enim coenum frigidum est. Post mullum co-
 racinus in algis (fucis) egressus, propterea quod
 degit inter saxa, et diu vterum gerit. Maenae pa-
 riunt circa brumam. Ceterorum, qui in alto mari
 degunt, magna pars aestate pariunt: quod ita con-
 ſiciunt, propterea quod per id tempus non capiun-
 tur. Foecundissima piscium maena: e cartilagineis

autem rana: sed infrequentes tamen sunt, propterea quod facile intereunt. Parit enim simul omnia et iuxta terram. Verum omnino minus foecundi sunt cartilaginei, idcirco quia animal pariunt; ac tutissimi sunt ob corporis magnitudinem. Sero parit etiam quae acus vocatur, et pleraeque earum parturientes dirumpuntur ab ovis, quae non tam multa quam magna continet. Foetus circa parentem quasi phalanga circumfusi sunt: parit enim ad se ipsam: sed si tetigeris, fugiunt. Atherina parit atterendo alium ad arenam. Rumpuntur (dehiscunt *Plinius*) thynni quoque prae obesitate. Vivunt annos duos; quod eo argumento deprehenderunt piscatores: cum anno superiore defecissent thynnides, sequenti ipsi quoque thynni defecerunt. Videntur enim esse thynni quia pelamydes anno vno grandiores. Thynni scombrique (scombriae-⁵ que *Codex vnus*) coeunt mense Febuario (Elaphebolione) post Idus; pariunt Iunii (Hecatombaeonis) initio: ova edunt quasi in vtriculo. Thynnides celeriter capiunt incrementum. Cum hi pisces in Ponto pepererint, ex eorum ovo fiunt, quas cordylas vocant aliqui, auxidas autem Byzantii, propterea quod paucis diebus augescunt. Exeunt autumno cum thynnidibus (*vulgo thynnis*) simul: verno autem tempore repetunt iam factae pelamydes.

Paene autem pisces omnes alii celeriter crescunt: at omnes in Ponto celerius: nam et amiae incrementum singulis diebus manifeste intelligitur. Omnino autem existimandum, iisdem piscibus non iisdem locis alia esse tempora tum coeundi tum veterum gestandi; neque vero aut pariendi aut proficiendi: quandoquidem qui dicuntur coracini circa triticeae messis tempus pariant alicubi. Verum quae diximus, ita magna ex parte euenire volumus
 6 intelligi. Gerunt congrì quoque; quanquam haud aequè omnibus locis hoc satis constat: neque ipse foetus propter pinguedinem sensu satis apprehendi potest. Oblongus enim est, sicut et serpentibus; verum igni inditus apprehenditur. Adeps enim exhalat ac tabescit; ova autem exiliunt, atque ex-trita sonitum edunt. Praeterea si quis attrectet atque affricet digitis, seui quidem laeuitatem, at oui asperitatem dignoscet. Congri igitur quidam se-vum quidem habent, ouum autem nullum: alii contra seui nihil, ouum autem cuiusmodi diximus. Animalium igitur fere omnium, quae natatu aut volatu aut humi tantum mouentur, partus ex ovo dictus est. Itemque de coitu, de vtero, de generatione atque iis quae eius sunt modi.

C A P. XVII. (vulgo XVIII.)

At de iis, quae humi mouentur atque animal

pariunt, ac de ipso homine dicenda sunt eadem
 ratione, quaecunque natura euenire solent. De
 coitu igitur, quaeque peculiaria quaeque communia
 essent, dictum est. Commune autem omnium ani-
 malium est, vt voluptate et cupidine propter coi-
 tum soleant sollicitari. Inprimis feminae difficiles
 sunt, vbi pepererint; mares tempore coeundi. Mor-
 dent enim equi equos, et deiiciunt sessoros atque
 eos insectantur. Sues quoque feri perditissime sae-
 viunt, quanquam ab coitum tempore hoc maxime
 sint imbecilli. Atque inter se pugnas cient admi- 2
 rabiles. Namque affricantes ad arbores tergora lu-
 toque incrustantes saepe et resiccato, quam crassis-
 simum sibi comparant corium, et sibi loricam in-
 duunt; initaque pugna e gregibus (lustris) expel-
 luntur (prorumpunt) adeo acri, vt ambo saepenu-
 mero intereant. Idem mos tauris quoque etj arie-
 tibus et hircis: cum suo enim quique in genere
 gregatim compascere soleant, coitus tempore sedi-
 tione mutua facta praeliantur. Camelus quoque
 mas sollicitatus coitu haud facile aditur vel ab ho-
 mine vel a camelo. Nam alioqui semper atque omni
 de caussa cum equo bellum gerit. Ferae quoque 3
 nihilo secius agunt. Quippe ad vrsos, lupos, leo-
 nes hoc eodem tempore non sine pernicie acceditur.
 Inter se autem minus pugnant, propterea quod eo

in genere nullum gregale est. Ac sane vrsa ipsa enixa morosior est, et canis femina, ob catulos vtraque suos. Efferantur item eleplanti coiturientes. Quae, vt aiunt, caussa est, ne Indi eos admittant ad feminas: in insaniam enim actos tunc euertere eorum casas, quippe minus affabre extructas; aliaque multa committere. Mitiores tamen eos reddi pabulo largiore; quin et adductis aliis atque inssis illos caedere, et vlciscuntur et seruire cogunt. At quae animantes saepe et non vno stato coeunt tempore, cuiusmodi eae sunt, quae hominis consortii participes sunt, sues et canes, minus constat hoc agere propter coitus copiam. Coeundi libidine incenduntur inter feminas equae potissimum, secundum autem eas vaccae. Igitur equae maris desiderio insaniunt: vnde etiam earum nomen ab vno animali in eas, quae libidine vrantur, maledicto transferunt. Aiunt etiam per idem tempus vento grauidas fieri. Qua de caussa in Creta nunquam segregant a feminis admissarios. Cum igitur equi absentia sollicitantur; ceteris, quae in armento sunt, relictis, cursu abeunt. Est autem affectio in equabus, quam Graeci *ἔππομανεῖν* dicunt, latine equifurere; quod in suibus iidem *καπρίζειν*, nos subare. Vbi currunt, neque auroram neque occidentem, sed aut septentriones aut austrum pe-

tunt. Cum sic affectae sunt, neminem ad sese ac- 5
cedere patiuntur, nisi aut labore fatigatae, aut cum
ad mare peruenerint. Ibi vero eiiciunt quiddam,
quod cognomine voce appellant cum eo, quod pul-
lus nascens gerit, hippomanes. Est autem qualis
a Graecis *καρρία*, a nobis *apria* (*Scaligero* *porcia*)
dici potest. Atque id exquiritur maxime veneficiis.
Instante coitu capitibus inuicem obuersis atque in-
clinatis consistunt magis quam antea, caudamque
motant; aliter quoque quam consueuere hinniunt.
E genitili geniturae simile quiddam effluit multo
tenuius quam maris semen: quod etiam nonnulli
hippomanes quoque vocant, non autem id, quod
pullis innascitur. Non sine negotio excipi posse au-
tumant; paullatim enim destillat. Quin etiam,
dum equiunt, saepius mingunt et inter se collu-
dunt. Haec de equis sic habent. Vaccae autem 6
tauriunt. Tanto autem furore capiuntur, ut neque
tenere neque capere bubulci eas valeant. Cum vruntur
libidine coeundi tum equae tum vaccae, id de-
prehendes tumore genitalium. Vaccae quoque per-
inde atque equae micturiunt. Vaccae etiam inscen-
dunt tauros, comitanturque eos semper atque et-
iam assistunt. Iuniores in equorum genere et bu-
bulo priores incipiunt vrgeri ad coitum. Temporibus
quoque tepidioribus et habitudine secundiore

plus in venerem vrgentur. Equae etiam cum at-
 7 tondentur, earum impetus cohibetur, et fronte tri-
 stiori fiunt. Armenti sui consortes feminas odore
 dignoscunt equi, etiam, si paucos tantum dies ante
 coitus tempus vna fuerint; quas, si se cum aliis
 commiscuerint, (*si cum aliis coierint?*) morsu ex-
 pellunt, segregatique pascuntur, suas quique ha-
 bentes. Tricenae aut paulo plures singulis dantur.
 Quod si mas aliquis accedat, coactas in vnum vbi
 ambierit cursu, adoritur oppugnare aemulum, et
 ex agmine quae se mouerit, morsu inhibet. Taurus
 autem appetente coitus tempore armentis aggrega-
 tur, pugnamque ceteris ciet. At antea simul de-
 gunt ipsi; id quod Graeci ἀτιμαγελειν, nos possu-
 mus dicere segregari vel exarmentari. Saepe enim
 numero Epirotici tres menses totos non comparent.
 Denique siluestria vel omnia vel plurima ante coi-
 tus tempus non vtuntur communi cum feminis pa-
 scuo: sed mares, cum adoleuerint, segregantur, at-
 que seorsim a feminis degunt. Scrofae quoque,
 cum veneris impetu sollicitantur, id subare vocant,
 infestae etiam homines adoriuntur. Canes autem eo
 9 affectae modo dicuntur catulire. Coituriensibus fe-
 minis intumescunt genitalia locusque ille humescit.
 Equabus quoque liquor albus eodem tempore de-
 stillat. Menstruorum quoque purgationes eueniunt

ceteris animalibus, sed nulli aequae ac mulieri. In
 ouibus et capris tum coeundi tempus tum coitum
 peractum certis signis deprehendes: inde nihil noui
 iudicii moliuntur, quoad pariturae sint. Tunc enim
 quibusdam argumentis cognoscunt pastores instare
 partum. Edito foetu large purgantur, principio
 cruenta materia non valde, postea vero valde. At 10
 boui quidem asinoque atque equo quam his vberio-
 res eueniunt purgationes, propterea quod sunt gran-
 diores: verum si ad vtrorumque magnitudinem ma-
 gnitudinis spectes rationem, multo parcius purgan-
 tur. Bos igitur venere exstimulata leuiter purgatur,
 quippe ad heminae dimidium aut non multo plus: quo
 purgationis tempore opportunus est coitus. Equa
 facillime omnium quadrupedum parit; et quod atti-
 net ad purgamenta, purissima est, minimumque
 fluxum sanguinis emittit pro corporis magnitudine.
 Equabus et vaccis praecipue menstruatio fit, inter-
 missa bimestri et quadrimestri et semestri spatio:
 quod non nisi ab armentariis iisque valde assuetis
 animaduerti potest; idcircoque nonnulli putarunt
 iis menstrua non solui. Mulabus non exeunt men- 11
 strua, sed vrina, quae fit crassior quam mulorum.
 Omnino autem vesicae excrementum quadrupedibus
 quam hominibus crassius est. In genere ouillo et
 caprino semellurum vrinae quam marium crassiores;

at asinarum tenuior, vaccae acrior. A partu omnium quadrupedum crassior vrina fit; magisque etiamnum iis, quae minus fuerint purgatae. Lac per initia coitus puris specie prouenit. Vtile autem fit; postquam pepererint. Oues capraeque praegnant pinguescunt ac plus comedunt. Ita et boues et quadrupedes omnes aliae.

CAP. XVIII. (vulgo continuatur CAP. XVIII.)

Verno tempore in vniuersum aguntur in venem; quanquam non omnes eodem coeunt tempore, sed eo quod ad nutriendos foetus fuerit conuenientius. Sues villaticae quaternos menses gerunt; gerunt autem cum plurimos vicenos. Verum vbi multos pepererint, non omnes educare possunt. Vtulae nihilo secius pariunt, sed tardius coeunt. Vno quidem initu implentur; sed saepius admittant, propterea quod post coitum eiiciunt id quod apriam diximus. Quae communis quidem omnibus affectio est, sed quaedam etiam cum ea semen emittunt. Quae proles in vtero iusta magnitudine deprauata fuerit, Graeci *μετάχοιρον* vocant, quasi tu porcellum cordum dicas. Hoc quouis matricis loco generari consuevit. Vt primum quemque peperit, eidem primam mammam dat. Subantem non oportet statim iniri, priusquam aures demiserit;

alioqui rursus subaturit. Si autem vrgeat eam venis impetus, vnus initus, vti diximus, satis est. Apro coituro confert praebere in pabulum hordeum; scrofae autem, vbi peperit, coctum. Sunt scrofae, quae primori statim aetate ferunt porcellos bonos; aliae aetate tantum procedente proles suas et porcellas probas generant. Aiunt altero eruto oculo scrofam celeriter interire, raroque euadere. Viuunt fere omnes quindecim annis: nonnullae paulo minus viginti.

C A P. XIX.

Tertio aut quarto initu replentur tam oues quam caprae. Imbre coitum superueniente, repetendus coitus est. Pariunt cum plurimos duos; interdum tres; iam vero etiam quatuor. Gerunt vterum menses quinque tam ouis quam capra; quo fit, vt locis tepidis commodisque et ad pastum vberibus bis pariant. Viuit capra annos octo circiter: ouis decem; sed etiam saepe minus, praeter earum ductores, qui ad quindecim accedunt. Vnicuique enim gregi ex maribus ductorem vnum comparant, qui a pastore nominatim vocatus antecedit, assuefactus hoc agere a tenera aetate. Aethiopicae oues et ad duodecim et tredecim viuunt annos: atque caprae ad decem et vndecim. Coit tum ouis tum capra; tam

mares quam feminae, quamdiu viuunt. Geminos pariunt oues atque caprae et pabuli vbertate, et cum aries aut hircus vel ipsa mater fuerit vna e gemellis. Mares vero aut feminae nascuntur tum propter aquas, (quarum vis aliarum alii sexui destinatur,) tum propter ipsos parentes; nec minus aquilone spirante coeuntes mares potius generant, austro feminas. Mutantur etiam naturae, vt quae feminas parere consueuerint, mares edant, si in coitu aduersus aquilonem obuersae stent. Quae mature iniiri solent, si sero admittas, non patiuntur arietes.

3 Proles candida aut nigra fit, prout sub arietis lingua aut candidae aut nigrae venae subsunt. A nigris nigra, a candidis candida, ab vtrisque varia, a rufis rufa. Quae salsiores aquas potant, maturius coeunt. Operae pretium etiam est, autequam pariant, salire aquas: itemque et postquam pepere- rint, atque etiam vere. Capris ductorem non constituunt, propterea quod earum natura minus constans sit, sed cito et facile vagentur. Stato tempore si grandiores natu oues ad coitum incitentur, aiunt pastores, commodiorem annum gregi portendi; si iuniores, male ei cessurum.

C A P. XX.

Canum genera plura. Canes Laconici tam mares quam feminae coeunt octavo aetatis mense. Ac

sublato crure circa id tempus nonnulli vrinam reddunt. Vnico initu concipit canis. Quod deprehensum ex eo est, cum furtim subdidissent feminas: semel enim in itae conceperunt. Gerit vterum Laconica sextam anni partem, hoc est dies sexaginta; quanquam interdum vno alteroue aut tertio die plures aut pauciores. Postquam peperit catulos, ii duodecim dies carent visu. A partu coitum repetit non ante sextum mensem. Quaedam quintam anni partem gerunt, dies scilicet duos et septuaginta. Harum catelli non ante quartum decimum diem vident. Quaedam vero quartam anni partem; quippe tres menses totos. Harum catuli decem et septem diebus carent visu. Videntur autem canes catuliendo tantundem ponere temporis. Septenos 2 dies canibus menstrua soluuntur; simul et genitalia turgent. Verum nondum admittunt mares, sed sequentibus diebus totidem. Omnes enim fere videntur quaternis denis diebus catulire: quanquam etiam septenis denis quaedam sic affectae fuerunt. Exeuntibus catulis vna cum illis exit purgamentum crassum mucosum; quod post partum plus de corpore (*crassitie*) quam de copia magis magisque perdit. Canes, antequam pariant, fere dies quinque lac habent. Quanquam quibusdam proueniat et septimo et quarto. Atque a partu statim utile

est. Laconicae autem tricesimo die post coitum lac habent. Initio crassum, processu temporis tenuius fit. Praestat caninum crassitudine, post suillum et leporinum. Appetens aetas ad coitum idonea deprehenditur argumentis, sicut et in homine. Intumescunt aliquantis per papillae mamillarum et cartilagineam induunt duritiem. Verum difficile est imperitis haec dignoscere: neque enim vlla sunt insigni magnitudine. Atque hoc feminae quidem evenit; at mari nihil eiusmodi. Sed sublato crure mingunt mares fere sexto aetatis suae mense. Hoc aliqui faciunt demum octavo: etiam sunt, qui ante sextum: sed paene semper cum incipiunt coire, (corroborari, *alii Codd.*) id agunt. At feminae conquiscentes vrinam reddunt omnes. Iam vero etiam quaedam elato crure minxerunt. Parit canis cum plurimos duodenos: nam fere quinos senosue. Iam vero vnicum fuit quae pepererit. Laconicae fere octo. Coeunt tam mares quam feminae quamdiu viuunt. Peculiare vero id Laconicis. Laboribus enim exercitae plus valent ad coeundum quam desides. Viuit Laconicus canis annos decem, femina duodecim. Aliarum maxima pars quatuordecim aut quindecim; quaedam viginti. Idcirco aiunt Homerum recte cecinisse, canem Vlyssis anno vicesimo esse mortuum. In genere Laconum

mares quam feminae ob labores minus diu viuunt: in aliis haud sane compertum est: verum mares longaeuiore. Dentes canis praeterquam eos, qui canini dicuntur, nullos mutat, atque illos sane quarto quam nati sunt mense, tam mas quam femina. Igitur contrario modo sentiunt aliqui, propterea, quod hos solos mutat, ac quidam idcirco negant vllum omnino mutare; quidam, cum hos obseruarint, putant ceteros quoque mutare. Aetates a dentibus iudicant: iuniores candidos et acutos habent; seniores atros et obtusos.

C A P. XXI.

Taurus vno initu implet. Inscendit autem violenter ita, vt vacca sese concurret. Quod si impetus illius euentus vanus fuerit, vicesimo post die vacca taurum iterum admittit. Seniores tauri eandem eadem die saepius non inscendunt, sed intermittunt: at iuniores tum eidem saepius vim afferunt, tum multas ineunt, robore suo incitati. Marium minime libidinosum animal est taurus. Qui vicit, coitum exercet, in quo cum prae libidine viribus fuerit defectus, inuadit eum victus, ac saepenumero superat. Initia coeundi tam mari quam feminae anniculis, ita vt etiam generent: plerumque tamen hoc faciunt annum et octo menses

nati; sed, quod potissimum confessum est, bimi. Gerit nouem menses, parit decimo. Quidam affirmant, ipso complente decimum die parere. At quod citra dicta tempora editum fuerit, abortus est: [*Quin etiam si vel tantillum anteuerterit partus tempus, neque uiuit,*] neque potest uere. Ipsae enim uingulae quoque admodum sunt molles atque imperfectae tunc. Parit vnum fere: 3 raro duos. Parit uero atque coit, quoad uiuit. Quindecim annos circiter uiuit magna ex parte femina; item mares, si castrentur. Aliqui etiam ad uiginti aut etiam plures, si agili sint corpore. Excitos mares assuefaciunt armentis ductandis, quemadmodum in genere ouillo. Ii diutius quam ceteri uiuunt, propterea quod neque laborant, et sinceriore pabulo uescuntur. Flos aetatis anno quinto. Itaque recte quidam aiunt cecinisse Homerum: *marem quinquennem*: et illud: *bouis nouennis* (*aetate florentis?*): idem enim significare. Dentes mutat bos anno altero aetatis suae, non uniuersos, sed ut equus. Uingulas, cum dolore pedum laborat, non amittit, sed tumescunt ualde ei pedes. Lac post partum (statim) utile est: ante id tempus non habet lac. Primum quodque lac ubi concreuerit, adeo durum fit, quasi lapis. Quod ita demum contingit, si quis ei aquam non admisceat. Mi-

nones anniculis non coeunt iuuencae nisi prodigiose: nam et quadrimestres aliquae initum passae sunt, et mares coierunt. Mense Aprili (Thargelione) et Maio (Scirrhophorione) coire incipiunt plurimae: verum aliquae et ante autumnum non implentur. Cum multae sunt grauidae atque initum (*iberum?*) admittunt, ratum argumentum videtur esse et tempestatis et imbrium. Menses soluuntur vaccis, vt equabus, sed minus.

C A P. XXII.

Equus et mas et femina coire incipiunt bini; quanquam hoc haud saepe fit. Eorum quoque proles tum minor tam infirmior. Sed fere tres annos natis initum veneris est vtrique sexui, ac proficiunt pullis subinde melioribus generandis ad annum vsque vicesimum. Gerit equa menses undecim, parit duodecimo. Implet equus non certo dierum numero, sed aliquando vno aut altero aut tertio aut pluribus: asinus autem celerius. Equorum coitus non est laboriosus, veluti boum. Salacissimum est omnium et marium et feminarum genus equorum praeter hominem. Excitantur ad coitum praeter aetatis rationem iuueni equi, cum et bono et largo pabulo luxuriant. Raro plures vno parit; aliquando parit etiam geminos, sed nunquam

plures; iam et mulos quaedam geminos peperit: quod prodigiosum censetur. Coit equus etiam tricesimo mense aetatis suae; ita ut post dentium mutationem sese digna generet. Iam vero etiam dum amitterent adhuc dentes, impleuerunt, ut aiunt, nisi sua natura steriles fuerint. Habet equus dentes quadraginta; amittit primores quatuor mense tricesimo, duos superiores, totidem inferiores. Exacto deinde anno, eodem modo quatuor abiicit, duos superiores, duos inferiores. Tum sequenti anno peracto quatuor alteros ad eundem modum. Postquam annos quatuor atque insuper menses sex natus fuerit, nullum amplius amittit. Iam vero cuidam omnes cum primis exciderunt; alii autem cum postremis. Verum haec raro fiunt, ita ut fere quarto et quadragesimo mense utilis maxime sit ad generationem. Seniores equi tam mares quam feminae aptiores sunt ad generandum. Ineunt et matres et filias equi: quo argumento iam tum completum armentum putant, cum suam conscendunt prolem. Scythae equabus grauidis equitant, cum primum foetus se conuerterit, quo faciliorem partum aiunt euenire. Ceterae quadrupedes pariunt iacentes; atque idcirco earum omnium foetus in latu exerunt: at equa appropinquante partu erecta stans edit prolem. Equorum plurimi duodeuiginti

annos viuunt; item viginti quinque atque etiam triginta. Quod si bene curentur, pertingunt etiam ad quinquagesimum. Sed fere longissima vita tricesimus; (nonus *omittunt Codd. aliquot*) equabus autem quintus et vicesimus. Iam vero quaedam etiam quadraginta vixerunt annos. Minus diu viuunt mares feminis ob coitus, et domestici quam armentarii. Feminae iusta altitudo longitudoque anno quinto; mari sexto. Sex annis sequentibus crassescit corpus, perficiturque ad vicesimum vsque annum. Citius perficiuntur feminae quam mares: at in vtero mares quam feminae; sicut et in hominum euenit genere, et in aliis animalibus, quae multipara sunt. Aiunt mulum post mensem sextum ad mammam non admittere lactis gratia, vt ante: conuulsione enim idcirco laborare: at equum longiore tempore admittit. Aetatis vigor equo et mulo dentibus mutatis. Cum omnes iam amiserit, haud facile est nosse aetatem. Itaque vulgo iactant sic, notam equum habere ante amissos, amissis non habere. Dignoscitur oranino aetas post amissionem de caninis. Eorum enim, qui equitantur, attrita minores fiunt: iuxta enim eos imponitur frenum. Qui equitem non ferunt, maiores habent, sed dissitos. Iunioribus autem acuti et pusilli sunt. Coit mas et quouis tempore et quoad viuunt. Fe- 5

minae autem idemque et coeundi et vitae finis est. Quouis autem tempore coeunt, nisi si quis vinculis aliaue coerceat necessitate. Nec tempus vllum certum eorum libidini et veneri definitum est: neque tamen, quocumque coierint tempore, queunt quod genuerint educare. In Opunte armentarius equus quadragenarius inibat; sed eius anteriora crura contollere oportebat. Vere coitum auspicantur equae. Postquam peperit equa, non continuo deinceps impletur, sed aliquamdiu abstinet; ac quarto quintoue post partum anno parit praestantiora. Vnum saltem annua interponere necesse est, ac tanquam noualem quendam facere.

6 Equa igitur per interualla parit; asina (*Codices omnes* mulus) autem nunquam intermittit. Sunt nonnullae equae steriles omnino. Aliae concipiunt quidem, sed perferre nequeunt. Harum argumentum obseruarunt in dissecto pullo, circum cuius renes renum specie alia sint, ita vt renes quatuor esse videantur. Equa vbi peperit, illico devorat secundas, itemque auulsum de pullo id, quod in equorum genere pullorum fronti innascitur, Hippomanes nomine, magnitudinis paruae caricae, facie latum, orbiculatum, nigrum. Hoc si quis praeueniens auferat, odore eius sollicitata equa mente abalienatur atque furit. Quamobrem

veneficae id quaerunt atque colligunt. Impletam ab equo equam asinus si ineat, corrumpit conceptum antea foetum. Equis nullum praestituunt ducem armentarii, sicut faciunt bobus, propterea quod vagum suapte natura animal est acreque, neque vno in loco facile manet.

C A P. XXIII.

Asinus asinaque coeunt mense aetatis tricesimo; et tunc amittit primos dentes: secundos autem sexto mense: ac tertios quartosque simili modo. Hos autem quartos notam vocant. Iam vero etiam annicula asella concepit, ita vt etiam educaret. Exceptum coitu semen emingit, nisi prohibeatur; idcirco post coitum statim verberibus insectantur et in cursum propellunt. Parit mense duodecimo. Vnum fere parit: haec enim est eius natura; quamquam interdum et duos. Ac, quemadmodum diximus, equi conceptum corrumpit asinus coiens, at non ita equus asini, cum inita ab eo equa fuerit. Grauida mense decimo lac habet. A partu initur 2 die septimo, eoque huius diei initu potissimum impletur, quamquam etiam post. Quod si non pepererit prius, quam dentes gnomones amittat, nunquam amplius aut impletur aut coit postea, quamdiu viuit. Non vult parere in conspectu ho-

minis aut in luce, sed in tenebras abducunt parturientem. Tota vita parit, si non ante pepererit, quam amittat gnomones. Viuit asinus plus annos triginta, ac femina quam mas diutius. Cum equus asinam, aut asinus equam inuit, multo magis abortus sequitur, quam si congeneres coeant, cum equa equus, cum asina asinus. Secundum maris naturam euenit vteri gerendi tempus, cum diuersi coiuerint. Tantundem, inquam, temporis, quanto perficitur ipse, suo e genere cum procreatur. At corporis magnitudo et facies et robur prolis potius, **3** matrem repraesentat. Quod si eiusmodi mixtio perpetuetur, neque ita coeundi tempus vllum intermittatur, breui femina effoeta fit. Idcirco qui hoc agunt, non perpetuo miscent, sed interponunt tempus. Non admittit aut equa asinum aut equum asina, nisi asinus vel femina equam suxerit. Ergo dant operam, vt supponant eos, quos vocant equirumos. Hi ineunt in pascuis vi superantes, velut equi.

C A P. XXIV.

Mulus conscendit atque coit post amissos dentes priores; septennis etiam implet: ac iam ex eius inuitu ginnum equa procreauit: postea amplius non coit. Atque iam mula grauida facta est, sed ad finem perferre foetum non potuit. At mulae in terra-

Syria supra Phoenicem coeunt et pariunt. Sed enim simile genus est, non idem. Qui ginni vocantur, ex equa generantur, cum haec inter gestandum male affecta fuerit; quemadmodum inter homines pumiliones, et in suillo genere porculi cordi. Habet genitale ginnus grande, sicut et pumiliones. Vita mulorum ad annos multos: quidam octogennarius factus est Athenis, quo tempore templum exaedificabant. Is etsi dimissus ob senium, adnixus iumentis, quae trahebant carros, ea ad opus adhortabatur. Quare plebiscitum factum eoque cautum fuit, ne annonae negotiatores a frugum cumeris in foro arcerent eum. Særius mula senescit quam mulus. Nonnulli ita aiunt, feminam cum purgatione vrinam reddere, marem autem vrinam eius odorantem celerius senescere. [Vulgo et Scaligero XXV.] Horum igitur animalium generationes ad hunc modum sunt. Sed qui quadrupedibus (*dictis*) curandis obeunt munus, hoc argumento seniores iunioresue deprehendunt. Si a maxilla abducta cutis continuo retendatur, iunior quadrupes est: si autem diu corrugata maneat, vetula est.

C A P. XXV. (vulgo et Scaligero XXVI.)

Camelus gerit menses duodecim. (*Libri omnes decem.*) Parit autem vnicum: vnicpara enim est.

- Foetum anniculam segregant ex armento. Viuit diu; quippe vel ad annos plus quinquaginta. Parit vere. Lac semper habet, quoad iterum conceperit. Atque carnes et lac inter suauissimos censentur cibos. Lactis vsus est admixto duplo aut triplo
- 2 aquae. [Vulgo et Scaligero XXVII.] Elephantus primum aetatis anno vicesimo tam mas quam femina coeunt. A coitu femina gerit vterum, vt aiunt quidam, sesquiannum, vt alii, annos tres. Controuersiae temporis in caussa est, quod coitum nemo facile conspiciere potest. Parit femina clunibus demissis, manifesto dolore. Natus pullus ore, non promuscide, lac sugit, statimque et oculis vititur ad videndum et cruribus ad ingressum.
- 3 [Vulgo et Scaligero XXVIII.] Sues ferae ineunte hieme coeunt. Vere pariunt secedentes in loca maxime inaccessa et praerupta, angustaque atque opaca. Versatur inter scrofas mas triginta fere dies. Partus numerus ferendique vteri tempus idem, quod et in villaticis suis: vocemque his similem edunt; sed femina quam mas frequentiore: is enim raro. Sues feri castrati tum maiores tum saeuiores euadunt, sicut etiam Homerus cecinit:

*Exectum aprum aluit saeuum, qui non fuit instar
Frugiferae ille ferae, sed molis montis opaci.*

Fiunt autem castrationes in iuuenulis, quorum

testes morbo pruriginem inducente capiuntur. Ergo scabentes ad arbores eos exterunt.

C A P. XXVI. (vulgo et Scaligero XXIX.)

Cerna ita coit, vt diximas antea, fere subtrahendo se: raro enim marem pati potest ob impetus contentionem. Aliquando tamen etiam more pecudum patiuntur, atque virgente venere socias vitant et secedunt. Mutat feminas mas, neque vnus tantum vtitar consuetudine: sed breui tempore interposito aliam atque aliam adit. Coeunt post Arcturum circa Augustum et Septembrem. (Boedromionem et Maimacterionem.) Gerit menses octo: impletur paucis diebus, et ab vno multae. Vnum ² fere parit; sed paucae geminos peperisse visae sunt. Parit iuxta vias, ob ferarum metum. Hinnuli celeriter crescunt. Purgationes aliis temporibus non eueniunt ceruis; sed cum pepererint, mucoso quodam humore purgantur. Assuescit hinnulos petere lustra: quem locum pro profugio habet, saxum discissum vno aditu: vbi etiam pugnare solet aduersus eos, qui sese adoriuntur. De eius vitae ³ longitudine fabulantur, atque earum fabularum ratio incerta sane. Neque enim aut gestatio aut incrementa hinnulorum eiusmodi sunt, vt prae-

beant argumentum longaeui animalis. In Asiae monte Elaphunte (*alii* Elapho) appellato ad Arginusam, vbi diem obiit Alcibiades, ceruae omnes fissa sunt aure: quo signo, cum loca mutant, dignoscuntur. Quin ipsi quoque in vtero statim formati foetus eadem nota praediti sunt. Papillas habent ceruae quaternas, sicut et vaccae. Vbi ceruae grauidae sunt, segregantur mares: ac veneris impetu agitati, (*Codices* propter libidinis graueolentiam) sibi quisque seorsum scrobes fodit, ac more hircorum foetet, faciesque adspergine (*seminis genitalis*) nigrescit, vt hircis. Atque ita agitant, donec imbres euenerint. Inde in pastum vertuntur. Id ita agit animal hoc, propterea quod salax natura sua sit, et quia pinguissimum est: id quod praeter modum ei accidit aestate. Quamobrem currere non valent, sed capiuntur etiam a pedibus insequentibus altero aut tertio cursu. Fugiant vero tum ob aestum tum ob anhelitus fatigationem in aquas. Coitus tempore carnes eorum vitiantur, ac maleolentes fiunt hircorum more. Hieme igitur extenuantur ac deficientur viribus: sub ver maxime vigent cursu. Fugiant interpellato cursu, ac subsistentes manent, vsque dum prope sit qui insectatur; tum vero fugam repetunt. Hoc fa-

cere videntur ob intestinorum qua laborant tenuitatem atque debilitatem; quae tanta est, ut, si quis percutiat, intus rumpantur, saluo corio.

C A P. XXVII. (vulgo et Scaligero XXX.)

Vrsi coeunt, quemadmodum dictum est, non ascendendo, sed humi decumbentes. Fert femina dies triginta. Parit singulos aut binos, neque unquam plures quinis. Parit foetum minima magnitudine, si ad eius corpus respicias: minorem enim mustela edit, maiorem mure, nudum, coecum, et paene informem cruribus plurimisque membris aliis. Coit mense Februario; (Elaphebolione;) parit sub tempus, quo est latitura. Per id tempus tum mas tum femina maxime pinguescunt. Educatu catulis tertio (*post brumam*) mense produnt iam appulso vere. Hystrix quoque et latet et gerit dies totidem, ac reliqua agit, ut vrsa. Praegnans vrsa raro et difficulter capitur.

C A P. XXVIII. (vulgo et Scaligero XXXI.)

Leonem auersum coire retroque vrinam reddere, iam dictum est. Coit paritque non quouis tempore, quanquam quotannis. Parit autem vere. Binos fere parit, neque plures senis: interdum etiam unum. Nam quae narratur fabula, leenam

parientem eicere matricem, - delira est. Sed composita ex eo fuit, quod animal hoc rarum est. Idcirco qui fabulam confluxit, causam ignoravit. Rarum igitur leonum genus est, rarisque gignitur locis; sed tota Europa inter Acheloum et Nessum duntaxat fluuios. Ipsa quoque leaena parit pusilla omnino, adeo vt altero aetatis mense vix ingrediantur. Terrae Syriae leaenae quinquies pariunt, primum quinos, post deinde vno pauciores; postremo nullum, sed effoetae agitant. caret leaena iuba; solus mas habet. Mutat dentes leo quatuor eos tantum, qui canini appellantur, duos superiores, totidem inferiores, idque aetatis suae mense ² sexto. [Vulgo et Scaligero XXXII.) Hyaena colore lupi est, sed hirtior, iubamque habet toto dorso perpetuam. Quod autem aiunt, vtriusque sexus habere genitalia, falsum est: sed quod habent mares, est simile lupi et canis. Quod autem videtur esse femineum, sub cauda quidem est simile figura feminino, verum peruium non est: sub hoc meatus excrementorum. At femina hyaena habet ipsa foramen illud, simile ei, quod feminae dicitur genitale, idque sub cauda, sicut et mas, sed nullo meatu peruium: deinde meatum excrementorum, sub quo verum genitale. Habet femina matricem quoque, sicut et aliae eiusmodi animantes. Raro

capitur hyaena femina: nam venator inter vndecim numero (vndecim annis *Codex.*) vnam tantum ce-
 isse retulit. [Vulgo et Scaligero XXXIII.] Lepores 3
 venerem exercent coeuntes atersi inter se, sicut
 iam dictum est: retro enim mingunt. Coeunt au-
 tem et pariunt omni tempore. Et superfoetant, cum
 gestant, et pariunt singulis mensibus. Pariunt au-
 tem non vniuersos, sed interponunt dies quot res-
 tulerit. Habet lac femina priusquam pariat. A
 partu coitum statim repetit. Et etiamnum lactans
 concipit. Lac crassitudine suillum refert. Parit
 coecos, sicut pleraque eorum, quae pedes in multa
 fissos habent.

C A P. XXIX. (vulgo et Scaligero XXXIV.)

Vulpes conscendens coit; parit vrsae modo foe-
 tum [*coecum*] atque etiam magis indiscretum. In-
 stante partu demigrat; itaque non saepe capta est
 praegnans vulpes. Editum foetum lingua lambendo
 et fouet et maturat. Nunquam plures quaternis
 gignit. [Vulgo et Scaligero XXXV.] Lupus et ge- 2
 rit et parit canum more, tum tempore, tum nu-
 mero foetuum: item coecos, sicut et canis. Coit
 autem vno certo tempore. Parit aestate ineunte.
 Fertur etiam ratio partus, fabulam adiungens.
 Aiunt enim lupos inter duodecim dies anni parere.

Huius autem rei causam referunt in fabula, propterea quod in totidem diebus Latonam lupae facie tectam Iunonis metu ex Hyperboreis in Delum deduxerint. At vero an id sit tempus ferendi necne, (*alii Codd. aut semper,*) nondum etiam perspectum est; sed tantummodo sic fertur. Commentum videtur tamen; quemadmodum et cum aiunt, semel
3 tantum in vita lupos parere. Feles et ichneumones tot pariunt, quot canes; atque idem cibi genus est. Vivunt ad annos sex. Panthera (panther) coecos item gignit, quemadmodum lupo. Nunquam plures quatuor parit. Lupi ceruarii (thoes) implentur coitu, ut canes: pariunt coeca duo aut tria aut quatuor numero. Quod ad eius speciem attinet, caudam versus porrigitur, sed humilior est. Celeritate quoque praestat, quanquam cruribus brevibus: verum propterea quod agilis est, prosilire
4 longe potest. [Vulgo et Scaligero XXXVI.] Sunt in Syria muli, (hemioni,) sic enim appellant, diversum ab iis genus, qui ex coitu equi asinique procreantur; simili tamen facie; ut silvestres etiam asini ob quandam similitudinem cum domesticis appellati sunt. Et quemadmodum asini silvestres, ita hi muli praestant celeritate. Hoc in genere mullae vicissim ex se procreant: quod ex iis deprehensum est, qui venerunt in Phrygiam Pharnacis

tempore, qui Pharnabazi pater fuit. Durant adhuc; sed tres tantum nunc extant, cum olim novem, vt aiunt, fuerint.

CAP. XXX. (vulgo et Scaligero XXXVIII)

Murium generatio inprimis mirabilis prae ceteris animalibus, tum magnitudine tum celeritate. Iam enim in vase miliario intercepta femina grauidam, non multo post aperto vase, extiterunt musculi centum viginti numero. In quaestione etiam est et generatio et interitus murium, qui in agris emergunt. Multis enim in locis murium innumerabilis multitudo in aruis existere solet, ita vt ex vniuersa segete parum reliqui fiat. Tam repente enim cooriuntur, vt qui haud ita agri magnum modum colunt, cum vidissent instare messis tempus, postridie mane adductis messoribus, deuoratam vniuersam segetem offenderent. Verum iidem abolentur item praeter rationem: paucis enim diebus omnino nusquam comparent. At enimvero homines ei rei anteuertentes euincere non possunt vel suffitibus vel effossa terra vel etiam venationibus. Quin immittunt sues quoque, quorum opera illorum lustra eruantur. Ad haec vulpes illos captant, et inprimis agrestes mustelae (vierrae) interficiunt. At ne sic quidem aut foecunditatem aut celeritatem generandi

superare queunt: neque aliud quippiam, nisi im-
 bres superuenerint. Cito enim fit, vt nusquam
 3 praeterea conspiciantur. Quodam in loco terrae
 Persicae dissectae grauidae matris foetus feminei
 praegnantis apparent. Quidam et aiunt et affir-
 mant, salem si delingant, sine coitu praegnantis
 fieri. Aegyptii mures duro sunt pilo, quemad-
 modum erinacei. (Sunt et alii, qui *haec omittunt*
Codices optimi.) bipedes ingrediuntur: anteriora
 enim crura breuia habent, posteriora magna: et
 frequentes sunt. Sunt praeterea murium genera alia
 multa.

ARISTOTELIS
DE ANIMALIBVS HISTORIAE
LIBER VII

CAP. I.

Quibus principiis quoque modo et generetur homo in vtero feminae, ac deinde quibus euentis, propriae naturae ratione, agitet vsque ad senectutem; sic instituamus. Quid differret a femina mas, quibusque membris, iam antea dictum est. Bis septenis exactis annis mas ferre primum incipit genitale semen magna ex parte. Simul et pubes vestiri pilis incipit: quemadmodum plantae quoque, quae semen incipiunt ferre, florere primum ait Alcmaeon Crotoniata. Vox quoque per hoc idem tempus mutari incipit in asperiore sonum atque inaequalitatem; neque amplius acuta est, neque dum grauis; neque sibi constans; sed quae similis videatur fidiculis asperis atque e neruis male con-

tortis. Idque vocant Graeci *τραγιζειν*, Latini
 2 hirquitallire. Euenit hoc magis iis, qui venerem
 tentarint. Nam qui eiusmodi rem appetunt, iis
 mutatur vox etiam in virilem: abstinentibus con-
 tra. Quod si cura adhibita ad arcendum hoc in-
 commodum connituntur, (id quod agunt ex iis qui-
 dam, qui musicae artis et cantus chorici studio te-
 nentur,) porro vsque perdurat: longeque minimam
 patitur mutationem. Mammae quoque exturgescunt
 et genitalia; neque solum in magnitudinem, sed et-
 iam in aliam speciem. Euenit hoc quoque tempore
 iis, qui libidinosa attractione sollicitantur ad emit-
 tendum semen, vt exeunte eo non solum capiant
 3 voluptatem, sed etiam dolore capiantur. Per idem
 tempus foemellis quoque mamillae intumescunt, et
 quae appellant menstrua erumpunt. Ea sunt san-
 guis quasi recens caesi animalis. Nam quae sunt
 alba, etiam omnino tenella aetate proueniunt, tanto
 magis, si alantur humidioribus cibis. At ea pro-
 hibent incrementum puellularum, earumque cor-
 pora extenuant. Sed plurimis soluuntur menstrua
 prima, vbi iam mammae in digitorum duorum al-
 titudinem tolluntur. Atque etiam puellis mutatur
 vox hoc tempore in sonum grauiorem. Omnino
 namque est mulieris quam viri vox acutior. Ita et
 puellae quam adultiorum; quemadmodum pueró-

rum quam virorum: et virginalis fistula quam puerilis acutior. Potissimum autem tum egent custodia: vehementissime enim in vsum veneris sollicitantur illis incipientibus. Quod si nulla verecundia plus moueant corpora, quam quantum ex imitatione afficiuntur, iis, qui abstinere venere, transire consuevit id in sequentes aetates. Adolescentulae namque exercitae opere venereo euadunt intemperantiores. Itemque mares, si incustoditi degant. Namque et meatus aperiuntur, et per eos fit, vt facile permittat corpus fluere humorem; simulque recordatio eius, quae olim contingebat, voluptatis ad illius temporis coitum excitat appetentiam. Sunt quidam impubes et steriles a generatione, propterea quod genitalis locus deprauatus fuit. Sic etiam foeminis quibusdam nulla vnquam pubes oritur a generatione. Mutant autem et habitudines tam mares quam foeminae, quo vel in prosperam vel in aduersam valetudinem propensiores sint. Et quod ad corpulentiam attinet, graciliores aut crassiores aut habitiores. Nam post pubem nonnulli ex gracilibus fiunt crassi atque saniores. Alii e contrario. Similis euentus et in virginibus. Quotus enim quisque vel puer vel virgo in corpore habuit superfluos humores, iis simul excretis, in puero per semen, in virgine per menstrua, eorum corpora

et secundiore valetudine et nitidiorē habitudine comparantur exeuntibus iis, quae et sanitati et ali-

6 mentis incommodabant. Aliis contraria natura praeditis exiliora fiunt corpora et morbis plus obnoxia. Namque de ipsa natura deque iis, quae bene habent, excretio fit, pueris in semine, virginibus in menstruis. Mammarum quoque ratio aliis alia virginibus est. Quaedam vastas habent: nonnullae paruas. Illud autem eis evenit fere, quibus aetate puerili humores redundant. Cunctantibus enim, neque dum solutis menstruis, quo magis inest humiditas, eo altius attolli cogit, quoad erumpant. Quem igitur tunc tumorem compararint, ne in posterum quidem remittunt. Qui mares laeves sunt et humidi, neque venosi, iis tam iunioribus quam senioribus magis prominent vbera, magisque muliebrem speciem referunt: idque plus

7 fuscis quam candidis. Igitur ad ter (*vulgo bis*) septenos annos vsque primum sterile semen est; deinde genitale quidem, sed pumila et imperfecta generant et adolescentes et puellae; quemadmodum evenit plurimis aliorum animalium. Concipiunt celerius iuniores, sed in parturiendo laborant magis; earumque corpora non fere perficiuntur; maturiusque senescunt salaces vel masculi, vel femellae frequentia partuum. Videntur enim, quae

tertium pepererint, amplius nec crescere quidem posse. Sedantur moderanturque magis feminae quae intemperantes in veneris consuetudinem sunt, si frequenter pariant. Post ter septimos annos mu- 8
lier opportune se habet ad prolificandum: viri autem adhuc proficiunt. Semina tenuia sterilia sunt: grandinis speciem quae referunt, et prolifica et masculifica magis: at tenuia et non globulosa foemellifica. Mentumque maribus id aetatis vestitur pilis.

C A P. II.

Cientur mulieribus menstrua decrescente luna. Idcirco qui argutantur, aiunt Lunam esse foeminam: propterea quod eodem tempore et illae purgantur et haec decrescit, ac post tum purgationem tum deminutionem ambae replentur. Paucis ipsarum singulorum mensium frequentia euenit, sed tertio quoque mense plurimae purgantur. Quibus igitur modico tempore alterum aut tertium diem durant, facilius liberantur: quae plures dies ponunt, difficilius: aegre enim habent iis diebus. His enim vniuersa simul purgatio prorumpit, illis vero paulatim. Omnibus autem corpus aggrauatur, vsque dum exeat. Pleraque autem incitatis atque instantibus menstruis matricem strangulantur et tumultuantur, quoad erumpant. His expeditae foe- 2

minae natura concipiunt. Quae non menstruantur, fere steriles degunt: quanquam aliquae, quibus nulla vnquam menstrua effluxere, concipiunt; collecto scilicet tanto humore, quantus solet relinqui iis, quae matres factae sunt post purgationem, modo ne foras exeat. Adhuc etiam profluentibus nonnullae concipiunt, post non concipiunt, eae scilicet, quibus statim post purgationem vulua concluditur. Quibusdam menses ad finem non cessant profluere quanquam grauidis: sed iis euenit, vt minus idoneos pariant foetus, quique aut seruari, vt crescant, nequeunt, aut imbecilli euadunt. **3** Plerisque autem prae desiderio coitus propter aut florentem aetatem aut diurnam abstinentiam descendunt vteri, et fluunt menstrua saepius in mense, donec concipiant: tunc reuertuntur rursus in superiorem locum peculiarem. Interdum etiam, licet ceterum bene habeat, si forte humidus vterus sit, **4** efflat semen genitale, quod humidum sit. Omnium animalium mulier inter feminas, vt iam dictum est, largissimis menstruis purgatur. Nam quae animal non pariunt, iis nihil tale euenit; propterea quod is humor superfluus in corpus vertitur. Quippe eorum quaedam maiora suis maribus sunt. Praeterea in squallorem, quibusdam in squamas, aliis in pennarum copiam absumitur. Illis autem quae

animal pariunt, et humo sola vtuntur ad mouendum sese, tum in pilos tum in corpus, (solus enim homo laeuis est) item in vrinas: maxima enim eorum pars mingit crassum et copiosum. At mulieri horum vice omne vertitur superflium illud in purgamentum. Similis quoque in maribus ratio. Inter 5 alia enim animalia plurimum seminis emittit homo pro sui corporis magnitudine. [*Idcircoque laevis-
simum omnium animalium est.*] Inter eos autem ii, qui et natura humidiores et non multum sunt corpulenti: sicut et candidi quam fusci. Eodem quoque modo mulieribus carnosus transit in corporis alimentum magna pars illius fluoris. Atque in opere venereo candidarum natura fert, vt plus quam fuscae exigant humoris. Efficiunt autem eiusmodi coitum alimenta humida atque acria.

C A P. III.

Mulierem concepisse indicat locus, si continuo post coitum resiccetur. Sane labia ostii si laeua sint, nequeunt concipere: dilabitur enim: neque si crassa. Quod si digito attrectata asperiora sint et resistant, aut tenuia inueniantur, tunc opportunum ad coeundum tempus est. Ad hunc modum vterus apparandus est, vt concipiat; contra vero, vt ne concipiat. Etenim si labia laeua sunt, non

concipit. Idcirco nonnullae matricis os, ne semen
 intra procidat, oblinunt cedria, aut cerussa, aut
 2 thure oleo dilutis. Igitur si septem diebus conti-
 neatur, manifestum indicium est conceptionis.
 Nam quae vocantur effluxiones, in his diebus eue-
 niunt. Postquam conceperint aliquae ad certum
 vsque tempus purgantur, conceptis foemellis cum
 diutissime diebus tricenis; ad quadragenos autem
 in masculis. Purgationes quoque sequentes partum
 tantundem dierum numerum repraesentant; quan-
 3 quam non omnibus aequè exacte eueniat. Post vero
 tum conceptionem tum quot diximus dies non am-
 plius eueniunt, sed in mammis diuertitur, atque
 lac fit. Cuius sane lactis extant indicia prima pau-
 culi et araneosi in mammis. Cum conceperint, fit,
 vt sentiant potissimum in ilibus; nonnullis enim
 ea efficiuntur pleniora; manifestiusque apparet
 id gracilioribus: item in inguine. Mares in dex-
 tro latere quadragesimo fere die, foemellae autem
 in laeuo circiter nonagesimo mouentur. At enim-
 vero arbitrandum est, nulla certa lege hoc euenire;
 multis enim feminam gerentibus motus in dextra;
 mascula prole grauidis in sinistra factus est. Verum
 omnia haec atque eiusmodi differunt fere inter se,
 4 quod frequentius rariusue contingant. Per idem
 tempus etiam finditur foetus, cum antea indiscretus

carneus constiterit. Quae intra septimum diem corrumpuntur, appellantur effluxiones; quae intra quadragesimum, abortus. Sane plurimi foetus interea pereunt. Masculus si quadragesimo exeat die, atque in aliud quippiam indatur, diluitur atque aboletur: sin in aquam frigidam, consistit ibi tanquam in membrana. Ea deinde discalpta, apparet foetus quantitate formicae grandioris; partesque ipsae conspicuae sunt tum ceterae omnes tum genitale ipsum; atque oculi, sicut in aliis animalibus, maximi. Foemineus foetus, qui intra tres menses corruptus fuerit, fere indiscretus videtur: qui vero de quarto mense assumserit, et finditur et celeriter adipiscitur aliam dearticulationem. Hucusque univ⁵ersam membrorum perfectionem serius accipit femina quam mas, et mense decimo frequentius quam mas oritur. Cum autem nata fuerit femina, celerius quam mas et in iuventutem et aetatem statam et senectutem peruenit; et citius etiam quae pueriorum frequentia utebantur; quemadmodum, antea quoque dictum est.

C A P. IV.

Cum uterus semen genitale comprehenderit, plerisque statim occluditur, quoad septimus mensis exigatur: octauo aperitur. Ac foetus, si maturus

ad partum sit, praeuenit descendere mense octauo. Qui autem maturi non sunt, sed suffocati, [*mense octauo pariundi, quos non perferunt octo menses mulieres* omittunt Codices alii] neque occupant descendere octauo mense, neque vteri eo mense aperiuntur. Idque indicio est, foetum non esse maturum, cum exit antequam quae diximus

2 contigerint. Post conceptum mulierum totum corpus aggrauatur, visus obtenebratur, capitis dolores oriuntur. Atque haec quidem nonnullis citius ac fere die decimo eueniunt; aliis serius, vt quaeque forte superfluo humore plus minus occupatae fuerint. Praeterea nausea et vomitu plurimae corripiuntur; maxime vero eae, quibus cessant purgationes, neque in mammas deuertunt. Igitur per initia quaedam plus laborant mulieres; quaedam procedente tempore, auctiore iam foetu: multis saepe

3 tandem vrinam destillari contingit. Quae maren gerunt, fere facilius expediuntur, et mitidiores degunt: quae feminam, contra. Decolores enim plus sunt magna ex parte, atque molestius agitantur. Plerisque etiam crura circum intumescunt, et caro protuberascit; quanquam aliquibus contra eueniat. Solent praegnantibus varii appetitus contingere, iique celeriter commutari: quod vocant Graecorum nonnulli picare. Et quae foemellas gerunt magis

praecipites sunt ad appetendum; sed iam appositis
 rebus minus frui possunt. Paucis euenit grauidis
 corpore melius habere. Maxime infestantur, cum
 foetui incipiunt oriri pili. Congeniti pili prae-
 gnantibus rarescunt et defluunt: quae loca autem
 glabra habere consueuerunt, ea potius pilosa fiunt.
 Masculus fere magis mouetur in vtero quam foe- 4
 mella, et celerius editur. Foemella autem tardius.
 Atque in foemellis dolor continuus et lentior, in
 masculis expeditior quidem, sed longe molestior.
 Instante partus tempore quae cum viris coeunt, ce-
 lerius pariunt. Videntur parturire mulieres inter-
 dum, cum tamen tempus pariendi nullum sit. Sed
 parturitionem appetere putant, cum infans verti-
 tur in caput. Reliqua igitur animalia perficiunt
 partus suos vna tantum lege. Vnum enim tempus
 praescriptum est pariendi. Soli ex animalibus ho-
 mini multa. Nam et septimo et octauo et nono
 mense parit: plurimum etiam decimo: quaedam et-
 iam ex vndecimo insuper etiam aliquid capiunt.
 Qui ante mensem septimum prodeunt, nulli vlla 5
 ratione possunt viuere. At septimus mature oriendi
 principium est. Verum plerique sunt imbecilles:
 ideo inuoluunt eos lanis. Foramina etiam aliqui
 indiscreta habent; qualia sunt aurium et narium.
 Ceterum crescentibus deformantur; atque horum

quidem viuunt multi. Octauo autem mense editi in Aegypto atque aliis aliquot locis, quorum indigenae mulieres commode perferunt, et tum ferunt multos facile, tum etiam pariunt: iique nati valent viuere, etiamsi monstrosi fuerint; ibi igitur octimestres et vitales sunt et educantur. At in terrae Graeciae regionibus pauci omnino superesse possunt: multi autem intereunt. Quod si quis saluus sit, ob eam opinionem putant mulieres non octauo natum mense, sed latuisse sese conceptum
 6 antea. Laborant potissimum mulieres mense quarto et octauo: quarto igitur et octauo mense si foetus corrumpatur, ipsae quoque fere pereunt. Quare non solum non viuunt octimestres foetus, sed et illorum pereuntium parientes in discrimine sunt. Eodem modo latuisse quoque eorum conceptio videtur, qui post vndecimum mensem editi sunt. Illorum enim conceptus initium ignorant mulieres. Flatibus enim vteri saepenumero occupatae, postea coeundo grauidae factae, illud arbitrantur fuisse initium conceptionis, quod ex indicis vsitatis agnouissent.

CAP. V. (vulgo continuatur CAP. IV.)

Igitur quot metis pariendi differat ab aliis animalibus homo, hae sunt. Animalia quaedam cum

singulos tantum pariant, alia autem multa, vtriusque naturae particeps est humanum genus. Namque et plurimae et plurimis locis singulos pariunt mulieres: multae et multis gemellos, vt toto ambitu terrae Aegypti. Quin etiam ternos quater-nosque quibusdam locis non paucis; quemadmodum supra dictum est. Non plures parit quinis: id quod euenisse pluribus obseruatum est. Quaedam vero viginti peperit, quater quinos scilicet; atque eorum plerique educati sunt. In aliis animalibus gemelli, etsi sunt mas et foemina nati, nihilominus enutriuntur et viuunt, quam si aut mas vterque aut foemina sit: at in hominibus pauci supersunt e geminis, si alter mas, alter foemina extiterit. Admittunt initum praegnantibus potissimum animalium mulier atque equa. Cetera, postquam grauida facta sunt, fugiunt mares, exceptis iis, quorum natura fert superfoetationem: cuiusmodi est genus leporinum. Atque equa quidem semel praegnans non superfoetat postea, sed vnum fere tantum parit. Homini autem aliquando euenit, sed raro. Igitur qui multo post tempore concepti fuerint, non perficiuntur, sed dolorem faciunt, et corrumpunt priorem foetum. Iam vero euenit, vt abortu facto duodecim superfoetatione concepti exciderint. Quod si statim conceperint, extulere in

lucem eum, quo superfoetarant: sicque eos edunt, quasi qui gemellorum eduntur lege. Id
 3 quod de Iphicle et Hercule fabulantur. Atque hoc iam constitit: adultera enim quaedam alterum marito similem, adultero alterum peperit. Olim etiam quaedam gemellos vtero cum gestaret, tertium insuper concepit. Appetente igitur tempore iusto, illos quidem suo perfectos tempore edidit, hunc autem quinquemestrem: atque is illico periit. Alii contigit, vt cum vnum septimestrem peperisset, postea duos mensium iustorum fine absoluto pareret: quorum ille mortuus est, hi vixere. Quaedam etiam abortientes simul concipere, alterumque eiecerunt, alterum pepererunt. Plurimae si coeunt praegnantes post octauum mensem, infans prodit mucoso lentore plenus. Plerumque vero etiam ciborum, qui matri oblati sunt, referunt exit. Largius autem sale si vescatur, non habent vngues foetus ipsi.

C A P. VI. (vulgo C A P. V.)

Lac quod provenit ante septimum mensem, inutile est; sed simul et infantes maturi sunt ad nascendum, et lac vtile est. Primum autem salsum est, sicut et omium. Potissimum cum grauidae sunt vini sensu afficiuntur plurimae: dissoluuntur

enim, si bibant, et deficiuntur. Principium finisque mulieribus virisque prolificandi iam est, his seminis, illis menstruorum emissio. Ceterum neque incipientes statim prolifici sunt, et si generent, quod paucis euenit, satis firmi sunt foetus. Aetas autem huius principii dicta est. Plurimis mulierum cessant menstrua anno circiter quadragesimo; quod tempus quae excedunt, iis ad quinquagesimum usque: quo etiam quaedam pepererunt; ultra id tempus nulla. [Vulgo Caput VI.] At virorum maxima pars generant usque ad annum sexagesimum. Cum hunc excesserint, ad septuagesimum usque. Nam septuagenarii quidam cum essent, generaverunt. [Caput VIII. Scaligero.] Euenit multis tam mulieribus quam viris inter se coniunctis non posse liberos procreare, disiunctis posse. Hoc idem euenit et procreandis masculis foemellisue. Interdum enim sunt et mulieres et viri, qui simul manentes foemellas aut masculos generant: soluto matrimonio contra euadunt. Secundum aetatem quoque mutantur: iuuenes cum sunt iuncti, foemellas generant: seniores masculos; aliis contra euenit. Atque in totum quod pertinet ad generandum, idem fit, vt iuuenes non, senes generent: alii primum, post non procreent. Sunt etiam mulieres, quae vix concipiunt: at si concipiant, per-

latum pariant. Alia contra facile concepiunt, sed perferre nequeunt. Sunt vero et viri et feminae, qui et quae foemellas tantum generent aut mares. Sicut et de Hercule fabulis proditum est, qui in duobus et septuaginta liberis filiam vnam genuit. Quae concipere nequeunt, si qua cura adhibita, aut quo alio casu concipiant, fere foemellam pariunt potius quam marem. Plerisque quoque viris euenit, cum possent procreare, postea vt ne possent; atque iterum vt restituerentur ad id ipsum. [Cap. IX. Scagliero.]

4 Generantur etiam ex mancis manci, vt claudi ex claudis, ex coecis coeci. In summa saepe etiam similes iis quoque rebus, quae praeter naturam sunt, et notis cognatis insignes: qualia sunt tubera et cicatrices. Iam vero tale quiddam repraesentatum est etiam tertia generatione. Cum enim haberet quidam in brachio punctum, eius filius non habuit, sed nepos eodem in loco atrum confusum. Pauca autem ad hunc modum fiunt: et plurima integra e mancis nascuntur: et nihil horum certo ordine statutum est. Similes quoque parentibus vel etiam auis: interdum autem nullis quicquam. Referuntur autem etiam per multas generationes; quemadmodum eius, quae in Elide [vulgo Sicilia] cum Aethiope concubuerat, filia

5 non fuit nigra, sed huius natus. Partibus quoque

alii nati utrosque repraesentant. Olim etiam gemelli nati sunt inter se dissimiles: quanquam plurimi fere similes sunt. Nam cum peperisset quaedam septimoque post die et coisset et concepisset, peperit posteriorem priori similem quasi gemellum. Sunt etiam feminae [in ceteris animalibus,] quae sibi, aliae, quae patri similes generent: qualis in Pharsalia equa, quae Iusta nominabatur.

C A P. VII. (Scaligero X.)

In seminis exitu primum spiritus antecedit: ostendit autem exitus ipse, quod fiat a spiritu. Nihil enim procul iacitur sine vi spirituali. Exceptum ab utero semen, ubi immoratum fuerit, membrana obducitur. Si enim prius exeat, quam dearticuletur, videtur quasi ovum membrana obtectum, cui putamen detractum sit. Membrana autem illa venarum plena est. Omnia animalia tam natatilia quam quae humo sola nituntur, aut volatu mouentur, quaeque animalis quaeque oui principiis prouenerunt, simili modo generantur: nisi quod, quae animalis forma eduntur, appositum vteris habent umbilicum: illa autem ad ovum: alia autem utroque modo, veluti in piscium (*cartilagineorum*) quodam genere. Et in aliquibus membranae quasi quaedam, in aliis autem ambiunt

secundae. Ac primum quidem intra extimas secundas generatur animal: deinde circum hoc membrana altera, cuius maxima pars haeret matri-
 ci, parte cetera absistens et aquam continens. Inter
 eas autem humor aquosus, [*saniosus omittunt*
Codd. aliqui] cruentus, quae a mulieribus primi-
 2 tiae appellantur. [Vulgo Cap. VIII.] Crescunt
 omnia animalia per umbilicum, quae scilicet um-
 bilicum habent. Is, ubi acetabula sunt, adsitus
 illis est: at si laeues sunt matricis, ipsis super ve-
 nam aptus est. Situs in utero quadrupedum om-
 nium extensus est: eorum, quae pedibus carent, ob-
 liquus, ut piscium: bipedum contractus, ut avis
 et hominis. Nares inter genua habent, oculos su-
 per genibus, aures extra. Similiter etiam omnia
 animalia caput primum superne habent; aucta au-
 tem et exiturientia deorsum obuertuntur. Natura
 enim suapte omnia in caput exeunt; obliqua autem
 aut in pedes praeter naturam. Quadrupedum foe-
 tus cum sunt absoluti, etiam tum excrementa ha-
 bent tum liquida tum stercora (*proprie globosa*).
 Haec in postrema intestini parte: in vesica autem
 3 urinam. Quae animalia in matrice habent aceta-
 bula, illis haec decrescunt crescente foetu, ac tan-
 dem nulla extant. Est autem umbilicus putamen
 circa venas, quarum ortus a matrice est, atque ex

acetabulis quidem, in quibus sunt acetabula; vbi nullâ sunt, ex vena. Sunt autem grandioribus, quemadmodum boum foetibus, quaternae venae: minoribus autem binae: minutissimis, velut aui- bus, vna. Tendunt in foetus duae per iecoris quas appellant portas ad magnam venam: duae ad aor- tam, vbi ipsa scissa fit ex vna duae. Vtrumque ve- narum par obtegitur membrana: circum membra- nam vmbilicus est, tanquam caliculus. Augescen- tibus autem magis magisque subsidunt hae venae. Foetus autem adultus caua loca (*corporis*) subit, ibique manifesto motu agitur: interdum etiam circa pubem volutatur.

CAP. VIII. (vulgo CAP. IX. Scaligero XI.)

Parturientes mulieres cum multis aliis partibus affixis doloribus infestantur, tum vel maximis in alterutrum femur. Quas dolores vehementissimi circa aluum vrgent, eae celerrime pariunt: at quae lumbos prius dolent, vix: quae vero sumen, cito. Si marem parturiat, antecedit saniosa aqua sub- pallida: si foemellam, cruenta; diluta tamen et haec. Quanquam sunt etiam quibus parturientibus neutrum horum accidat. Cetera animalia non la- boriose pariunt, sed mediocrius videntur partu- riendo vexari. At mulieribus fortiores labores

eueniunt, ac potissimum otiosis: item si quae imbecillis sunt lateribus, neque spiritum continere possunt: aegrius etiam pariunt, si coactae a spiritu respirarint. Primum igitur mouente se infante ruptisque membranis exit aqua illa: deinde foetus, inuerso vtero et exinuantibus interiorem superficiem extrorsum secundis.

C A P. IX. (vulgo X. Scaligero XII.)

Quemadmodum secandus sit vmbilicus, pars est non imprudentis cogitationis obstetricum. Neque enim sola dexteritate opus est, vt iuuare possint mulieres, quae aegre pariant, sed etiam praesente animi vi, ad ea quae euenire queunt, et ad vmbilicum infantium vincendum. Etenim si simul secundae procidant, vmbilicum lana ligatum separare a secundis cautio est. Tum supra secatur; quaque nexum est, coalescit; atque inde quod continuatum est, decedit. Quod si vinculum dissolvatur, [antequam consolidetur vmbilicus *addit versio Alberti,*] perit infans effluente sanguine. Quod si non simul exeant statim secundae, sed intus sint, infans autem foris, praeciditur, obligato vmbilico. Saepe autem factum est, vt videretur nasci infans mortuus, cum eo infirmo in vmbilicum ac partes circumscitas efflueret sanguis, priusquam

ligaretur. Verum peritae artis obstetrices exprimentur intro ab umbilico; ac statim infans quasi prius exanguis rursus reuixit. [Cap. XIII. Scaligero.] Nascuntur in caput, quemadmodum dictum est, etiam alia animalia secundum naturam: infantes autem etiam brachiis ad costas porrectis. Egressi autem statim vocem edunt, et admovent ori manus. Emittunt etiam excrementa quidam illico, quidam haud multo post: omnes autem eodem die. Cuius excrementi quantitas maior quam pro pueri magnitudine; quod appellant mulieres papauerculum. (meconium.) Color eius cruentus ac valde ater, et piceus: post illud mox lacteus: statim enim sugit mammam. Antequam egrediatur, nullam emittit vocem infans: neque adeo, si in difficili partu caput quidem extet, totum vero corpus intus sit. Quibus ante tempus purgandi anteuenterint purgationes, difficilius partu liberantur. Post puerperium vero purgationes si eueniant parciore, nec nisi quantae priores fuere, neque ad quadragesimum usque diem perdurent, validiores efficiuntur mulieres et celerius concipiunt. Infantes nati ante quadragesimum diem vigilando neque rident neque flent; noctu autem interdum vtrumque. Et fere titillatus non sentiunt. Maximam quoque partem temporis dormiunt. Crescentes mutantur,

vt fiant vigilantiores. Somniare autem manifestum est. Sero autem meminit species (imagines *Gazae*.) Ceteris animalibus nulla ossium differentia, sed omnia perfecta oriuntur: infantibus vertex mollis et sero duratur. Atque illa quidem cum dentibus nascuntur: infantes autem septimo mense dentire incipiunt. Edunt primores primum: quanquam alii superiores, alii inferiores: omnes celerius, quorum nutrices calidius lac habent.

C A P. X. (vulgo XI. Scaligero XIV.)

Post partum atque purgationes mulieribus lactis copia provenit. Ac quibusdam fluit non solum per papillas, sed etiam passim per mammas; aliquibus etiam per axillas. Itaque procedente tempore permanent strumulae, cum humor incoctus non egressus fuerit, sed differciatur. Tota enim mamma adeo spongiosa est, vt etiam hausto in potu pilo vbera eo morbo laborent, quem Graeci pilarem idcirco vocant, quoad aut ipse forte exeat expressus cum lacte, aut exugatur. Lac habent, donec concipiant iterum. Tunc autem cessat et extinguitur aequè in hominibus et aliis quae animal pariunt quadrupedibus. Exeunte lacte haud fere eueniunt purgationes. Nam sane quae lactant, factum est vt purgentur. Omnino natura ita fert, ne

humor ille locis pluribus simul erumpat: velut iis quae fluxus sanguineos patiuntur, deteriores (*minores*) superveniunt purgationes: aliis per varices, cum a lumbis excretus fuerit, priusquam vterum subeat. Quibus cessant purgationes, si vomitus sanguinis eveniat, nihil laeduntur.

C A P. XI. (vulgo XII. Scaligero XV.)

Solet convulsio inuadere infantes, praesertim habitiores, vtentesque lacte aut copiosiore aut crassiore, et nutricibus corpulentis. Accessionem adauget noxium huic morbo vinum, idque nigrum potius quam album, merumque: et pars maxima ciborum flatuosiorum et adstricta aluus. Plurimi itaque ante diem septimum intereant. Idcirco tunc nomina imponunt: propterea quod iam puerorum saluti magis credunt. Plenilunius magis aegrotant. Pueris si a scapulis convulsio oriatur, (*adultiori aetati*) periculum insuper portendit.

A R I S T O T E L I S
DE ANIMALIBVS HISTORIAE
LIBER VIII.

C A P. I

Quae ad naturam ceteram generationemque pertinent animalium, ita se habent. Actiones autem et vinctus secundum mores atque escas differunt. Insunt enim in maxima ceterorum animalium parte vestigia morum, qui ad animam pertinent: qui inter homines apertiora habent discrimina. Namque mansuetudo et feritas, lenitas et asperitas, et fortitudo et timiditas, et metus et fidentia, et iracundia et versutia, prudentiae per cogitationem comparatae imagines ipsorum plerisque insita sunt. Sicut etiam de partibus eorum narrauimus. Quaedam enim ab homine, a multis animalibus homo, plus minusue differunt. Horum enim quaedam existunt in homine: quaedam plus in aliis anima-

libus. Alia autem differunt proportione. Quem- 2
 admodum enim in homine ars et sapientia et pru-
 dentia; sic etiam in aliis animalibus est altera quae-
 dam talis naturalis vis. Planissimum est hoc in
 puerorum aetatem intuentibus: in his enim futu-
 rorum habituum quasi vestigia ac semina videre
 est. Nam, ut ita dicam, nihilo differt per id tem-
 pus illorum pueritia ab anima brutorum. Quare
 non ab re est, si partim eadem, partim similia, par-
 tim proportione insunt aliis animalibus. Sic enim
 ab inanimis ad animantes transit natura paulatim,
 ut in continuatione eorum confinia mediaque la-
 teant utrius sint. Etenim ab inanimatarum rerum
 genere primum est plantarum genus. Quarum
 vnum ab altero differt eo, quod plus videtur esse
 vitae particeps. Vniuersum autem genus hoc cum
 ceteris corporibus comparatum videtur fere anima-
 tum: cum animali autem inanimum. Ac transitus 3
 illorum in animalia continuus est, quemadmodum
 prius dictum est. Nonnulla enim quae in mari
 agitant dubitarit quispiam animalne sint an plan-
 tae: agnata enim humo sunt, atque exempta inter-
 eunt eorum pleraque: veluti pinnae suapte natura
 affixae sunt: digitelli (solenes) autem auulsi ne-
 queunt viuere. Omnino vero genus omne testa-
 ceorum simile plantis est, si cum gressilibus ani-

malibus comparetur. Sensuum officia in aliquibus nullo indicio deprehenduntur: in aliis autem obscure. Quorundam autem corpora carnea natura constant: cuiusmodi quae tethya (papillae) vocantur, et viticarum genus est. Spongia autem penitus est similis plantarum: semper enim per pusillam differentiam alia ante alia iam videntur plus et vitae et motus obtinere. Ad officia quoque vitae eodem modo sese habent. Plantarum enim opus nullum aliud videtur, nisi qualis ipsa sit alteram ut faciat. De iis dico, quae semine proueniunt. Eadem ratio et in animalibus. In quibusdam enim praeter generationem nullum aliud opus deprehendas. Idcirco tales actiones omnibus sunt communes. Igitur accessione sensus facta iam vitae differunt eorum, tum circa coitum propter voluptatem, tum circa partus ac sobolis educationes. Ergo quaedam plantarum more simpliciter certis temporibus propriam perficiunt generationem: quaedam etiam laborant nutriendis foetibus. Quo opere absoluto deserunt eos, ac nequaquam praeterea cum illis ullam habent societatem. Quae autem prudentiora sunt ac plus memoriae compararunt, etiam ciuilius utuntur sua sobole. Partem igitur vitae animalium habent opera ad generationem, alia ad cibum pertinentia. Circa enim haec duo

omnibus et studia et vita versatur. Omnes autem cibi differunt eius potissimum materiae ratione, cuiusmodi e materia sunt constituti. Ex eadem enim fit secundum naturam cuiusque incrementum. At quod secundum naturam est, suaue est. Sequuntur autem omnia naturalem voluptatem.

C A P. II.

Differunt etiam animalia secundum loca, (*quae habitant.*) Quaedam enim in terra agitant, quaedam autem in aquis tantum. Trifariam vero haec differentia dicitur, ita ut ea, quae recipiunt aerem, terrestria, illa, quae aquam, aquatilia appellentur: quae vero [*non recipiunt quidem, sed*] ita a natura temperata sunt, ut refrigerationem ab utroque elemento admittant, aut terrestria aut aquatilia vocantur, quamvis nec spirant nec recipiant aquam. Alia vero et cibum capiunt et degunt in utroque elemento: multa enim aerem recipientia et in terra parientia cibum ex aquaticis petunt locis, plurimumque temporis in aqua versantur: quae sola animalium videntur utramque sortita naturam; quippe et ut terrestria et aquatilia ea quis statuere possit. [Vulgo Cap. II.] Quae autem ² aquam recipiunt, eorum neque terrestre (*gressile*) neque volatile ullum de terra cibum petit. At ter-

restrium quae aerem recipiunt multa. Atque eorum quaedam in tantum, ut ne vivere quidem queant, si a natura aquae eximantur: cuiusmodi marinae testudines et crocodili et equi fluuiatiles et vituli et minorum animalium emydes (lacustres testudines) ranarumque genus. Haec enim si aliquo tempore non respirent, suffocantur: pariuntque atque etiam educant in sicco, alia prope siccum: 3 degunt autem in vdo. Maxime vero excedit modum hunc delphin inter omnia animalia, et si quid aliud tale est tum aquatiliam tum cetaceorum, quae ad hunc modum sese habent, ut balaena, et quaecunque alia horum fistulam habent. Non enim facile aut aquatile solum aut terrestre horum vllum statuere licet; si terrestria tantum illa ponenda sunt, quae aerem recipiunt, aquatilia autem, quae aquam natura. Vtriusque enim particeps est: nam et mare recipit, et amittit per fistulam; aerem autem pulmone. Hanc enim habent partem et spirant. Atque idcirco captus in reti delphin cito suffocatur; propterea quod non respiret. Extractus enim vivit diu mutiens ac gemens, sicut et alia quae spirant animalia. Etiam dormit extanti rostro, 4 ut respiret. Eadem autem redigere in ordinem vtriusque diuisionis, absurdum est: quippe quae sunt contrariae: sed ipsum aquatile insuper est et-

iam diuidendum. Quaedam enim et recipiunt et reddunt aquam eadem de caussa, qua ea quae spirant aerem, ob refrigerationem scilicet. Alia autem ob cibum. Necessè enim est, vt cum cibum in humore capiant, simul humorem ipsum hauriant, itaque etiam habeant instrumentum, quo emittant. Quae igitur humore vtuntur tanquam vicario respirationis, branchias habent: quae autem ob cibum, fistulam; quae sunt sanguine concreta. Similiter autem et mollusca et crustacea: haec enim propter cibum recipiunt humorem. Aquatilia autem sunt etiam altero modo propter corporis temperamentum et victum. Quae cum aerem recipiant, viuunt tamen in humore: aut quae humorem recipiunt branchiisque sunt praedita, sed migrant in siccum atque capiunt cibum. Vnum autem visum est tale, quem cordylum vocant. Is pulmonem non habet, sed branchias habet; egressusque in siccum capit cibum; quadrupesque est etiam, vt sit aptus ingredi. Horum autem omnium natura videtur quasi a legibus aberrasse: quo etiam modo mascula quaedam foeminina oriuntur, et in sexu foemineo masculina facie. Etenim animantes ad aptae paruis in membris differentiam, differre totius natura corporis videntur. Hoc euidentis est in exectis: pusilla namque particula mutilata, mu-

tatur in foeminam animal. Igitur manifestum est, in principiorum concreione momentaneae cuiuspiam magnitudinis facta mutatione, ea si principii species sit, fieri vel foeminam vel marem: illa autem sublata, neutrum. Itaque secundum vtrumque modum tam terrestre quam aquatile fit, pusillis mutatis membris... contingit, vt aliqua euadant terrestria, alia aquatilia. Atque horum quidem aliqua ad neutram partem pertinent: alia autem ad vtramque: propterea quod in constitutione et generatione materiae quandam partem praeceperunt, de cuius simili sint vicitatura. Quod enim secundum naturam est, expetitur ab omni animali, sicut iam dictum est.

C A P. III.

Trinis modis diuisione facta animalium in aquatile et terrestre, primum quod vel aerem vel aquam recipiant, deinde quod certo sint corporis temperamento, tum propter alimenta, viuendi ratio consequetur ipsa secundum has diuisiones. Quaedam enim sequuntur secundum et temperamentum et cibum, et eo quod vel aerem vel aquam recipiant: alia autem secundum temperamentum et victum tantum. Testaceorum itaque animalium quae non mutant locum, aluntur aqua. Percolatur enim

per densa, cum sit subtilior mari, concocta scilicet: quemadmodum etiam a principio nascitur. Quae autem potabilis aqua in mari est, in eo quoque percolari posse manifestum est. Contigit enim, vt experimento deprehenderetur. Tenui enim e cera vas si quis fingat et obligatum demittat in mare vacuum per noctem et diem, excipit aquam satis multam, quae sine controuersia ad potandum est utilis. Vrticae autem vescuntur pisciculis, qui ad eas allapsi fuerint. Habent enim in medio os: quod euidentiùs in maioribus est. Ac quemadmodum ostreae foramen habent, quo secedit foras cibus: atque id habent parte superiore. Similis enim ostrearum natura vrticis est; vt earum carnosà pars sit quod interior ostrearum: at ipsae vltantur saxo tanquam testa. [*Patellae quoque absolutae transmigrant et pascuntur.*] Quae autem mutant locum, partim vescuntur animalibus alunturque pisciculis minutis, vt purpura. Carniuora enim est; atque idcirco eiusmodi rebus inescatur. Partim iis aluntur, quae in mari plantarum natura oriuntur. At marinae testudines etiam conchis vescuntur: ore enim robustissimo sunt. Quodcunque enim corripunt, aut lapidem aut aliud quid, confractum depascitur. Egressa etiam in terram herbam pascitur. Laborant ac saepe

etiam intereunt, cum summo mari fluitantes prae-
 ter modum a sole exsiccantur: neque enim facile
 5 rursum mergi possunt. [Cap. V. Scaligero.] Idem
 quoque modus crustaceorum: omniuora enim haec
 item sunt. Namque et lapides et limum (*vulgo*
ligna) et algulas atque adeo stercois deuorant: vt
 cancri saxatiles: quin etiam carne vescuntur. Lo-
 custae vero etiam maiores pisces superant: et acci-
 dit horum nonnullis conuersio rerum in contra-
 rium. Namque locustas vincunt polypi; [neque
 enim testa locustae nocet polypis:] itaque si eodem
 in reti sese prope esse senserint, moriuntur locu-
 stae metu. Locustae congros superant: namque
 asperitas in causa est, quo minus dilabantur. At
 congris polypos deuorant: neque enim ob laeuita-
 tem apprehendi possunt. [Mollusca autem omnia
 6 carniuora sunt.] Pascuntur locustae pisciculis, quos
 circa latibula sua venantur. Namque in alti maris
 eiusmodi locis nascuntur, quae sint aspera ac scru-
 pea, atque in iisdem cubilia sua habent: ac more
 cancrorum forcipato pede ori admovent quem
 prehenderint. Procedit prorsum natura sua, cum
 sine metu est, demittens cornicula in latera: per-
 terrefacta autem retro fugit, porrectaque vibrat
 cornua. Arietum modo inter se pugnant sublatis
 cornibus ferientes: conspiciuntur autem plerum-

que tanquam greges mutuo congressu. Crustacea itaque sicpote viuunt. In genere molluscorum lo-
ligines (teuthides) et sepiae etiam magnos pisces
superant. Polypi conchis potissimum collectis ex-
emptisque carnibus aluntur. Ideirco de eiusmodi
testis captatores agnoscunt eorum cubilia. Nam
quod aiunt quidam, eos sese deuorare, falsum
est: sed nonnulli brachia habent ambesa a congris.

CAP. IV. (vulgo adhuc CAP. II. Scaligero V.)

Pisces suis foetibus aluntur omnes, ipsius foe-
turae tempore: at alio cibo non omnes vtuntur.
Nonnulli enim sola vescuntur carne: vt cartila-
ginei et congri et channae et thunni et lupi (labra-
ces) et dentices (synodontes) et amiae et orphi et
muraenae. Multi autem alga aluntur et ostreis et
coeno atque etiam carnibus: [cephali coeno:] da-
scillus coeno et stercore. Scarus autem et melanu-
rus alga. Salpa stercore et alga: carpit etiam mar-
rubium: (prasium:) sola piscium cucurbita quoque
capitur. Deuorant se inuicem omnes praeter mu-
gilem; maxime autem congri. At capito et mugil
soli omnino carnem non esitant. Huius rei argu-
mentum est, quod nihil vnquam tale in eorum
ventre repertum est: neque inescant eos animalium
carnibus, sed offa panis. Alitur omnis mugil alga

et arena. In genere capitonum is, quem labeonem (cheilonem) vocant, littoralis est: alter autem procul incolit: atque hic quidem suo muco alitur: idcircoque semper ieiunio inanis est. Capitones autem pascuntur limo: ac propterea graues et coenosi sunt. Piscem enim nullum esitant: saepeque emergunt e coeno, in quo habitant, vt sese eo eluant. Eorum prolem nulla bestia vorat: ideo sunt frequentes. Sed vbi adoleuerunt, tunc ab aliis piscibus deuorantur, maximeque ab acharna.

- 3 Gulosissimus piscium mugil est et inexplebilis: idcircoque venter ei distenditur: et cum non est ieiunus, deterior. Cum perterrefit, abscondit caput perinde ac toto corpore occultato. Carne alitur etiam dentex, ac deuorat mollusca: tum is tum channa insequentes minutiores pisces eiiciunt ventriculos, propterea quod piscibus ventriculus prope os est, neque gulam habent. Quidam igitur carne sola, vti diximus, vescuntur, veluti delphin, dentex, aurata, (chrysophrys,) cartilaginei pisces et mollusca. Alii magna ex parte coenum et algam et muscum et quod caulium vocant, etsi qua alia in mari nascitur materia: vt fucula (phycis) et gobio et saxatiles. Fucula ceterorum carne abstinet: solis vescitur squillis. Saepenumero etiam inter se appetunt, quemadmodum dictum est: et sane mi-

nones a maioribus conficiuntur. Argumento est, carnibus eos vesci, quod capiuntur eiusmodi escis. Amia, thunnus, (*vulgo thynnis,*) lupus fere carni- 4 bus victitant: carpunt tamen etiam algas. Sargus reliquiis alitur pabuli, quod nullus, excitato coeno, (fodere enim valet,) reliquit. Postquam enim is abiit, ipse accedit et pascitur, imbecillioresque arceat coenae societate. Solus piscium qui vocatur scarus videtur quadrupedum more ruminare. Ceteri pisces aduerso ore ita venantur minores, quemadmodum etiam natate consueuerunt. At cartilaginei omnes, et delphines et cetacei resupinati omnes corripiunt: subtus enim habent os. Itaque minus pereunt minores: alioqui pauci admodum euaderent. Nam delphini pernicitas ac vis deuorandi videtur sane mirabilis. At anguillae paucae quae- 5 dam nec multis locis et limo et obiectis aluntur edulius; potissimum autem aqua potabili. Atque huius generis piscinarii id obseruant, vt quam purissima effluat atque influat in fossis; aut opere tectorio inducunt viuaria. Cito enim suffocantur, nisi sit aqua pura: branchias si quidem exiguas habent. Idcirco eas cum venantur, aquam perturbant. Et in Strymone circa exortum Vergiliarum capiuntur: eo namque tempore conturbatur aqua, excitato coeno aduersis ventis. Alioqui confert

opere abstinere. Mortuae anguillae non fluitant; ac ne sursum quidem efferuntur, veluti piscium pars maxima. Habent enim ventrem modicum. Pinguedinem autem paucae habent: plurimae non
 6 habent. Exemptae ex aqua et quinque et sex viuunt dies: aquilone flante plures: austro pauciores. Atque per aestatem in viuaria translatae e lacubus intereunt: per hiemem non item. Nec mutationes vehementes perferunt, velut cum ii, qui ferunt, in frigidam merserint: intereunt enim plerumque vniuersae. Intereunt etiam, si in pauca aqua alantur: quod ceteris quoque piscibus euenit. Suffocantur enim in eadem semper aqua, quae sit exigua: quemadmodum et spirantia animalia, si pauxillo aere includantur. Viuunt anguillarum quaedam et septem et octo annos. Sese inuicem deuorant anguillae flumiales, sed et herbis vescuntur et radicibus, et si quid in coeno deprehenderit. Plus noctu pascuntur: interdium in altum abscedunt. Piscium ita se victus habet.

C A P. V. (vulgo C A P. III. Scaligero VI.)

Auium vncungues omnes carniuorae sunt: fruges autem, etiamsi quis frustillatim in os indiderit, nequeunt deglutire. Talia aquilarum genera omnia, et milui, et accipiter vterque tum palumbarius tum

fringillarius: qui magnitudine inter se multum differunt. Et buteo: is magnitudine miluum aequat, et semper apparet. Item ossifraga et vultur. Est autem ossifraga quam aquila maior, colore cinereo. At vulturum duae sunt species: alter minor et exalbidior: maior autem plus cinereum referens colorem. (*alii Codd. multiformior.*) Praeterea nocturnarum avium nonnullae sunt vncis 2 vnguibus, vt nocticorvus, noctua, (glaux,) bubo. (*bryas, vt Codd. bis habent. Vulgo est byas.*) Est bubo noctuae similis, sed magnitudine non inferior aquila. Quin etiam vlula, (*Gazae aluco,*) (eleos) et capriceps, (*Gazae vlula,*) (aigolius) et asio: (scops:) quorum vlula gallinaceo maior est, capriceps par: vterque picas venatur. Asio minor quam noctua. (glaux.) Haec tria similia de facie et carniuora omnia sunt. Sunt quaedam ex iis, quae vncos vngues non habent, carniuora, vt hirundo. Alia autem vermiculis vescuntur, vt fringilla, (spiza,) 3 passer, rubicola, (*Gazae rubetra,*) [*Graece batis, sed alii Codd. batios vel sacios habent.*] vireola, (*Gazae luteola,*) (chloris,) parus, (aegithalus.) Pari tria genera sunt. Vnum grandissimum: dictus fringillaris: (spizites:) aequat enim fringillae magnitudinem. Alter montanus appellatur; propterea quod montes colit, longam habens caudam. Tertium

genus his simile est, sed magnitudine differt: est enim minimus. Item ficedula, (sycalis,) atriceps, (*Gazae atricapilla*,) pyrrhulas, (*Gazae rubecula*, *Scaligero byrriola*,) erithacus, (*Gazae siluia*,) curuca, asilus, (oestrus,) tyrannus. Is paulo est maior locusta, punicea crista atque adeo vermesta auicula atque bene composita. Qui florus dicitur, (anthos,) fringillae est magnitudine. At montifringilla (orospizus) et similitudine et magnitudine illam refert; sed circa collum habet coeruleum colorem atque in montibus agit. Ad haec regulus, seminilegus. (spermologus.) Hae igitur atque aliae eiusmodi aut solis vermibus aut fere non alio aluntur cibo. At hae e spinis victitant: spinula, (acanthis, *Gazae spinus* siue ligurinus,) thraupis, [*alii Codd. thlypis*] (*Gazae carduelus*,) et quae dicitur chrysometris. (*Gazae auriuittis*.) Omnes enim e spinis carpunt: vermem autem aut animantem nullam. Eodem autem in loco hae et somnum capiunt et cibum. Aliae culiciuorae sunt, quae culicum venatu maxime viuunt, veluti pipo maior et minor, [*Aliae duae circa stipites satagunt*], quas nonnulli vocant tundiquereos, Latini picos. Similes hae inter se, similique voce sunt: sed maiori maior. Alitur vtraque stipitibus obuolando. Praeterea celeus. (*vulgo colios erat, Gazae et Sca-*

ligero galgulus.) Is aequat turturis magnitudinem, colore totus luteus. Ligna vehementer pertundit, et in ipsis fere vescitur. Vocem magnam habet: frequentissima avis Peloponeso. Alius vocatur culicilega, (cniologus,) paruus vt spinula: colore cinereo et punctis distincto: voce exigua. Is item ligna tundit. Aliae frugiurae [*et herbiurae*], vt 5 palumbes, (phabs et phatta,) columba, rupilia, (oenas,) turtur. Ac palumbes quidem columbaque semper apparent: turtur aestate; hieme non comparet: latet enim. Rupilia autem autumnoposissimum et apparet et capitur. Est rupilia quam columba maior, quam palumbes minor. Capitur fere, dum aquam haustu capit. Adueniunt autem huc ad nos cum pullis suis: ceterae omnes adueniunt aestate, nidificant apud nos, et plurimae animalibus aluntur, excepto genere columbaceo. [Cap. VII. Scaligero.] Avium omnium aliae, vt 6 ita dicam, terrae obuersantur cibi gratia: aliae circa fluuios ac lacus victitant: aliae circa mare. Quae palmipedes sunt, in ipsa aqua plurimum tempus agitant: quae fissipedes, circa ipsam aquam. Atque harum quaedam [immergentes sese] aluntur: aliae plantarum generibus: scilicet quae carniurae non sunt: [at] circa lacus ac fluuios ardeola et albardeola, quae illa minor est, habetque

- 7 rostrum latum et longum. Item ciconia et gauia. Est autem gaviae color cinereus. Et schoenilus (*Gazae* ianco) et cinclus et albicula, (pygargus,) [et trynga.] Is est maximus horum minutiorum: aequat enim turdum. Omnes autem hi motant caudam. Et calidris, (*Codices quidam scandris*), quae auicula cinerea est, sed variegata. Ad haec alcedonum [*vulgo lusciniarum*] genus iuxta aquas agit. Eius sunt duae species: quarum altera vocalis est, insidetque arundinibus: altera muta, quae maior est. Vtrique dorsum caeruleum. Circa mare et alcedo et cerylus. Sed et cornices aluntur animalibus e mari eiectis: omnis enim generis cibo aluntur. Praeterea gauia candida, et fulica, (cephus,) et mergus, (aithya,) et charadrius. [*Gazae*
- 8 rupex.] Quae in genere palmipedum sunt grauiiores, circum fluuios et paludes agitant, vt olor, anas, phalaris, vrinatrix. (colymbis.) Et boscas, (pascula *Scaligero*), quae anati similis, sed minor est. Ad haec is, qui vocatur coruus. Is ciconiae refert magnitudinem: ceterum cruribus est breuioribus. Palmipes est, et nandi potens, colore niger. Insidet et arboribus, in quibus etiam solus aquaticarum nidulatur. Et anser, et anser minor gregatilis, et vulpanser, et capella, et penelops. Marina aquila et circa mare agit, et lacustres aquas de-

praedatur. Multae aues etiam omniuorae sunt. Vncungues cum ceteris, quae superarint, animalibus, tum et auibus vescuntur ipsis. Sed mutuo cibatu de proprio genere nullam esitant, sicut pisces: saepenumero enim hi e sua specie pascuntur. Vniuersum auium genus parce bibit: atque ipsae vncungues potu omnino abstinent praeter paucas, easque raro: cuiusmodi potissimum tinnunculus. Miluus quoque raro bibere visus est.

CAP. VI. (vulgo IV. Scaligero VIII.)

Quae squalida teguntur cute, vt lacertus et alia quadrupeda (huiusmodi,) haec et serpentes omnivora sunt. Nam et carne et herba vescuntur. Serpentes vero etiam omnium animalium maximi sunt liguritores. Paruo igitur potu contenta sunt tum haec tum alia, quaecunqae rarae texturae pulmonem habent. Habent autem omnia, et paucio repletum sanguine, quaecunqae oua pariunt. Serpentes vero etiam intemperantes sunt erga vinum: idcirco venantur viperas (echis) testis cum vino per sepes dispositis: ebriae enim capiuntur. Carniuori serpentes cum sint, vbi quod prehenderit animal, exhausto succo integrum per secessus meatum reddunt. Id quod fere alia quoque eiusmodi faciunt, vt aranei. Sed aranei foris exugunt, serpentes

2 autem in ventre. Corripit serpens; vndelibet ei forte oblatum sit. Edit enim et auiculas et bestiolas, et deuorat oua. Vbiprehendit, reducit vsque adeo, dum in summo erectus consistat. Deinde ita colligit sese atque contrahit in exiguum, vt cum extensus fuerit, descendat quod deuorarit. Hoc agit propterea, quod gulam habet longam et angustam. Possunt et phalangia et serpentes diu sine cibo vivere; quod perspici potest ex iis, quas alunt medicamentarii.

C A P. VII. (vulgo V. Scaligero IX.)

Quae quadrupedes animal pariunt, feraeque sunt et dentibus exsertis praeditae, carne vescuntur omnes. Lupos tamen aiunt esurientes certam terram deuorare; idque huic vni euenire animali. Herbam vero cibi gratia non attingunt aliás; sed cum aegroti sunt, more canum, deuorant et reuomunt ac purgantur. Inter ipsos lupos ii, qui a Graecis dicuntur *μονοπέριαι*, latine soliuagi praedones, potius hominem cibi gratia appetunt, quam
 2 ii, qui in sodalitie venantur. At quem alii glanum, alii hyaenam vocant, non est minor lupo. Iubam habet sicut equus, sed setas ipsas tum duriores tum densiores, (*Gazae* longiores,) continenturque toto dorso. Insidiatur ac captat ho-

mines: canes autem hominum vomitum imitata
venatur: sepulera etiam eruit humanae carnis ap-
petens. **Vrsus** omniuorus est. Nam et fructibus **3**
vescitur, et arbores conscendit ob corporis agilita-
tem: item legumina; diffractis quoque aluearibus
mel edit et caneros et formicas. Carniuorus quo-
que est. Cum enim robustus sit, inuadit non so-
lum cernos, sed etiam apros, si facere potest, vt
improvisis aggrediatur; etiam tauros. Cum ipsis
enim congressus ex aduerso, supinus concidit,
tum eo moliente vulnera; cornua brachiis ample-
xus, armos ore mordet, vsque dum ipsum proster-
nat. Per breue etiam temporis spatium ingreditur
bipes erectus. Carnes quascunque esitat, prius omit-
tit putrescere. **Leo**; sicut et aliae ferae et serratis **4**
dentibus praeditae, carne vescitur; cibo auide uti-
tur, multaque solida deuorat, nihil discindens.
Deinde dies duos tresue cibo abstinet; id quod
sane potest, eo quod satis superque expletus fuit.
Parce bibit: raro excrementa reddit: tertio enim
quoque die, aut vt fors tulerit, excernit, eaque
dura atque exucta, more canum. Flatum etiam
eadem parte emitit acerrimum, et olentem vrinam.
Idcirco canes odorantur arbores: nam ille sublato
crure vrinam reddit, more canum. Inficit etiam
cibos odorem inspirans tetrum: secto enim leone

5 interiora grauem halitum emittunt. Quaedam ferae quadrupedes etiam circa lacus ac fluuios cibum quaerunt: at circa mare nullum, excepto vitulo marino. Huius generis sunt fiber et satherion (sathrion) et satyrion (sapyrion *alii Codices.*) et lutra et latak, quae quam lutra latior est, robustisque adeo dentibus praedita est. Egressa enim noctu plerumque proxima virgulta fluuio dentibus excindit. Etiam lutra mordet homines; neque prius, ut aiunt, amittit, quam ossis crepitum audiuerit. Lataci pilus durus est: specie media inter eum, qui est cerui et vituli marini.

CAP. VIII. (vulgo VI. Scaliger rectius continuat IX. Caput.)

Bibunt animalia serrata lambendo, et quaedam non serrata, ut mures; aequalibus praedita dentibus trahendo (sorbendo *cum Plinio Gaza*), ut equi et boues. Versus neque trahendo neque lambendo, sed morsu. Et aues partim trahendo, sed ita quae longa sunt collo, intermissis vicibus, et tollentes (resupinantes) caput. Solus porphyrio morsu. Cornigera animalia tum mitia tum fera, quae serratos dentes non habent, omnia et fructibus et herbis vescuntur, nisi valida fame urgeantur, praeter canem: (*alii Codices suem:*) is enim minime aut

herba aut fructu alitur. At sus maxime omnium animalium radicum vorax est, propter rostri ad eiusmodi commoditatem; facillimeque omnium quoduis pabulum admittit, celerrimeque proficit crassitudine, quantam fert eius magnitudo. Spatio enim sexaginta dierum pinguescit. Agnoscunt incrementum saginatores, postquam ieiunium ipsum ponderauerunt. Pinguescit, si triduo fame fuerit maceratus; quemadmodum alia fere omnia fame affecta prius. Post eos dies tres vberiori pabulo accipiunt suem. At Thraces saginant prima die potu exhibito: deinde vnum diem intermittunt: tum duos, postea tres et quatuor, vsque ad septem. Pinguescit hordeo, milio, ficu, glande, pyro, cucumere. Pinguescunt autem tum haec tum alia, quae ventriculum calidum habent, otio: sed sues etiam coenosa lauatione. Pastiones constitui volunt secundum aetates. Pugnat sus etiam cum lupo. Quot pondo viuens est, eius ponderis sexta pars abit in setas, sanguinem et eiusmodi. Sues aliaque omnia lactantia fiunt exiliora. Atque haec ita se habent.

CAP. IX. (vulgo VII. Scaligero X.)

Boues autem et fruge et herba vescuntur: pinguescunt flatuosis, eruo, et faba fresa et stipula viridi fabarum. Vetulos vero etiam iucisa prius

cute atque insufflata, ac deinde pabulo appposito: item hordeo vel integro vel pinsito: praeterea rebus dulcibus, cuiusmodi sunt ficus et vuae: et vino et vlni foliis. Sed maxime sole et lotione aquae calidae. Vitulorum cornua cera tepefacta ducuntur, quorsum quis velit: et pedes minus dolitant, si cornua (*ungulas*) cera aut pice aut oleo oblinantur. Laborant armenta magis pruina quam niue excitata. (*dum loca mutant.*) Crescunt, cum plures annos veneris expertes sint. Idcirco Epirotae vaccas quas vocant Pyrrhicas annos nouem coitu arcedas curant, vt crescant: atauras appellant. Aiunt eas esse numero circiter quadringentas, regum peculiare: aliis locis viuere non posse, multorum experimento.

C A P. X. (vulgo VIII. Scaligero XI.)

Equi, muli, asini fructu atque herba vescuntur. Potu maxime pinguescunt. Nam iumenta, vt cuiusque vsus aquae euenerit, ita ad fruendum pabulo afficiuntur, et vt eorum quodque minus detrectat potum, ita commodius pinguescit. Farrago grauida adhuc pilo laeuiore (densiore *alii Codd.*) vt sint efficit: at cum erit aristas durioribus, inutilis est. Herbae Medicac cum est prima seges, (*fals,*) mala, tum, si aqua putrida irrigetur, male

ipsa olet. Boues puram quaerunt, quam bibant: at equi, vt cameli. Nam camelo suauior potus turbidus ac crassus. Neque de fluuio potat priusquam conturbarit. Sine potu durare potest etiam dies quatuor: post quos deinde bibit largissime.

C A P. XI. (vulgo IX. Scaligero XII.)

Elephantus quidem cum plurimum edit (hordei *addit Aelianus,*) Macedonicos modios nouenos; sed id non sine periculo. Verum ad summum senos septenesue: farinae quinos: vini totidem maros. Capit marus heminas sex. Semel olim quidam elefantus bibit aquae metretas Macedonicas quatuordecim; et vespere praeterea octo. Plerique e camelis viuunt annos circiter tricenos: aliqui multo plures: quippe ad centesimum. Elephantum sunt qui trecentos annos dicunt: alii ducentos.

C A P. XII. (vulgo X. Scaligero XIII.)

Oues capraeque herbis vescuntur. Pascuntur oues asseduae et stabili grege. Caprae subinde mutant loca, et summa quaeque carpentes tantum. Pinguescit ovis potu maxime. Idcirco per aestatem salis dant quinto quoque die centenis modium, quo grex et melius valeat et pinguior sit. Saepe etiam salito pabulo sic exhibent, vt in paleis salis multum

indant, quo, collecta siti, plus bibant. Autumno etiam cucurbitam sale aspersam: hoc enim etiam lactis copiam excitat. Ex ambulatione quoque meridiana largius bibunt vespere. A partu sale pastae
² maiora demittunt vbera. Pinguescunt olea, oleastro, vicia, (aphaca,) palea, herba; (palea quacunque *alii Codd.*) eoque magis, omnia aqua salsa si ante irrorentur. Eae quoque fame prius affectae triduana crassessunt amplius. Aqua ouibus aestate borealis, autumno australis utilior. Pastiones vespertinae (ad solis occasum *Gaza*) conferunt: itinera et labores extenuant. Pastores dignoscunt oves valentiores; si hieme eis haereat pruina, ab aliis, quibus non haeret. Etenim prae imbecillitate cum sese
³ veant, excutiunt quae perferre non possunt. Omnium quadrupedum carnes deteriores, quae locis palustribus pascuntur, quam quae editioribus. Minus (*vulgo est magis*) hiemem perferunt laticaudae oves quam longicaudae, et glabellae (*breui lana*) quam hirtae. Hiemis impatientes etiam crispae (*vulgo capellae*) sunt. Salubriores oves sunt quam caprae. Sed caprae quam oves robustiores. Vellera ouium, quae a lupis voratae sunt, itemque lanae atque ex iis confectae vestes multo sunt ad generandum pediculos aptiores quam aliarum.

C A P. XIII. (vulgo XI. Scaligero XIV.)

Quae insecta dentes habent; omni genere cibi vescuntur. At quibus lingua est, humido tantum aluntur, ipsa scilicet vndeunque exugentia. Atque horum partim omniuora; (omnes enim saporibus degustant, vt muscae;) partim sanguinem hauriunt, vt tabanus, (myops,) asilus, (oestrus.) Alia plantarum ac fructuum tantum sucos. Sola apes ad nullam rem putridam insidet; neque alio vitur cibo, quam qui dulci succo sit praeditus. Et ubi saliant aquae suauissimae et purae; ibi aquantur. Cibus igitur, quibus diximus, animalium generum vtuntur.

C A P. XIV. (vulgo XII. Scaligero XV.)

Actiones autem ipsorum tum ob coitum ac procreationem sunt; tum circa commutationem ciborum. Nec minus sese comparant ad frigora aut tepores, itemque ad temporum mutationes. Omnia enim innatam habent naturam ad sensu percipiendum et calidi et frigidi mutationem. Ac quemadmodum homines quidam aedes per hiemis tempus mutant; alii, qui multae terrae domini sunt, aestates agitant in gelidis, hibernant in tepidis: sic etiam animalia, quae loca mutare possunt, partim iisdem in locis inueniunt praesidia, partim loca egrediuntur. Post autumnale aequinoctium ex Ponto et frigidis

locis instantem hiemem fugientia: post verum ex aestiuis in gelida loca, metu caloris. Quorum alia in propinqua migrant loca; alia ex ultimis, ut ita dicam, demigrant; ut grues. Quae a Scythiae campis in paludes, quae sunt supra Aegyptum, vade fluit Nilus, commeant. Ea loca sunt, quae Pygmaei incolunt, pusillum genus, ut aiunt, ipsi, atque etiam equi, canernasque habitant. Et plateae (pelecanes) loca mutant, volantque a Strymone fluvio ad Danubium, (Istrum,) atque ibi pariunt. Vniuersae abeunt, expectanturque a prioribus posteriores, propterea quod priorum prospectus superuolantium montis obiectu intercipitur posterioribus. Sic et pisces quidam aut ex Ponto aut in Pontum demigrant. Quidam hieme ex alto ad terram sequentes teporem, per aestatem ex litoralibus in altum aestum fugientes. Imbecilles quoque aues hieme et gelidis tempestatibus in campos descendunt ob teporem. Aestate abscedunt in montes superiores ob aestum. Imbecilliora animalia secundum utrumque excessum primo quoque tempore mutant loca. Praeuertunt scombri (sombriae *Codd.*) thunnis, coturnices gruibus: nam illi Augusto (Boedromeone), hi Septembri. (Maemacterieone.) Sunt omnia pinguiora, cum e frigidis locis transmeant, quam cum e calidis: ut coturnices

autumno potius, quam vere. Euenit autem, vt et frigidis e locis simul et tempore calido discedatur. Sunt etiam verno tempore appetentiores coitus et cum descendunt e calidis locis. Ac quem- 5
admodum supra dictum est, grues ab extremis in extremas migrant partes. Aduerso vento volant. De lapide quod aiunt, falsum est, eum eas pro libramento habere, esseque vtilem ad auri probationem, cum euouerint. Abeunt palumbes (phattae) et turriliae, (peliades,) neque hibernant: item (hirundines et *omittunt alii Codices*) turtures: columbae non abeunt. Praeterea coturnices, exceptis paucis reliquis coturnicum et turturum in locis apricis, Congregantur et palumbes et turtures, (et coturnices *addunt alii Codd.*) vel cum accedunt, vel cum in eo sunt, vt reuertantur. Coturnices cum incubuerint (*alarum remigio*), si serenum sit coelum, aut aquilonium, per paria coniunguntur, et recte habent. Austrum flantem moleste ferunt, propterea quod minus habiles sunt ad volandum. Est quippe ventus et humidus et grauis. Itaque aucupes captant ex austro venandi occasionem, serenitatem transmittunt. [Aegre autem] volant ob grauitatem: corpulentae enim valde sunt. Idcirco cum clamore volant, quia laborant. Igitur cum 6
illinc appellant, ducem nullum habent; cum hinc

abeunt, tum ligula (lingulaca *Gazae*, graece glottis,) simul demigrat et ortyometra et otus (*Gazae* auritus, *Scaligero* noctuinus,) et cychramus, qui etiam noctu eas reuocat. Cuius vocem aucupes cum audierint, sciunt ipsas non mansuras. Ortyometra par facie est auibus palustribus. Ligula habet linguam exsertam vsque porro. Otus est similis noctuis; at circa aures pinnulas habet. Eum quidam nycticoracem, id est coruum nocturnum, vocant. Parasitus (*Gazae et Scaligero* blatero) est, gesticulator; capiturque saltatione a venatore, quam vicissim imitatur; itaque a socio circumuenitur, sicut noctua. Omnium autem vucupues et collo sunt breuiore et latiore linguam habent, et imitatrices sunt. Talis enim et avis Indica psittacus, (sittace,) quam ab humana lingua Graeci *ενθρωπόλαπτον* nominant. Is etiam vini potu fit intemperantior. Gregales aues sunt grus, olor, platea, anser minor.

CAP. XV. (vulgo XIII. Scaligero XVI)

Ex piscibus nonnulli, vt diximus, commeant in terram ex alto, et a terra in altum, fugientes vel gelu vel aestus excessum. Praestantiores sunt littorales iis, qui in alto agitant. Nam et vberiore et meliore vtuntur pabulo. Quo enim sol inuadit,

oritur et largius et probius et mollius, velut in hortis. Nam et alga nigra secus terram nascitur. Alia autem similior agresti est. Maritima quoque loca littoralia bene temperata ex calido et frigido sunt. Idcirco etiam huiusmodi piscium carnes compactiores sunt: at eorum, qui in alto degunt, humidae ac fluidae. Sunt littorales dentex, (synodon,) cantharus, cernua, (orphus,) aurata, (chrysophrys,) mugil, (cestreus,) mullus, turdus, draco, callionymus, gobio et saxatiles omnes. In alto degunt pastinaca, cartilaginea, conghi albi, dilana, rubellius, (erythrinus,) caesius. (glaucus.) Pagri autem, (phagri,) et scorpia, et conghi atrii, et muraenae, et cuculi utrisque locis versantur. Locorum quoque differunt hi ratione: ut circa Cretam gobii et saxatiles omnes pingues sunt. Post Arcturum iterum thunnus bonus euadit: hoc enim tempore cessat agitari asilo. Quae est causa, quare aestate deterior sit. In maritimis lacubus etiam multi nascuntur pisces, ut salpa, aurata, mullus, atque ex aliis fere generibus plurimi. Quippe etiam amiae: ut circa Alopeconesum, et in Bistone paludè insunt piscium plurima genera. Coliarum (monedularum *Gazae*, gracculorum *Scaligero*) pleraeque Pontum non subeunt, sed in Propontide aestiuant et pariunt: hibernant ad Aegialum. (*Vulgo* in Aegaeo.) Thu-

nides et pelamydes et amiae in Pontum traiciunt vere, atque ibi aestatem habent, ac fere maxima pars fusaneorum (rhyadum) et gregatiliū. Maxima autem pars piscium est gregatilis. Habent hi ducem; omnesque Pontum subeunt, tum propter pabulum, quod et largius et praestantius ex aqua dulci est, tum ob belluas grandiores, quae ibi sunt infrequentiores. Nam praeter phocaenam et delphinum nulla in Ponto est: et ipse sane delphinus pusillus est ibi: exeunti autem illico grandis. Igitur et pabuli gratia et pariendi causa eo adnata. Sunt enim loca ad pariendum accommoda, et potabilis aqua et dulcior catulos educat. Vbi pepere- rint, et foetus aucti fuerint, recedunt statim post Vergilias. Austrina hieme serius egrediuntur: aquilonia temperius: vento enim secundo iuuantur. Eorum itaque proles tum parua capitur ad Byzantium, propterea quod non diu manserit in Ponto.

4 Alii tam adeuntes quam abeuntes videntur. At trichiae soli e piscibus cum abeunt, capiuntur: reuerti nulli videntur. Sed ad Byzantium si quis capitur, piscatores retia lustrant, propterea quod reuerti non consueuerint. In causa est, quoniam hi soli in Istrum abeunt; atque vbi finditur, in Adriaticum descendunt. Cuius rei argumentum est, quod in Adriaticum ingredientes nulli capiuntur.

tur, sed ex Adriatico abeuntes capiuntur. Ingre- 5
 diuntur thunni vergentes dextrorsum ad terram:
 egrediuntur sinistrorsum secundum littus. Id
 quod eos autumant facere quidam propterea, quod
 dextro oculo acutius videant, alioqui natura sua
 obtusa oculorum acie. Fusanei interdiu comitant,
 noctu abstinere ab itinere ac pascuntur; etiam si-
 lente luna: alioqui abstinere, sed iter faciunt.
 Maris accolae quidam ita aiunt, per brumam immo-
 biles euadere, et in loco, quem nacti fuerint, quie-
 tem agere vsque ad aequinoctii tempus. Ac coliae 6
 quidem subeuntes capiuntur, exeuntes minus. Alii
 autem fusanei, cum exeunt e Ponto, capiuntur: quo
 tempore longe optimi sunt. Cum vero ingrediuntur,
 proxime Aegialum (*vulgo* littora) pinguis-
 simi capiuntur. Quo interius subeunt, tanto macri-
 ores. Ac saepe fit, vt, cum increbuerint
 contra flatus Austrini, simul cum colis etiam
 scombri (*vulgo* et scombris) emigrent, atque infra
 Byzantium potius capiantur. Hoc igitur modo
 mutant loca pisces.

CAP. XVI. (*vulgo* adhuc CAP. XIII. Scali-
 gero XVII.)

Similis vero affectio euenit terrestribus latitan-
 di tempore imminente. Hieme enim capiuntur

impetu ad latendum; atque redeunt tempore calidiore. Latent animalia, vt aduersus vtriusque temporis excessus sese communiunt. Ac quorundam genus omne latet: alia non omnia. Iam vero testacea latent omnia; veluti ex maritimis purpurae, buccini, et vniuersum genus huiusmodi. Sed manifestius hoc agunt ea, quae affixa non sunt; quippe sese abdunt, vt pectines. Quaedam vero in superficie operculo munitur, vt terrestres cochleae. At eorum quae adhaerent, modus quo lateant, incertus est. Verum non eodem tempore latent omnia: sed hieme cochleae: purpurae et buccini sub cane circiter dies triginta: quo tempore etiam pectines. Maxima vero pars latet et in vehemēti gelu et in vehemēti aestu. (Vulgo Cap. XIII. Scaligero XVIII.) Insecta paene omnia latent, nisi si qua ex ipsis in domiciliis nobiscum agitant: atque ea quae intereunt, neque perennant. Tempus insectis latendi hiems. Latent quaedam diebus pluribus: alia gelidioribus tantum, vt apes: latent enim hae quoque. Argumento est, quod nihil gustant ciborum, qui apponuntur. Tum earum si qua ereptarit, videtur translucida, neque quicquam plane in ventre continere. Quiescunt ab occasu Vergiliarum ad ver vsque. Latent anima-

lia atque abdunt sese tepidis, et quibus antea locis cubilia constituere consuevere.

CAP. XVII. (vulgo XV. Scaligero XIX.)

Latent etiam multa eorum, quae sunt e sanguine constituta: qualia quae cute squalida teguntur, vt serpentes et lacerti et stelliones, (ascalabotae,) et crocodili fluuiales: idque menses quatuor hiemis acrioris, nihilque esitant. Ac ceterae quidem serpentes in terram conduntur: viperæ autem sub saxis abdunt sese. [Cap. XX. Scaligero.] Latent etiam multi e piscibus: manifestissime hippurus et coracinus hieme. Hi namque soli nusquam capiuntur, nisi statis temporibus quibusdam atque iisdem semper. Reliqui fere omnes semper capiuntur. Latent et muraena et orphus et conger. In saxatiliu genere mares ac foemellæ coniuges latent, quemadmodum etiam nidulantur, turdi, merulae, percae. Latent thunni hieme in profundo maris: post quod tempus euadunt pinguis-²si. Igitur ab exortu Vergiliarum eorum captura incipit ad extremum arcturi occasum vsque. Praeter id temporis in latibulis quiescunt. Ex thunnis sicut ex aliis aliqui capiuntur cum latent: cum tempor praeter temporis rationem superuenerit. Atque ii, si tepidus sit locus, mouentur paululum a cu-

bilibus progressi in pastum. Sic etiam plena luna. Plerique pisces tum suauissimi sunt. Primades (*vulgo premadiae*) abdunt sese in coenum: colligitur hoc ex eo, quod tunc non capiuntur. Videntur quoque tergo limoso admodum et pinnis impactis. (*impressis, compactis inter se ob coe-*
 3 *num.*) Verno autem tempore mouentur, atque ad terram appellant, tum coeundi tum pariendi gratia: ac grauidae capiuntur. Videturque id tempus afferre eis gratiam ad cibos. Deteriores enim sunt et autumnis et hieme. Simul mares deprehenduntur pleni suo semine genitili. Foetibus etiamnum pusillis haud facile capiuntur: vbi crevere, vberius, asilo agitatae. Latent alia in arena, alia in luto, exserto tantum ore. Maxima pars latet hieme. At crustacea et saxatiles pisces, et raiae, (bati,) et cartilaginea gelidissimis tantum diebus. Id quod declaratur, propterea quod tempore
 4 frigido non capiuntur. Quidam etiam pisces aestate conduntur, vt glaucus: latet enim aestiuus diebus circiter sexagenis. Latet enim asellus atque aurata. Asellus intelligitur quidem plurimum latere: quia plurimo transacto tempore capitur. Argumentum, quod aestate lateant pisces, videtur illud esse, quia siderum exortu capiuntur, maxime vero caniculae. Eo enim tempore subuerti

mare. Id quod in Bosporo manifestius est: limus enim sursum fertur, simulque efferuntur pisces. Aiunt etiam saepenumero euenisse, vt fundo verriculis excitato plures eodem verriculo altero iactu quam priore capiantur. Imbribus autem largioribus ingruentibus apparent animalia, quae aut nunquam aut raro visa sunt.

CAP. XVIII. (vulgo XVI. Scaligero XXI.)

Ex auibus quoque multae latent, nec, vt quidam arbitrantur, omnes in tepida loca secedunt; sed qui haud multum absunt ab eiusmodi locis, quales ii, in quibus semper morantur; veluti milui et hirundines. Quae vero longius absunt, non mutant locum, sed se ipsas abdunt. Visae enim sunt hirundines in angustiis conuallium (*Scaliger* in cauernis) multae, plumis nudatae penitus: et milui ex iis euolantes locis visi sunt, cum primum apparuerant. Nullo quoque discrimine tam quae rectos quam quae vncos habent vngues sese condunt (*quaedam.*) Quippe et ciconia et merula et turtur et alauda. Ac turtur quidem nemo dubitat quin maxime omnium lateat. Nulla enim, vt aiunt, audita est hieme canere vsquam. Cum in it latebras, valde pinguis est. Atque in latibulo plumis spoliatur: neque tamen macrescit. Palumbium

(phasson, *vulgo legitur* cicurum) quaedam latent, quaedam non: abeunt cum hirundinibus. Latet etiam turdus et sturnus. Ex iis, quae aduncis sunt vnguibus, paucis diebus latent milui et noctua. (glauz.)

CAP. XIX. (vulgo XVII, Scaligero XXII.)

Ex quadrupedum genere quae animal pariunt spini(hystrices) et vrsi latent. Ac sane constat, vrsos ferros latere: verum propterne frigus, an aliam ob causam, dubitatur. Per id enim tempus fiunt tum mares tum foeminae pinguissimi, atque adeo, vt minus commode moueri queant. Foeminae vero ad pariendum tempestiuum est: latetque tantisper, dum sit tempus catulos educendi. Hoc vere fit mense tertio a bruma. Quadraginta dies latet cum paucissimos: ex quibus bis septenos aiunt, in quibus non moueatur. Ceteris, quorum numerus maior est, latet quidem, sed monetur et expergiscitur. Praegnans vrsa aut a nullo aut a paucis capta fuit. Hoc tempore constat eos nihil vesci: neque enim exeunt. Quod si capiuntur, inani ventre et intestinis visuntur. Aiunt etiam, quoniam non ceperit cibum, intestinum nonnihil coalescere: ac propterea, cum primum prodeunt, arum gustare, quo intestinum absistat et dilatetur.

Latet etiam glis (elios) in ipsis arboribus: atque 2
per id temporis euadit pinguis. Et mus Pon-
ticus candidus. (Cap. XXIII. Scaligero.) [*Quae
latent, nonnulla exuunt id, quod appellant se-
nectam. Suprema haec cutis est, et folliculus
tempore generationis.*] Igitur in quadrupedum
genere quod animal parit, de vrsu, quare lateat,
dubitatur, quemadmodum dictum est. Quae vero
cute squalida praedita sunt, eorum pars paene maxi-
ma latet. Exuunt autem senectutem ea, quorum
cutis mollis, non testacea, qualis testudini, (est
enim tum testudo tum lutaria (emys) e genere squa-
lidorum:) sed qualis stellioni et lacerto et potissi-
mum omnium serpentibus. Exuunt enim tum vere, 3
cum exeunt, tum autumnu iterum. Viperae quo-
que exuunt senectam et vere et autumnu. At non,
vt putarunt aliqui, vnum genus hoc e serpentibus
non exuere. Cum incipiunt exuere serpentes,
aiunt ab oculis primum abscedere, ita vt affectionis
eius imperitis coeci videantur: deinde a capite,
quod tum omnibus album videatur. Intra noctem
ac diem tota senectus paene exuitur, initio facto a
capite ad caudam vsque. Fit autem quod intus
erat foris: egrediuntur enim sicut foetus ab vteri
inuolucro. Eodem modo ex insectorum genere 4
exuunt senectutem quae exuere consueuerunt, vt sil-

pha et culex, (empis,) et quibus alae in vaginis sunt, qualis est scarabaeus. (cantharus.) Sed omnia postquam genita sunt, exuunt. Nam sicuti animali secundina, cum editur, sic etiam vermiculo, cum paritur, obrumpitur folliculus. Aequae sane et apibus et locustis. Ac cicadae quidem cum egressae sunt, considunt super oleis et arundinibus. Circumrupto autem folliculo exeunt, pauxillo humore relicto intus: neque multo post tempore
 5 et volant et canunt. Ex maritimis autem locustae et gammari exuunt aliquando vere, alias autumnopostquam pepererunt. Iam vero quaedam e locustis captae sunt, quae molles partes circa pectus haberent, propterea quod obrupta crusta fuisset ibi: at inferiores duras idcirco; quia nondum ibi circumrupta esset. Neque enim eodem quo serpentes modo exeunt. Latent locustae quinque circiter menses. Exuunt cancri quoque senectutem. Ac sane de iis qui molliore teguntur crusta, nulla est controuersia. Aiunt etiam qui duriore, ut maias et vetulas. (graus.) Et cum exuunt, fiunt crustae molles omnino. Ac cancri quidem haud valde ingredi queunt. Exuunt haec non semel, sed saepe. Quae igitur lateant et quando et quomodo quaeque exuant senectutem, iam dictum est.

CAP. XX. (vulgo XVIII. Scaligero XXIV.)

Bene autem habent animalia nec iisdem temporibus aequae neque excessibus quibuscunque. Secundae quoque atque aduersae valetudines aliae aeneniunt generibus pro temporum ratione ac denique non eadem omnibus. Anibus igitur squalleres conferunt tum ad ceteram sanitatem tum etiam ad partus, praecipue palumbis. (phlatis.) Pisces autem praeter paucos iuuantur iimbribus. Incommoda vtrisque contraria sunt; pluuiiae quidem tempestates anibus: omnino namque multus potus eis non est conducibilis: piscibus autem siccitates. Paene igitur omnia in genere vncunguim, sicuti ² supra dictum est, potu omnino abstinent: quod Herodotus (*Codices alii* Hesiodus) ignorauit. Is enim, vbi narrat Nini obsidionem, aquilam augurii praesidem bibentem facit. Alia vero bibunt quidem, sed non multum: atque omnino ne ceterorum quidem vllum, quod pulmone raro praeditum sit atque oua pariat. Anium morbos indicant plumae: obturbantur enim, neque pristinam sanitatis obtinent constitutionem. [Vulgo Cap. XIX. Scaligero XXV.] Annis pluuiis, sicut antea dictum est, pisces bene habent se: neque enim solum habent plus alimenti, sed etiam conducibiles sunt eis imbres, quemadmodum etiam plantis. Olera nam-

que, tametsi irrigantur, tamen com̄pluta plus proficiunt. Idem quoque euenit palustribus arundinibus: neque enim admodum crescunt nisi pluuiarum accessione. Argumento quoque est migratio plurimorum piscium annua in Pontum, vt ibi aestiuent, vbi propter fluuiorum frequentiam dulcior aqua fit, iidemque multum escae subuehunt. Subeunt praeterea annes multi ex piscibus, inque eis atque in lacubus bene agitant: cuiusmodi amia est et mugil. Gobii quoque in fluuiis euadunt pingues. Denique lacuum commoditate loca praedita praestantissimos habent pisces. Aestiuae autem pluuiiae maximae piscium parti sunt vtiliores: ac praeterea cum ver aestasue aut autumnus pluuius, hiems autem tepida fuerit. Ac sane, vt de omnibus dicatur, cum hominibus euenerit annus salubris, maxima quoque piscium pars bene vt habeat contingit. In locis autem frigidis non bene habent. Maxime vero laborant per hiemem, qui in capite lapillum habent, vt chromis, lupus, vmbra, pagrus. Lapis enim facit, vt a frigore congelentur et ad littus appellantur. Plurimis igitur piscibus magis conferunt pluuiiae. At mugili et capitoni, et ei quem nonnulli vocant marinum, (*vulgo myrinum,*) contra euenit. Namque pluuiis aquis, si nimiae sint; eorum magna pars celerius excoeca-

tur. Consuevere enim capitones per hiemem potius id pati: quippe exalbescunt oculi eorum: atque eo tempore macilenti capiuntur: ac tandem intereunt funditus. Verum eius affectionis non videtur caussa esse imber potius quam frigus. Nam cum alibi iam tum circa Naupliam Argiuorum ad stagnum (*aestuarium*) capti sunt coeci multi, cum gelu inualisset: ac non pauci albis quoque oculis deprehensi sunt. Aegræ etiam fert sese aurata hie- 7
me: aestate autem acharnas, ac macescit. Sicciores anni praeter ceteros propemodum pisces plus conferunt coracinis. (*corualis Gazae*.) Atque his quoque ea de caussa, quod sicco tempore tepor euenire solet frequentius. Loca autem commoda cuique sunt, in quibus bene habeant: quicumque enim aut littore aut alto gaudent, in altero horum: qui autem sine discrimine, vtramque frequentant, vtrobique. Sunt et propria quaedam loca singulis, in quibus degunt commode. In vniversum fere algosi conferunt; atque idcirco pinguioribus in his capiuntur ii, qui quouis locorum genere pabulantur. Nam sane alguioris cibus suppetit largior: carniuôri autem plures pisces ibi nanciscantur. Differunt etiam aquilonia ab austrinis. Nam lon- 8
gis piscibus melius est in aquiloniis, ac per aestatem eodem in loco plus longorum quam latorum

- capitur. Thunni et gladii sub caniculae exortum asilo agitantur. Habet enim per id tempus vtrumque genus secundum pinnulas quasi vermiculum, quem asilum vocant, scorpium specie, aranei magnitudine. Hoc tantum facit doloris, vt exiliat gladius non minus delphino: atque adeo saepe in navigia incidat.
- ⁹ Tepore gaudent thunni maxime piscium: eiusque genera appellant sese ad littoris arenam, vt calore fruantur: summoque aequore nant. Pisciculi autem minuti idcirco tuti sunt ab interitu, quia despiciuntur: maiores enim ii qui grandiores sunt persequuntur. At ouorum et sobolis maxima pars interit tempore teporis. Quaecunque enim deprehenderit, absumunt omnia.
- ¹⁰ Ante solis ortum potissimum capiuntur pisces et post occasum. Omnino vero circa ortum et occasum. Tunc enim tempestiue iaci retia dicuntur. Per id itaque tempus tollunt retia piscatores: quo tempore per visum decipiuntur pisces. Noctu
- ¹¹ tur quiescunt. Maioris autem luminis accessione plus vident. Pestilens vero morbus nullus in pisces incidere videtur, cuiusmodi hominibus euenit saepenumero, et inter animalia quadrupeda et quae animal pariunt equis et bobus, aliisque aliquibus tam mitibus quam feris generibus: aegrotare tamen videntur. Id quod ex eo coniciunt

piscatores, cum inter multos pingues eiusdem generis capiunt nonnullos attenuatos atque aegrotis similes, etiam mutato colore. Ad hunc igitur modum sese habent marini pisces. (Vulgo Cap. XX.) At neque aut lacustres aut fluuiatiles vexantur vllō 12 genere morbi pestilentis: eorum vero nonnulli certis morbis tentantur. Nam glanis sideratur sub canicula potissimum, quia summa aqua natat, et a forti tonitru consopitur et fit attonitus. Patitur hoc etiam cyprinus, sed minus. Glanis etiam saepe a serpente dracone in vadis ictus interit. In baliro autem atque tillone lumbricus innascitur sub canicula, qui instigat eos ad summa aequoris atque inualidos efficit. Innatantes vero etiam aestus interficit. Chalcis valido morbo corripitur. Pediculi enim permulti sub branchiis orti eam interimunt. Cuiusmodi morbo nullus praeterea tentatur piscis. Intereunt verbasco pisces. Itaque eo 13 fluuiis ac lacubus infectis tum alii venantur eos; tum Phoenices etiam marinos. Sunt et alii duo piscandi modi, cum fugiunt altos gurgites fluuiorum per hiemem. Nam sane dulces aquae alioqui gelidiores. Ergo per terram continentem scrobem, quae in fluuium ducat, fodiunt. Eam opertam tum foeno (gramine) et lapidibus, quasi cauea

ut sit, faciunt, relicto aditu a fluuio. Gelu igitur facta, ex ea fossa nassa venantur. Alterum genus capturae simile est; idque tum aestate tum hieme exercent. Medio in fluuio surculis ac lapidibus circumuallant ac quasi ostioli spatium relinquunt. Ibi nassa indita capiunt lapidibus ablatis.

14 Cetera testacea pluuiis gaudent annis: purpura non item. Cuius rei argumentum est, quod, ubi fluuius in mare effluit, si ponantur ibi, atque aquam gustarint, obeunt intra diem. Atqui uiuit purpura, postquam capta est, dies quinquagenos circiter. Alit sane alia aliam; adnascitur enim testis quasi alga quaequam et muscus. Nam quae apponunt ipsis ad vescendum, aiunt id ea de causa fieri,

15 uti plus ponderent. Ceteris anni sicciore nocent: deteriora enim fiunt et infrequentiora. Ac pectines quoque tunc rubescunt magis. Itaque in Euripo Pyrrhaeorum olim defecerunt non solum quia instrumento piscatores verrebant, sed etiam ob anni siccitatem. Aliis autem testaceis anni pluuii conferunt, propterea quod dulcescit mare. In Ponto autem ob frigus non nascuntur, neque in fluuiis praeter pauca, quae ualulis clauduntur. Et quae unico tegmine constant, tempore gelido gelantur. Hactenus de aquaticis animantibus.

C A P. XXI. (Scaligero XXVI.)

At in quadrupedum genere sues tribus laborant morbis, quorum vnus vocatur angina, (graece branchus, raucedo *Gazae*) cum potissimum fauces ac maxillae inflammantur. Euenit etiam aliis partibus quibuscunque corporis: saepe enim pedem corripit: aliquando aurem. Hoc continuo putrescit, simul et id quod cohaeret, vsque dum in pulmonem inuadat. Tunc enim interit. Cito crescit; ipse cibo abstinet statim cum correptus est morbo hoc vel quantulocunque. Tantisper dum morbum pusillum esse sentiunt subulci, medicas adhibent manus, non alio modo, quam tota abscissa parte. Duo alii sunt morbi; vtrumque Graeci *κραῦρα* ² dicunt, (latine strumam *Gaza*, grunitionem *Scaliger*, *uterque male*.) Alter est capitis dolor et grauitas, quibus plurimi capiuntur. Alter est alui incitatio. Atque hic videtur non posse sanari. Alteri auxiliantur, vino naribus admoto eoque elotis. Verum haud facile euadunt. Tertio enim quartous ³ interimit die. Angina corripuntur potissimum, cum aestas largius tulerit (ficus *addit Codex*), atque ipsi euaserint pinguissimi. Remedio sunt mora praebita, et lauacrum tum largum tum calidum, scarificata subtus lingua. Grandinosi sues sunt; quibus caro humida tum in cruribus tum in collo

atque etiam armis. Quibus in locis plurima quoque grando est. Ac sane paucae si sint, dulcior caro: sin multae, humida valde atque insipida est. Grandinis indicia sumuntur ex linguae parte inferiore, vbi grandines maxime insunt. Tum ex iuba setas si quis euellat, apparent subcruentae. Praeterea qui sic sunt affecti, posterioribus pedibus nequeunt quiescere. Tantisper carent grandine, dum lac sugunt duntaxat. Tolluntur grandines tippa: ea etiam ad alendum utilis est. Commodissime et aluntur et pinguescunt cicere et ficu. Summa illa est, non simplicem apponere cibum, sed variare. Gaudet enim mutatione, quemadmodum alia quoque animalia. Aiunt etiam simul cibi parte inflari, parte [*carnem augeri, parte*] pinguescere. Glandes vero libenter quidem ab illis esitari; sed humidam efficere carnem. Et, si grauidae largius eas esitarint, abortiuntur, sicut et oves. Hae enim manifestius id patiuntur ob glandes. Solus ex animalibus, quae nota sunt nobis, grandine afficitur sus.

C A P. XXII. (Scaligero XXVII.)

Canes tribus morbis infestantur: quorum nomina rabies, angina, podagra. Rabies insanos facit: et quae momorderint, omnia in rabiem agun-

tur praeter hominem. Interficit pestis haec tum canes ipsos, tum id quod momorderint, excepto homine. Interficit etiam angina canes. Pauci ex podagra euadunt. Corripit rabies etiam camelum. [*Elephantos aiunt immunes esse ab aliis morbis, sed flatibus infestari.*] [Vulgo Cap. XXIII. Scaligero XXVIII.] Duabus aegritudinibus afficiuntur gregales boues, podagra et struma. (crauro.) In podagra pedes tument: verum non intereunt, neque vngulas amittunt. Melius se habent delibutis pice calida cornibus. Cum autem strumescit, spiritus calefit, et crassior euadit. Et quod est in hominibus febris, hoc est in bobus strumam pati. Signum morbi aures demissae, atque edendi impotentia. Celeriter intereunt: atque dissectis pulmone putridus apparet.

CAP. XXIII. (vulgo XXIV. Scaligero XXIX.)

Equi pascui non sunt obnoxii aegritudinibus, praeterquam podagrae. Hac cum laborant, interdum etiam vngulas amittunt: amissis illico aliae subnascuntur. Simul enim altera abiicitur et altera generatur. Morbi indicium est testis dexter subsiliens, vel etiam paulo infra nares medio in loco rugosa quaedam cauitas est. At qui aluntur domi, plurimis morbis corripuntur: capiuntur enim tor-

- minibus. Indicant aegritudinem, cum crura posteriora ad anteriora attrahunt; quae ita submouent, ut inter se paene collidant. Quod si post aliquot dierum inediam furore agitentur, detracto sanguine, et castrantes auxiliantur eis. Tetano etiam laborant. Indicio sunt venae intentae omnes: tum caput et collum: ac cruribus rigidis incedunt. Eorum quoque pulmo laborat pure. Corripiantur etiam morbo alio, quem Graeci vocant *ἰκτιρῶν*, latine possis hordeaginem. Signum mutatae valetudinis palati mollitia: et feruidam spirat. Quae sponte sua nisi desistunt, curam admittunt nullam. Et quod vocant lymphari, cohibetur sono tibiae. Demissa his frons est. At ubi conscenderis, cursu incitantur, quoad fiat, ut ad quempiam feratur. (ut aliquis retineat *Codices alii*.) Cum rabie infestatur, tristis item est. Rabiei signum: retrahit auriculas ad iubam, atque prorsum iterum tendit.
- 3 Et deficitur animo, et anhelat. Haec quoque remedio nullo tolluntur, si cordis dolorem patiantur; cuius indicium est, cum dolet, ducit ilia: siue suo loco mota sit vesica; cuius mali nota est, cum nequeunt urinam facere: tum ungulas atque clunes trahit: siue staphylinum (pastinacam) devorarit. Is est spondylae magnitudine et facie. Muris aranei morsus etiam aliis iumentis perni-

ciosi. Excitantur pustulae. Perniciosius mordet
 praegnans; nam praegnantis ex morsu pustulae di-
 rumpuntur: sin minus, non interficit. Praeterea
 interficit morsu aut magnum dolorem affert ea,
 quam nonnulli chalcidem, alii vocant zygnidem.
 Similis haec est pusillis lacertis, colore caecilia-
 rum (typhlinarum) serpentium. In summa periti 4
 sic autumant: omnibus paene morbis, quibus la-
 borat homo, equum quoque tentari atque ouem.
 Sandaracae veneno interit; tum equus tum iumenta
 alia. Datur autem in aqua atque percolatur. Ab-
 ortum facit equa foeta extinctae lucernae odore:
 id quod praegnantibus mulieribus nonnullis quoque
 vsu venit. Atque hactenus de morbis equorum. At 5
 quod vocant hippomanes, innascitur pullia, vt aiunt.
 Equae vero praelambentes depurantesque abrodunt
 ipsum. Quae autem fabulantur, ficta sunt a mu-
 lierculis et incantatricibus. Non est controuersum,
 edi ab equabus id quod vocant pullium, antequam
 pariant. Agnoscunt equi vocem aduersariorum, 6
 quibuscum pugnarint aliquando. Gaudent equi
 pratis et paludibus: turbidam namque potant
 aquam: atque si pura est, vngulis obturbant. Ita
 vbi biberint, lauantur: lauaeri enim atque aqua-
 rum amantissimum animal est. Quare sic quoque
 constituta fuit equi flumiatilis natura. At bos con-

tra, nisi pura aqua sit et frigida et sincera, non vult bibere.

CAP. XXIV. (vulgo XXV. Scaligero XXX.)

Asini vno potissimum laborant morbo, quem vocant melida. Circa ipsum caput fit primum: tum destillatur per nares phlegma (pituita *Gazae*) crassum et rufum: quod vbi in pulmonis partes descendit, interficit. Nam eius initia, cum tantum caput occupat, non sunt letalia. Frigoris impatientissimum animal hoc est. Quamobrem neque in terris Ponti neque in Scythia non generantur asini.

CAP. XXV. (vulgo XXVI. Scaligero XXXI.)

Elephantos infestant aegritudines flatuosae, quibus fit, vt neque vrinam reddere neque alui excrementa queant. Quod etiam si terram deuorant, inualidi fiunt. Ita sane, si intermiserint. Si non intermittant, non afficiuntur nocumento. Deuorant etiam lapides interdum. Inuadit etiam alui profluuium. Eo captis medentur aquae calidae potu dato. Melle quoque intinctum foenum in cibum praebent: quorum vtrouis sistitur. Cum lassitudinem contrahunt idcirco, quia non decubuerint, sanantur affricatis armis sale, oleo, calida aqua. Cum humeros dolent, suillas carnes assas

apponunt, atque ita auxiliantur. Elephanti non omnes oleum bibunt. At qui bibunt, si quid in corpus ab hostibus adactum est, olei potu eiici praedicant. Illis, qui non bibunt, vinum oryzae cum oleo coctum praebent. (*Vulgo est: radicem cum oleo coctam praebent.*) Hactenus de quadrupedibus.

CAP. XXVI. (vulgo XXVII. Scaligero XXXII.)

At insectorum pars maxima bene valet, cum annus eiusmodi sit, quale tempus in quo generantur, verno similis, humidus et tepidus. At in alveis apum oriuntur bestiolae, quae populantur favos. Deuastantur enim a vermiculo, qui tela obducit, quem clerum vocant; alii autem pyraustam. Parit is in cellulis sibi simile, aranei speciei: ac facit, vt aegrotet examen. Item alia bestiola hepialo similis, qui circum lucernam obuolitat. Haec parit quiddam plenum lanugine: neque pungitur ab apibus, sed solo fumo fugatur. Innascuntur in alueariis etiam erucæ, quas vocant teredines. Has non insectantur apes. Aegrotant, cum sylua rubiginosos flores tulerit, et anno sicciore. Insecta omnia oleo intereunt: celerrime, si quis capite illito in sole ponat.

C A P. XXVII. (vulgo XXVIII.

Scaligero XXXIII.)

Omnino vero locorum ratione diuersis modis sese habent animalia. Nam sicuti alicubi quaedam prorsus non nascuntur, sic alibi nascuntur sane, sed pauciora, quaeque nec diu viuant, neque bene valeant. Ac sane etiam propinquis in regionibus differentia haec est. Nam in terrae Milesiae vicinis inter se locis gignuntur cicadae, et non gignuntur. Et in Cephalenia fluuio disternuntur, vbi

2 cicadae vel nascantur vel non. In Poroselene dirimuntur itinere loca, in quorum altero mustela (gale) sit, in altero non sit. In Boeotia talpae circa Orchomenum multae sunt; in Lebadica vicina nullae: neque si importentur, volunt fodere. In Ithacam lepores si quis attulerit atque dimiserit, nequeunt viuere; sed mortui reperiuntur iuxta mare, reuersi eam in partem, qua fuerint importati. In Sicilia non sunt hippomyrmeces. In Cyrenensi

3 agro vocales ranae olim non fuere. Nusquam locorum in Africa aprum inuenias, neque ceruum, neque feram capram. In India Ctesias, indignus cui fidem habeamus, negat esse suem vel cicurem vel ferum. Animalia vero, quae sanguine nullo concreta sunt, et omnia quae latitant, (*Scaliger* terram subeunt,) magnitudine esse insigni. In Ponto

neque mollusca gignuntur neque omnia testacea, nisi paucis locis. In mari rubro mirae magnitudinis testacea omnia. In Syria ouibus caudae sunt cubiti latitudine: auriculae capellis longitudine palmi ac dodrantis. Quibusdam etiam inferne coeunt inter se auriculae. (*Codices alii* pertingunt vsque ad terram.) Boues Syri, sicut cameli, iugas habent in summis armis. [*Vulgo erat flexuras habent. Gaza*: nodos scapularum flectunt. *Rectius videtur*: gibber habent in summis armis.] In Lycia *vulgo* Cilicia) tondentur caprae, quemadmodum oves alibi. In Africa cornigeri arietes nascuntur statim, ne- 4 que solum mares, vt Homerus ait, sed etiam alia. (*foeminae*.) At in Ponto circa Scythiam contra: sine cornibus omnia. In Aegypto alia quidem maiora quam in Graecia, vt boues et oves: alia autem minora, vt canes, (*vulgo* asini,) lupi, lepores, vulpes, corui, accipitres: alia pari magnitudine, vt cornices, caprae. Huius rei causam pabulo attribuunt; quod aliis suppetat abunde, aliis non item. Nam lupo et accipitri, qui carnibus vescantur, materia infrequens est: rarae enim auiculae sunt. Lepori vero et aliis, quae carnibus non aluntur, neque nuces neque poma diuturniora sunt. Multis autem 5 locis etiam temperatura in causa est: quemadmodum in Illyrico et Thracia et Epiro asini pusilli

sunt. In Scythia et Celtica nusquam gignuntur: aegre enim hiemem tolerant. In Arabia autem lacerti cubito maiores: et mures multo grandiores quam sunt apud nos rustici. (sorices *Scaliger*.) Anterioribus cruribus palmi longitudine: posterioribus autem vs-
 6 que ad primam flexuram fere cubiti. In Africa serpentum ingens, vt aiunt, magnitudo: sic enim praedicant nonnulli, eo cum appulissent, conspexisse multorum ossa boum, qui tum illis viderentur ab anguibus deuorati. Prouectas enim triremes nihilo secius serpentes celeriter insectatos: atque eorum aliquot cum inuasissent, triremem subuertisse. In Europa quoque atque Europae parte ea tantum, quae inter Acheloum ac Nessum amnem interiacet, plus leonum quam in Asia. Contra in Asia panthe-
 7 rae, (pardales,) in Europa nullae. Omnino verò in Asia ferae omnes efferatiores: fortiores autem in Europa. Multae maxime species in Africa. Et prouerbum circumfertur: Semper aliquid noui afferre Africam. Cum enim regio ea laboret aquarum penuria, occursu mutuo ad aquulas facto, videntur ea quoque, quae non eiusdem generis sunt, tum coire, tum etiam educare, si tempora vtero gerendo sint eadem, neque inter se valde discrepent magnitudine. Mitescunt autem inuicem ob bibendi vsum. Contra vero quam alia indigent potu hieme potius

quam aestate. Nam aestivae pluviae cum ibi nullae sint, non consuevere tunc bibere. Atque ipsi quidem mures si biberint, moriuntur. Generantur alia quoque ex mistione diuersorum generum: veluti miscentur in Cyrenaico agro canes cum lupis ac generant. Sic ex vulpe et cane Laconici. Aiunt etiam ex tigride et cane nasci canes Indicos: verum non protinus, sed tertia mistione. Primos enim foetus esse feroces autumant. Actas in deserta canes vincunt. Ac sane earum multae deuorantur, nisi forte in venerem incensa sit fera.

C A P. XXVIII. (vulgo XXIX. Scaliger
rectius continuat C A P. XXXIII.)

Morum quoque loca faciunt diuersitatem, montana et aspera a campestribus et mollibus. Sunt enim facie torua et fortiora: quemadmodum in Atho monte sues. Illorum enim foeminas ne mares quidem subiectae planitiei possunt subsistere. Etiam ad serpentum morsus aliter atque aliter sese habent terrarum loca. Nam circa Pharum atque alias regiones scorpii non sunt molesti: at vero cum aliis in locis tum in Caria (*Scythia* *oum Codd.* *aliquot Plinius*,) et multi et magni et perniciosi generantur. Si quem hominem aut feram pupugerint, necant. Necant etiam sues: quae alioquin minime aliorum morsus sentiunt. Nigros facilius interimunt. Quod

si percussi sues in aquam descenderint, tunc celerime pereunt. Serpentum quoque morsus multum differunt. Fert Africa serpentem aspidem, ex quo faciunt septicum medicamentum, ad quod nullum remedium inuenitur. Nascitur in lasere anguiculus, aduersus quem remedium fertur lapis quidam acceptus a regis prisci sepulcro: eoque perfuso vinum bibunt. Etiam stellionum morsus in Italiae quibusdam locis mortales sunt. Si forte alia aliam deuorarit bestia venenata, eius tum morsus maxime est perniciosus: veluti si scorpionem vipera comederit. Aduersatur autem eorum plurimis hominis saliu. (*sputum.*) Serpens quidam minutus est, quem vocant nonnulli sacrum: is magnos valde fugat angues. Magnitudo eius est cubitalis, et hirsutus visu est: quod momorderit, illico in orbem putrescit. In India serpentillus quidam est, aduersus quem solum non habent remedium.

CAP. XXIX. (vulgo XXX. Scaligero XXXIV.)

Etiam vteri gestatio facit, vt animalia meliora sint aut deteriora. Ac testacea quidem, vt pectunculi et omnia ostracea et crusta intecta, praestantissima sunt praegnantia: sicut omnia locustacea. Nam testacea quoque dicuntur vterum gestare. At crustacea etiam coeuntia videntur, et parientia: at

illorum nullum. Mollusca cum grauida, tum opti-
 ma: vt lolligunculae, (teuthides,) sepiae et polypi.
 Pisces per initia conceptionis boni fere omnes: pro-
 cedente foetatione partim boni, partim non. Foeta ²
 igitur bona maenula. (maenis.) Foemina facie est
 rotundiore: mas oblongior et latior. Cum coepere
 foemellae concipere, marès tunc contrahunt colo-
 rem nigrum et varium magis; deterioresque sunt
 ad vescendum. Per id tempus a quibusdam hirci
 appellantur. Mutant etiam colorem, quas merulas
 vocant, et turdi, et squilla certis anni tempestati-
 bus, sicut et auium quaedam. Vere enim nigre-
 scunt: post ver pristinum recipiunt candorem. Mu- ³
 tat etiam colorem fuca. (phycis.) Nam cetero tem-
 pore candida, vere varia. Sola haec marinorum
 piscium sternere sibi nidum, vbi pariat, praedica-
 tur. Mutat igitur et maenula, vt dictum est, et
 smaris: atque ex albidioribus fiunt aestate nigrio-
 res: qui color plus extat in pinnis et branchiis. Et
 coracinus praestantissimus est, cum gerit vterum,
 quemadmodum et maenula. Mugil vero et lupus
 et squammati (*Codices et ceteri fluti, graece ploti*)
 fere omnes pleno ventre deteriores. Qui vero per- ⁴
 inde praestantes sint, et cum ferunt et cum non fe-
 runt, pauci, vt glaucus. Deteriores etiam vetuli
 pisces: quin etiam ad salsamenta ineptiores thunni

vetuli: multum enim carnis absumitur. Id quod aliis quoque euenit piscibus. Indicium senectutis squammarum magnitudo et duritia. Iam captus fuit vetulus thunnus, cuius pondus erat talentum quindecim: caudae distantia duorum (*vulgo quin-*
 5 *que*) cubitorum et palmi. Fluiuatiles vero et lacustres exacto foetu optimi euadunt: item emisso semine, si iterum alimentis recreentur. Ex his pleno vtero aliqui sunt boni, vt saperdis: aliqui mali, vt glanis. Ceteri omnes mares praestantiores foemellis. At glanio mari foemella melior. Inter anguillas quas vocant foemellas, eae sunt praestantiores. Sane vocant foemellas propter earum faciem diuersam: neque enim sunt.

ARISTOTELIS
DE ANIMALIBVS HISTORIAE
LIBER IX.

CAP. I.

Quae animalia tum obscuriora tum aevi sunt brevioris, eorum mores sensus nostros magis latent. In longaeuioribus facilius deprehenduntur. Naturali namque vi quadam praedita videntur, quae singulis animi (*humani*) affectionibus, prudentiae, stultitiae, fortitudini, metui, item mansuetudini, acerbitati atque aliis habitibus eiusmodi respondet. Nonnullorum etiam communis natura, ut tum doceantur tum discant, vel inter se vel ab homine: qualia sunt, quae audiendi sensus sunt participes, non solum ad sonorum sed etiam ad signorum differentias percipiendas. Quibus in generibus est 2
mas et foemina, in iis omnibus paene simili ratione distinxit natura genus foeminarum a maribus. Patet autem hoc potissimum in homine et in maioribus

animantibus, et in iis quadrupedibus, quae animal pariunt. Horum enim foeminae moribus sunt mollioribus, ac citius cicurantur et mansuescunt et instituuntur. Cuiusmodi Laconicae canes: meliore enim indole sunt foeminae quam masculi. At Molossicorum genus canum, venaticum quidem, nihil differt a ceteris: quod autem greges sequitur, et magnitudine praestat, et fortitudine, qua ferae debellentur. Praestantes vero sunt tum fortitudine tum industria, qui ex utroque genere, Molosso ac

3 Laconico, procreantur. Minus animosae foeminae omnes, praeter vrsam et pantheram. (pardalin.) In his foemella videtur esse fortior. Aliis generibus foeminae molliores et maleficientiores, et minus simplices, et procaciores, ac liberis alendis attentiores. Contra mares animosiores, ferociiores, simpliciores et minus insidiosi. Atque horum quidem vestigia cum paene in omnibus sint, tum apertius videntur in iis, quae sunt moratiora. Maxime vero in homine: ipse enim naturam habet perfectam.

4 Quare ii habitus in eo sunt manifestiores. Quippe mulier quam vir facilius mouetur misericordia, et ad lacrymas promptior. Invidia quoque plus laborat. Ac frequentius defraudatam sese conqueritur: conuiciosior et exprobrantior. (*Gazae mordacior.*) Est etiam animo demissiore

foemina quam mas et desperantior: impudentior quoque et mendacior. Facilius dolo capitur, et memorosior. Ad haec vigilantior et ignauior, atque denique minus mobilis: minus item capit cibi. Mas auxilium suum impensius praestat, et, quemadmodum supra diximus, fortior est. Nam et in molluscorum genere si feriatur sepia tridente, mas foeminae subuenit: foemina contra fugit, percusso mare.

CAP. II. (vulgo continuatur CAP. I.)

Pugnant igitur inter se animantes, quae eadem loca tenent, quorumque victus est idem. Si enim cibi penuria laborant, etiam congeneres inter se praeliantur. Nam marinos quoque vitulos aiunt bellare pro loco, tum marem aduersus marem, tum foeminam aduersus foeminam, quoad aut interficiatur, aut exigatur alter ab altero: atque etiam catuli ipsi. Cruidioris quoque omnia infesta sunt, et ipsa aliis. Ex animalibus enim cibum petunt. Unde et dissidia et considia vates capiunt. Dissidia ex inimicis: considia ex pacatis inter se. Solent abundante cibo ea quae sua natura aut timida aut effera sunt, pati vt mitescant vel erga homines, vel inter se eodem modo. Constat hoc ex cura, quae in terra Aegypti impenditur animalibus. Cum enim cibus abundanter suppetat, etiam inter se degunt

ipsa ferocissima. Beneficio enim mitescunt. Veluti crocodilorum genus afficitur ergo sacerdotem, a quo curatur, ut alantur. Hoc etiam tum in aliis regionibus tum earum quoque partibus videtur.

- 2 Sunt aquila et draco inimici: alitur enim serpentibus aquila. Et ichneumon ac phalangium bellum gerunt: venatur enim ea ichneumon. Ex auibus variolae (poecilides) et alaudae et pipo (*vulgo pipra*) et chloreus: inuicem enim oua edunt. Item cornix et noctua: quia enim interdium minus acute videt noctua, illa meridie arrepta eius oua deuorat. Contra noctua nocte illius. Nam valentior illa interdium, haec noctu est. Hostes inter se noctua et orchilus. Nam is quoque noctuae oua absument. Quin interdium ceterae quoque auiculae noctuam circumuolant; id quod vocant admirari; atque etiam aduolantes vellicant. Quo fit, ut aucupes venentur eius opera omne genus auicularum.
- 3 Inimicus etiam presbys dictus, (rex auium *Gazae*,) et mustela et cornix. Oua enim illius et pullos deuorant. Et turtur et pyralis: (ignaria *Gazae*;) idem enim locus pabuli, idemque victus. Et celeus et libycus. (galgulus *Gazae et Scaligero*.) Miluus et coruus. Cum enim miluus valentior et vnguibus et volatu sit, subtrahit a coruo quicquid tenet. Quare hi quoque

hostes ob cibum fiunt. Ad haec quae de mari cibum petunt, inter se dissident, brenthus, (anas *Gazae*), gauia (larus) et harpe. Buteo (triorches) rubetae (phryni) hostis et anguim: deuorat enim eas. Turtur et chlorens: interficit enim hic turturem. Et cornix quem typanum (*vulgo* tapypanum, *Gaza* tympanum,) vocant. Aegolius (*Gazae* vlula) calarin, (*vulgo* colarin,) sicut et alii vncungues deuorant: vnde his bellum. Bellum 4 item inter stellionem et araneum: deuorat enim araneas stellio. Et pipo et ardeolam: oua enim et pullos huius illa absumit. Praeliantur aegithus (*Gazae* salus) et asinus, propterea quod accedit ad vepres asinus, vt scabat vlcera. Tum igitur sic, tum etiam rudendo oua eius euicit atque pullos. Tremefacti enim excidunt. Ergo ille ob hanc noxiam inuolans eius vlcera morsicat. Lupus asino et tauro et vulpi: facit bellum: crudiorens enim cum sit, inuadit boues et asinos et vulpes. Vulpes et circus eandem ob causam: qui cum vncunguis et crudiorens sit, aggreditur et percutiens vlcera facit. Coruus tauri atque asini hostis est: quapropter 5 aduolans eos ferit, oculosque eorum fodit. Aquila et ardeola pugnant. Aquila enim, cum sit vncunguis, adoritur: illa autem defendendo sese moritur. Aesalon vulturi hostis. Crex coleo,

(galgulo *Gazae et Scaligero*,) merulae et chlorioni,
(vireoni *Gazae et Scaligero*,) quem ex rogo na-
tum fabulantur. Hic enim tum eos infestat, tum
eorum pullos. Sitta et trochilus aquilae inimica.
Sitta enim aquilae ova frangit. Ipsa autem tum
propter hoc, tum quia crudiuora est, infesta est
6 omnibus. Anthus (florus *Gazae*) equi hostis est.
Abigit enim e pastu equum. Herba enim vescitur
anthus. Oculi eius nube occupati hebetius vident.
Imitatur equi vocem, et perterret aduolans. At
ille si capiat, interficit. Habitat anthus secun-
dum fluuios ac paludes; colore pulchro, et para-
bili contentus victu. Colotae asinus hostis est.
Cubat enim in eius praesepio, et in nares sese in-
7 ducens impedit, ne comedat. Ardeolarum tria
genera sunt: pella, alba et stellaris (asterias) quae
dicitur. Harum pella non sine molestia cubat et
coit. Clangit enim et sanguinem, vt aiunt, ex
oculis emittit coiens. Parit quoque incommode
et cum dolore. Pugnat cum aduersariis: quippe
aquilae, propterea quod eius praeda fit. Vulpi,
quia noctu eam absumit. Alaudae, quoniam eius
8 ova furatur. Mustelae suilloque generi serpens
hostis est. Mustelae, cum vterque eadem in domo
fuerint: idem enim victus vtriusque. Sus autem
serpentes deuorat. Aesalo vulpi inimicus. Idcirco

ferit eam ac vellicat, eiusque catulos interficit. Vncunguis enim est. Vulpes autem et coruus amici. Inimicus enim coruus aesalonis. Idcirco fert opem vulneratae. Vultur et aesalo hostes invicem: vterque enim vncunguis. Pugnat cum aquila vultur: item olor, et superat olor saepe. Inter aues maxime olores alter alteri esca est. Ferae 9 aliae inter se perpetuas gerunt inimicitias, aliae, sicut homines, fortuitas. Asinus et acanthides (spini *Gazae*) aduersarii. His enim victus a vepribus: ille tenellas vepres depascitur. Anthus et acanthis et aegithus. Aiunt vero, aegithi et anthi sanguinem non commisceri inter se. Cornix et ardeola amici. Et schoenio (iunco *Gazae*) alaudae. Et laëdus (*vulgo* libyus) celeo. Secundum enim flumen et fruticeta habitat celeus: laëdus saxa et montes. Amant igitur regionem quam incolunt. Pifinx et harpe et miluus amici. Item vulpes ac serpens. Ambo enim caua terrae habitant. Merula et turtur. Hostes inter se leones et thoes. Cruidiiori enim 10 cum sint, indidem vtrique victitant. Pugnant elephantum etiam vehementer invicem et feriunt dentibus. Victus penitus redigitur in servitutem: neque enim victoria vocem fert. Differunt inter se fortitudine mirum in modum. Tam maribus quam foeminis vtuntur Indi ad praelia. Minores tamen

foeminae et animosae minus longe. Muros prosternit elephantus admotis dentibus maioribus. Palmas autem fronte, vsque dum inclinatas pedibus
 11 superuenit atque humi extendit. Elephantorum autem venatio fit hoc modo. Cicuratos fortiores aliquos inscendunt, atque insectantur. Vbi sunt assecuti, ferire iubent, quoad fatiscant illi. Tunc rector in alterum transsilit, eumque falce regit. Celeriter deinde mitescit, atque imperata facit. Rectore insidente mites sunt omnes. Vbi descendit, non omnes. Itaque ferociorum priora crura vinciunt compedibus, vt quiescant. Venantur vero vel adultos vel vitulos. Atque hae sunt tum amicitiae tum bella in feris his, quae ob victum atque escam conferuntur.

C A P. III. (vulgo C A P. II.)

Piscium vero quidam congregantur et amici sunt: quidam segregatim degunt inimici. Nonnulli congregantur cum foeti sunt, alii cum foetus edidere. Summa autem gregalium haec est: thunnæ, (thynnides,) maenulae, gobii, hoces, lacerti, coracini, dentices, (synodontes,) mulli, sphyraenae, anthiae, elegini, atherini, sargini, aciculae, (belonae,) [*mecones,*] loligines, (teuthi,) iulides, pelamydes, scombri, coliae. Horum quidam sunt

non solum gregarii, verum etiam coniuges. Reliqui enim omnes etiam in coniugia conueniunt, sed congregantur statis temporibus, vt diximus, cum vterum gerunt, aut cum pepererint. Lupus vero ac mugil, etsi sunt inimicissimi, simul tamen quibusdam temporibus congregantur. Conueniunt enim in vnum non solum quae eiusdem sunt generis, sed quibus aut eadem aut similis esca est, si large suppetat. Viuunt saepe mugiles et congrī adesa cauda ab ea vsque parte, qua exit excrementum. Abroditur autem cauda mugilis a lupo, congrī a muraena. Bellum vero faciunt valentiores imbecillioribus: eos enim deuorant. Ac de maritimis haec.

C A P. IV. (vulgo III.)

Animantium vero mores differunt, quia sunt aut meticulosae, aut faciles, aut fortes, aut mites, aut cordatae, aut amentes. Nam et oues, vt fertur, ingenio sunt stolido atque amenti: ita vt omnium quadrupedum nequissimae sint. Adeunt enim solitudines nulla de caussa: hiemis quoque tempore exeunt e praesepibus. Deprehensae niuibus, nisi ab opihione moueantur, nolunt abire, sed relictæ intereunt, nisi arietes a pastoribus adducantur. Tunc enim sequuntur. Caprae autem vnus si summum aruncum, qui villi specie est, apprehen-

das, illico resitant aliae stupidae spectantes illam. Frigidioribus locis libentius cubant oues. Caprae autem plus ruminant, et facilius accedunt ad hominem: et aegrius ferunt frigus. Instituuntur ab opilionibus oues, vt strepitum cienti congregentur. Nam tonante coelo si qua praegnans seorsim deprehendatur, neque concurrat, abortum facit. Quae caussa est, vt etiam domi, strepitu exaudito, conueniant ex consuetudine. [*Etiam tauri, cum neglecto armento errabundi feruntur, a feris interficiuntur.*] Decumbunt tum oues tum caprae simul cunctae per sua genera quaeque. (per cognationem *Gaza*.) De vergente sole statim aiunt pastores auersas inter se capras, non aduersis oculis, cubare.

C A P. V. (vulgo IV.)

Boues et per societates et quae sibi inuicem assueuerunt simul pascuntur. Atque earum vna si aberrauerit, tum eam ceterae consequentur. Idcirco bubulci, vnam si amiserint, omnes praeterea continuo peruestigant. Etiam tauri, cum neglecto armento errabundi feruntur, a feris interficiuntur. Armentariae equae autem, si altera perierit, educant pullos inter se. Sane enim totum equinum genus videtur esse natura benignum erga sobolem. Cuius rei signum est, quod saepe numero steriles

subductos a matribus pullos ipsae curant et diligunt.
Verum lactis inopia perdunt eos.

C A P. VI. (vulgo V.)

Inter feras quadrupedes cerua non pessime videtur vti prudentia: tum quod iuxta semitas parit, quo bestiae non adeunt hominum metu: tum quod, vbi pepererit, deuorat secundas primum: deinde accurrit ad seselim: qua depasta, sic pote ad sobolem rursus redit. Praeterea ad stabula hinnulos actos instituit assuescere, quo se a fuga recipiant. Est igitur locus saxum praeruptum, vnicum habens aditum: vbi etiam subsistere et repugnare tradunt. Item mas, cum euasit pinguis, obesissimus enim fit autumnno, nequaquam comparet; sed mutat locum: facilis enim ob adipem captu est. Abiiciunt etiam cornua locis et aditu et inuentu difficilibus. Vnde et prouerbium ortum est: vbi cerui cornua deponunt. Id ea causa faciunt, quod, quasi tela amiserint, cauent, ne videantur. Ferunt, sinistrum cornu a nemine vnquam visum: abscondere enim id tanquam medicamento insigne. Anniculis non oriuntur cornua, nisi tanquam signi gratia inchoatum quiddam, idque breue et hirsutum. In himatu edunt cornua primum recta subularum facie. Vnde eos Latini subulones, Graeci *πατταλίας* vocant.

Tertio anno furcata fundunt. Quarto autem asperiora: quomodo ad sextum vsque annum semper superaddunt. Exinde semper similia enascuntur, adeo, vt per cornua nequeas aetatem dignoscere. Vetulos duobus potissimum indiciis deprehendunt: quidam enim dentibus omnino carent; quidam paucos habent: propugnacula etiam non amplius subnascuntur. Sunt propugnacula, quae Graeci vocant *ἀμυντήρας*, nutantes prorsum partes cornuam, quibus pugnant. Eas vetuli non habent;

3 sed in surrectum crescunt eorum cornua. Amittunt annis singulis cornua mense Aprili. (Thargelione.) Amissis latent interdiu, vti diximus. Abscondunt sese densis frutetis muscarum fastidio. Noctu similibus pascuntur locis, quoad cornua renascantur. Inchoantur primum quasi cute obducta, et fiunt hirsuta. Aucta ad solem exponunt, vt excoquantur atque exiccentur. Cum vero inter scabendum ad arbores non amplius dolitant, tunc relinquunt loca eiusmodi, quasi habeant, quo sese vindicent. Iam vero captus ceruus est achaines, geres in cornibus enatam hederam multum viridem, quasi quae, cum tenella essent, innata fuerit tan-

4 quam in arbore viridi. Cerui a phalangio aut aliquo eiusmodi icti collectos caneros esitant. Id quod homini quoque prodesse videtur in potu

datum; sed sane insuaue est. Ceruae leuatae partu statim deuorant secundas: neque intercipi possunt. Nam antequam terram attingant, ipsae adipiscuntur. Putant autem in eis esse vim medicam. Capiunt venatores ceruos fistula et cantu, quo demulcentur. Duo ibi cum sint, alter palam voce aut fistula canit; alter a tergo icit, vbi iam tempus esse ab illo accepit signum. Surrectis auriculis ceruus acute audit, neque falli potest: demissis occupatur.

C A P. VII. (vulgo VI.)

Vrsae in fuga catulos praecurrent, et susceptos ferunt. Cum eas assecutus venator est, in arbores conscendunt. E latibulo prodeuntes arum, quemadmodum iam dictum est, vorant, et ligna quasi dentientes mandunt. [Cap. VIII. Scaligero.] Multas praeterea ceterarum quadrupedum sibi prudenter opem ferre constat. Nam in Creta aiunt capras sagitta ictas dictammum quaerere. Videntur enim eius vi eiici, quae in corpus infixae sunt tela. Canes a morbo quoque correpti vomitum sicut, deuorata herba quadam. Panthera, deuorato veneno, quod idcirco vocant pardalianches, quaerit hominis stercus: iuuat enim. Interficit eadem herba (pharmacum idem) leones quoque. Idcirco venatores appendunt stercus in vase de arbore quapiam, ne

procul abscedat fera. Ibi igitur assultando spe capiundi perit. Aiunt etiam, pantherae notum esse, eius odore oblectari feras. Ergo abscondere sese, ac venari: accedere enim illas: hanc autem corri-

3 pere etiam ceruos ad hunc modum. In Aegypto ichneumon, conspecta serpente aspide, non prius invadit, quam conuocatis auxiliariis aliis. Tum adversus ictus atque morsus se ipsos luto oblinunt: madefacti enim aqua prius, mox humi volutantur. Trochilus crocodilorum oscitantium in os inuolat, cuius dentes purgat. Igitur inde ipse cibum capit, illi voluptatem capiunt, neque nocent. Sed vbi exire vult, collum mouet, ne mordeat. Testudo cum viperam deuorauerit, mox esitat cunilam bubulam: atque hoc obseruatum est. Quidam igitur cum id conspexisset, saepe hoc eam facere, vt gustata cunila ad viperam remearet, extirpauit her-

4 bam. Quo facto testudo interiit. Mustela cum serpentibus pugnatura edit rutam: infestus enim eius odor serpentibus. Draco vbi fructuum esu grauatur, picridis succum haurit: hoc enim perspectum fuit. Canes lumbricis infestati tritici segetem depascuntur. Ciconiae atque aues ceterae, exceptis in pugna vulneribus, cunilam bubulam imponunt. [Cap. IX. Scaligero.] Multi etiam viderunt locustam corripere collo serpentes, quibuscum pu-

guet. Prudenter quoque capere auiculas mustela existimatur: iugulat enim, sicut lupi oues. Pugnatur etiam cum serpentibus, maxime murium venatricibus, (myotheris,) propterea quod ipsa quoque eos venatur. Erinaceorum quoque sensus multis locis spectatus fuit. Prout enim aut Aquilo aut Auster flarit, qui in terra degunt, ostiola cauorum permutant: qui in aedibus aluntur, parietum obiectum mutant. Vnde Byzantij aiunt quendam, cum erinaceos hoc facere animaduertisset, atque praedixisset. Ictis autem est Melitaei catelli magnitudine; pilo autem et facie et candore ventris atque etiam morum maleficio mustelae similis. Valde vero cicuratur. Aluearia infestat, quippe melle oblectatur. Vescitur auibus, quemadmodum feles. Eius veretrum, sicuti diximus, osseum est. Cuius ramenta putant facere ad vrinae stillicidia.

C A P. VIII. (vulgo VII. Scaligero X.)

Omnino vero si quis animantium ceterorum victum contempletur, ea multis in rebus humanam vitam imitari, cogitationem vero exactiorem in minoribus quam in magnis videbit. Principio in auium genere tale est hirundinum ingenium ad nidum fingendum. Complicat enim lutum festucis eodem ordine, quo lutum palea ad parietes sub-

igitur. Si luto egeat, madefaciens se ipsam voluntatur alis in puluere. Stragulum quoque conficit hominis more, primum subdens duriora, et quod suae respondeat magnitudini. Ac sane alendae prolis tam mas quam foemina studiosa est. Dant enim singulis per vices, obseruantes more quodam eum, qui prior ceperit, ne bis accipiat. Ac ster-
 2 cus primum ipsae eiiciunt: vbi autem pulli creuerint, auertentes extrorsum docent deicere. [Caput XI. Scaligero.] Sunt etiam alia quaedam talia, quae in columbarum genere contemlemur. Neque enim volunt coniungere sese pluribus, neque consortem tori relinquunt, quam aut viduus aut vidua sit. Parturiente columba, vehemens maris cura est instigantis. Si enim in aditu nidi languidius ob dolorem partus cunctetur, vrget caedendo, atque intrare cogit. Pullis natis salsuginosam terram collectam (*vulgo erat* praemansam), eorum os aperiens, inspuit, sic praeparans ad cibum. Cum e
 3 nido prodituri sunt, omnes mas init. Sic igitur mutuo maxima ex parte inter se amore degunt. Verum enimvero etiam aliquae praeterquam a maritis subagitatae sunt. Est autem pugnax animal hoc, interturbantque sese mutuo. Quin etiam nidos alienos ingrediuntur: sed raro hoc. Nam etsi remotioribus locis minus, ad ipsum tamen nidum

vltimis conatibus dimicant. Proprium columbi videtur esse et palumbis et turturis, in potu collum non resupinare, nisi cum satis biberint. Turtur quoque et palumba habet suum quaeque marem eundem, neque alium admittit: incubantque tam mas quam foemina. Quibus tamen signis differant, non est facile dignoscere, nisi ex interioribus membris. Vicere palumbas diu, ad quinque et viginti vel triginta annos, observatum est: aliquas etiam quadraginta. In senecta vngues augentur, qui ab iis, qui eas alunt, reciduntur. Eis nihil praeterea incommodi manifesti a senecta affertur. Turtures quoque et columbae octo viuunt annos, quae excoecatae sunt ab iis, qui in aucupii pellaciam eas alunt. Viuunt etiam perdices ad annos quindecim. Nidulantur tam palumbae quam turtures iisdem in locis semper. Longaeuiiores quidem, vt summatim dicamus, sunt mares foeminis: verum hoc in genere mares aiunt obire prius, sumpto indicio ex iis, quae aluntur domi, quas diximus pellaces. (illices.) De passeribus quoque aiunt quidam, annum solum mares viuere. Coniecturam inde faciunt, quod vere statim cum apparent, non videntur habere maculam circa barbam (*in collo*) nigram, quam procedente tempore postea habent. Itaque priorum nullum extare. Diutius foeminas

viuere: quippe quae inter iuuenulos capiantur: dignoscunturque ex eo, quod labiorum margines habeant duriores. Degunt aestate turtures locis frigidis: hieme tepidis. Fringillae aestate calidis, hieme gelidis.

CAP. IX. (vulgo VIII. Scaligero XII.)

Grauiores aues non faciunt nidum: neque enim prodest, cum minus volatiles sint: quales sunt coturnices, perdices, atque eiusmodi aliae. Sed vbi in loco puro et aprico aream sibi fecerint, (nusquam enim alibi pariunt) et consepto loco spina quopiam aut alia materia, quae sit aduersus accipitrem et aquilas pro munimento, ibi ponunt oua et fouent. Exclusos protinus educunt pullos: quippe volando cum nequeant illis purare victum. Requiescunt vero collectis sub se pullis tum coturnix
 2 tum perdix, gallinarum more. Non eodem loco et pariunt et incubant: ne diutius in eodem morantibus ipsis locus ille a quopiam deprehendatur. Si venator in nidum inciderit, ante pedes venatoris perdix volutatur, quasi iam in eo sit, vt capiat. Et abstrahit ipsum capturientem [*ad se ipsam,*] vsque dum aufugerint pulli singuli. Tum illa auolans reuocat eos rursus. Parit igitur perdix oua non minus decem: saepe sexdecim. Quemadmo-

dum diximus, non fatua est sed vafra haec auis. Mares vere per paria coniugati cum foemina, quam sibi quisque compararit, segregantur a comitatu cantillantes et pugnantes. Propterea vero quod in venerem propensiores sunt perdices, ne foemina incubet, mares oua prouoluta conterunt, si repererint. Aduersus quam impressionem arte vititur foemella: aufugit enim et parit. Saepe etiam numero vrgente partu, vbi sit locorum eiicit, si mas [non adsit. *addit Scaliger*]. Atque vt omnia seruentur, non accedit ad ipsa. [ipsum, *Scaliger*.] Etiam si ab homine conspecta sit, quemadmodum a pullis, ita ab ouis sese aufert, ante pedes sese ostentans, ab ouis eum vt abducat. Post fugam ³ foeminis incubantibus mares vociferantur, et congregientes pugnant. Vocant eos tum coelibes. Victus in pugna victorem sequitur; a quo etiam solo inicitur. Quod si quis ab illo altero, aut quouis alio superetur, is clam subigitur a superatore. Fit hoc non semper, sed certo anni tempore. Idem euenit etiam coturnicibus: interdum etiam gallis. Nam in templis, vbi sine gallinis dicati degunt, vt quisque donatus fuerit, eum omnes sane subigunt. Cicures quoque perdices feros subigunt et pulsant et contumelia afficiunt. In venatorem quoque ⁴ perdicem impetum facit agrestium dux, con-

tra cantans et quasi ad pugnam prouocans. Eo vero capto viminea canea, denuo alter contra procedit eodem modo. Si igitur mas sit, quo venantur, hoc faciunt. Quod si foemina fuerit venatrix, et cantet, cantuque responderit ei dux, cetera turba conglobati pulsant illum, atque a foemina fugatum persequuntur; propterea quod ad illam, non ad se accedat. Ille vero hanc ob causam silentio progreditur, ne quis exaudita voce prodeat secum pugnaturus. Vsu periti ferunt, accedentem marem interdum efficere, vt foemina sileat, ne audientibus maribus cogatur cum ipsis dimicare. Non solum autem cantat perdix, sed etiam emittit tum eam vocem, quam Graeci vocant *τριγυδόν*,
 5 stridorem Latini, tum alias. Saepe etiam foemina incubans, vbi marem ad venatricem foeminam accedere perceperit, surgit, et occurrens subsistit, vt ineatur, abstrahatque illum a venatrice. Coeundi cupiditate eo demenciae veniunt et coturnices et perdices, vt in venatores incidant, atque etiam capitibus insidant.

C A P. X. (Scaligero XIII.)

In perdicum coitu [et venatione] haec ita vsu veniunt atque etiam in alia morum astutia. Nidificant humi, quemadmodum dictum est, et co-

turnices et perdices, et aliae quaedam [minus addunt *Gaza et Guilelmus*] volaces. Atque ex huiusmodi nonnullae ne in arbore quidem sidunt, vt alauda, coturnix, scolopax, sed in terra. [Incipit vulgo Cap. IX.] At picus in terra non con- 2
 sidit. Tundit quercus vermiculorum et formica-
 rum (culicum *Gazae et Scaligero*) gratia, vt
 exeant. Egressos excipit lingua, quam latam habet
 et grandem. Ingreditur super arboribus celeriter,
 quouis modo, etiam supinus, stellionum more.
 Ungues habet a natura datos aptiores, quam sunt
 graculis, (coliiis?) quibus tutius in arboribus in-
 haereat. Iis enim impactis ambulat. Est autem
 picorum genus vnum minus merula, cum maculis
 subrubris pusillis. Alterum maius merula. Ter-
 tium genus non multo minus gallina. Nidos facit
 in arboribus, quemadmodum diximus, tum cete-
 ris tum etiam in oleis. Vescitur formicis et ver-
 miculis. (cossis *Gaza et Scaligero*.) Aiunt
 vero, dum eps venatur, eo vsque excavare arbores,
 vt eas deiiciat. Quin etiam cicur quidam amygda-
 lum in ligni rimam ab se inditum, vt sic aptum
 ictum eius exciperet, tertia percussione pertudit, et
 edit nucleum.

CAP. XI. (vulgo X. Scaligero XIV.)

Multis quoque modis euenire videtur, vt gruum prudentia agnoscatur. Transmigrant enim in longinqua loca, et in altum subuolant, vt quae procul sunt, despiciant. Vbi viderint nubes aut tempestates, deuolant et quiescunt. Item quod habent duces, et qui in postremo agmine signum dant, vt exaudiantur. Vbi demisere sese, partim sub ala capite condito dormiunt, vno in pede stantes per vices. At dux aperto capite prospicit: ac, si quid percipiat, clamore significat. Pelecanes, qui (plateae, quae) in fluuiis degunt, deuorant magnas conchas easque laeues. Quas cum receperint, eum in locum, cui ventriculus subest, euomunt, vt hiantibus illis exempta vescantur carne.

CAP. XII. (vulgo XI. Scaligero XV.)

Agrestes aues domicilia fabricant tum ob vitae commoda, tum ad salutem liberorum suorum. Sunt nonnullae et foecundae et sobolis studiosae: aliae contra. Et quaedam ad victum parandum aptiores: quaedam minus. Habitant aliae circa conualles et cauernas ac saxa, vt is, qui charadrius dicitur: cui et color et vox minus bona est. Noctu apparet, interdiu fugit. In praeruptis quoque nidificat accipiter. Quanquam crudiuor est, ta-

men quas aues ceperit, earum cor non vorat. Id quod in coturnice et turdo obseruarunt, et in aliis alii. Non eodem quoque modo venantur semper: non enim aequè rapiunt aestate ac hieme. Vulturis nec pullum nec nidum a quoquam visum aiunt. Propterea Herodorus, Brysonis rhetoris pater, dicebat, ipsos a superiore quapiam terra alia aduentare: illo etiam vsus argumento, apparere exemplo multos: sed quibus e locis, constare nulli. Eius rei causa est, quod parit locis inaccessis. Neque vero multarum regionum incola est auis haec. Vnum parit ouum, aut summum duo. Aliquae 3 etiam in montibus et siluis habitant, vt vpupa et brenthus. (*vulgo brinthus.*) Hic vero bene et victitat et cantillat. Trochilus fruteta aut foramina colit. Difficile capitur: fugax enim est. Quod ad mores spectat, imbecillus: parat sibi victum, non iners. Vocatur etiam et Senator et Rex: propter quam caussam aiunt ei infestam esse aquilam.

C A P. XIII. (*vulgo XII. Scaligero XVI.*)

Sunt quae circa mare victitant; vt cinclus. Est is astutus, neque facilis captu. Verum captus maxime omnium cicuratur. Contigit ei a natura, vt esset minus integer: partes enim posteriores minus valentes habet. Viuunt circa mare et fluuios

- et lacus palmipedes omnes: eiusmodi namque natura amat victum parabilem. Multae etiam fissipedes circa aquas et paludes victitant, vt anthus circa fluuios. Is colore pulcher est, et victu facilis. Catarractes viuunt circa mare. Cum autem sese in profundum demiserit, non minore manet tempore, quam quanto iugerum quis transiuerit.
- 2 Est autem minor accipitre auis. Olores etiam palmipedes sunt: et circa lacus atque paludes viuunt. Facili victu et moribus innoxiiis, et foecundi, et senecta prospera. Aquilam inuadentem repugnando vincunt: ipsi nunquam lacesunt. Cantores vero sunt: atque sub mortem potissimum canunt. Auolant enim etiam in altum mare: vbi iam praeternauiantes quidam Africam inuenerunt multos canentes voce lugubri: quorum etiam aliquot morientes tum videre. [Cap. XVII. Scaligero.] Cymindis raro apparet: montes enim habitat: colore atro, accipitris magnitudine cognomento palumbarii: facie procera et tenui. [colore aereo resplendens: vnde etiam chalcis appellatur.] Cymindin autem vocant Iones. Cuius etiam Homerus meminit in Iliade: *Chalcida quem superi vocitant, hominesque cymindin.* [Hybris autem: aiunt quidam hanc eandem esse auem cum ptynge.] Hic interdum non apparet propter visus hebetu-

dinem. Noctu venatur, vt aquila: cum qua adeo vehementer pugnat, vt ambae viuae saepe a pastoribus capiantur. Oua bina parit: nidificat etiam is in saxis et speluncis. [Cap. XVIII. Scaligero.] Pugnare solent etiam grues inter se tam acriter, vt et ipsae dimicantes ambae a pastoribus capiantur viuae. [*Restitant enim.*] Pariunt [*etiam*] grues oua bina.

CAP. XIV. (vulgo XIII. Scaligero XIX.)

Multas voces pica mutat: singulis namque prope modum diebus aliam edit. Parit oua nouem circiter. Nidum facit in arboribus ex pilis et lana: glandem, cum deficit, abditam condit. [Scaligero Cap. XX.] Multos auctores habet fama, quae de ciconiis circumfertur, parentibus a liberis educationis gratiam referri. Hoc idem etiam a merope factitari aiunt. A sobole vicissim nutriri, non solum senescentes, sed continuo, vbi id pulli efficere valeant: matrem patremque a nido non dimoueri. Quod ad formam auis attinet: pennae inferiores pallidae, (luteae,) superiores caeruleae, vt alcedoni: alarum extrema rubra. Versus autumnum parit sex aut septem in ripis praeruptis mollioribus, intra quas etiam quatuor cubita subit. Quae chlo-²ris dicitur, propterea quod inferiores plumas luteas habeat, est alaudae magnitudine. Parit oua qua-

terna quinaue. Ex symphyto nidum facit radicitus extracto, consternens pilo et lana. Hoc idem facit et merula et pica, atque ex his interna nidorum construunt. Artificiosus acanthyllidis quoque nidus est: intextus enim est perinde atque pila linea, (lini surculis *Scaliger*, lineis filis *Gaza*), angusto aditu. Aiunt etiam cinnamomum auem esse ex locis illis, eamque alicunde ferre quod cinnamomum vocant: ex eo sibi nidum aedificare in alto, et arborum ramis impositum. Incolas apto ad sagittas plumbo deicere, atque ita ex congesto (*reliqua nidi materia*) seligere cinnamomum.

CAP. XV. (vulgo XIV. Scaligero XXI.)

Alcedo passere haud maior est: colorem habet caeruleum et luteum et subpurpureum mixtum. Tale corpus totum et alae, tum colli partes, non seorsum positus coloribus. Rostrum subluteum, longum, tenue. Talis eius species est: nidus autem fere similis marinis pilis, et quas halosachnas vocant, colore tantum distans: subrufus enim est. Figura repraesentat cucurbitas, quibus longum cololum est, maximis spongiis maior: quanquam simul alii etiam minores. Omnes autem consepti et adstricti soliditate et raritate crebra constant. Ferri aciem non cito patitur, sed percussu et manuum vi celeri-

ter diffrangitur, sicut et halosachne. Ostiolum angustum habet, quantum satis sit ad ingressum pusillum; adeo, vbi subuertitur mare, vt ne tum quidem ingrediatur. Cauernas intus habet, vt spongiae. Dubitant de materia eius. Videtur vero ex aciculae (belonae) spinis confici. Piscibus enim victitat. Subit etiam fluuios. Parit potissimum oua quinque. Quamdiu viuit, foecunda est: incipit autem quarto aetatis mense.

CAP. XVI. (vulgo XV. Scaligero XXII.)

Epops (vpupa) nidum fere facit ex humano stercore. Mutat faciem aestate et hieme, sicut et aliarum agrestium auium plurimae. Aegithalus (parus *Gazae*) parit, vt aiunt, oua plurima. Aliqui etiam a melancorypho plurima edi autumant, praeter struthionem Afrum. Etenim ad septem et decem visa sunt. Sed enimvero etiam plura parit quam viginti: semperque imparia. Nidificat et hic in arboribus, et vermes depascitur. Proprium et huic et luscinae praeter alias aues, carere linguae mucrone. Aegithus victus facilitate et foecunditate praeditus est: sed pede altero claudicat. Chlorio (virido) docilis est et industrius ad victum, sed minus aptus ad volandum, et colore minus nitido. [Vulgo Cap. XVI.] Helea, si qua alia 2

- aium, facile sibi victum quaerit. Aestate in
 aura et opacis habitat; hieme in apricis. (*et a
 vento tectis, in arundinibus circa paludes alii
 Codices.*) Ab summis arundinibus paludes circum-
 3 spectat. Corpore est paruo, voce bona. Et quae
 gnaphalus vocatur, vocem habet commendabilem,
 et colorem pulchrum: et ad victum apparatus, et
 visu decorus. Peregrina auis haec: raro enim
 4 mutatsedes proprias. [Vulgo Cap. XVII.] Crex,
 quod ad morés spectat, pugnax est: quod ad in-
 genium attinet, industrius ad victum: alioqui in-
 felix auis. Quae sitta dicitur, et natura pugnax et
 ingenio tractabilis et composita. Victu parabili
 contenta. Aiunt in ea vim esse medicamenti, quia
 multiscia sit. Foecunda quoque est, et sobole felici:
 5 et viuit ligna tundens. Noctu pascitur aegolius,
 interdiu raro visitur. Et saxa et speluncas habitat
 hic quoque. Victus enim gemini est: viuendi in-
 dustria insignis. Est auicula quaedam parua, quae
 vocatur certhius. Audax haec est, et arbores ac-
 colit, et cossis victitat. Ingenio parato ad victum et
 voce clara praeditus. Acanthides male victitant,
 malique sunt coloris, vocem tamen argutam habent.

CAP. XVII. (vulgo XVIII. Scaligero XXIII.)

Ardeolarum pella coit, vt diximus, difficul-

ter: ingeniosa vero, et escae gerula, (*pullis?*) et piscandi perita. Interdiu agit: colore deteriore est: at aluo semper vda. Reliquarum duarum, (nam tria genera sunt) alba colore pulchro est, et innoxiae veneris. Nidum struit et parit commode super arboribus. Pascitur in paludibus et lacubus et campis et pratis. At asterias, coguomente ocnus, (*ignauus*) dicitur in fabulis olim mutatus ex seruo esse. Est is, vt cognomen indicat, horum pigerrimus. [Cap. XXIV. Scaligero.] Ardeolarum igitur vita talis est. At quae dicitur poyx, (*vulgo phoix*), proprium hoc habet cum ceteris comparata. Inter aues enim potissimum oculos appetit ad vorandum, Harpae hostis est: victus enim vtriusque similis,

CAP. XVIII. (vulgo XIX. Scaligero XXV.)

Merularum genera duo: altera nigra, et vbique visitur: altera candida, (*vulgo exalbida*), magnitudo par, et vox similis. Haec in Arcadiae Cyllene est, alibi nusquam. Harum nigrae similis est laius, (*fuseus addunt Codd. aliqui*), sed paulo minor. Haec in saxis et tegulis diuersorium facit: neque rostro puniceo est, quale merulae. [Vulgo C. XX. Scaligero XXVI.] Turdorum species tres: 2 Vna visciuous (*ixoborus*) appellatur: neque enim

alia re alitur quam visco et resina. Magnitudine est par picae. Altera trichas (pilaris *Gazae*) dicitur, voce acuta, magnitudine merulae. Tertia, quam vocant illadem, (*vulgo* iliadem, *Gazae* iliacum,) minima omnium, ac minus varia. [Cap. 3 XXI. *vulgo*, XXVII. Scaligero.] Est et saxatilis auicula, cui nomen cyanus: (caeruleus:) ea in Scyro (Nisyro *alii Codices*) maxime est. Agitat inter saxa: merula minor, fringilla paulo maior: pedibus nigris. [*vulgo* praegrandibus.] Saxa scandit; tota caerulea: rostro firmo et longo: (*breui?*) cruribus breuibus, auiculae pipo similibus.

CAP. XIX. (*vulgo* XXII. Scaligero XXVIII.)

Chlorio (vireo) luteus (viridis luteo aspersus) totus, hieme non videtur: solstitio apparet potissimum: abit arcturi exortu: magnitudine turturis. Malacocraneus (molliceps *Gazae*) semper eadem vititur sede, atque ibi capitur. Facies eius talis est: caput praegrande et cartilagineum. Turdo paulo minor, ore robusto, paruo, rotundo. Colore totus cineritio: pedibus, non alis valet. Capitur maxime noctua. [Vulgo Cap. XXIII.] Pardalus auicula gregalis est: neque enim fere segregata videtur: colore toto cinereo: magnitudine par illis:

tum pedibus tum alis praestans: multa voce, nec graui. (et graui *Codex Guilelmi.*) [Cap. XXX. Scaligero.] Collyrioni cibus idem qui et merulae: magnitudo eadem quae et supra dictis. Capitur hieme potissimum. Haec autem omnia non (*negationem omittunt alii Codd.*) omni tempore visuntur. (Capiuntur hieme potissimum haec omnia: neque enim omni tempore visuntur *Guilelmi Codex.*) Recensendae etiam quae in urbibus maxima ex parte viuere consueuerunt, coruus et cornix. Nam hae semper videntur: neque mutant loca, neque latent. [Vulgo Cap. XXIV. Scaligero XXXI.] ³

Gracculorum (*Monedularum Gazae*) species tres. Vnus est coracias; (*graculus Gazae*;) qui est cornicis magnitudine, rostro puniceo. Alter qui lycius (*vulgo lopus*) dicitur. Tertius paruus, scurra. Quartum praeterea genus in Lycia et Phrygia, palmipes. [Vulgo Cap. XXV. Scaligero XXXII.] ⁴

Alaudarum (*corydalorum*) genera duo: altera humi agitans et cristata: altera gregatilis, non autem dispersa, vt illa: colore tamen simili; sed minor, et sine crista, atque esculenta. [Vulgo Cap. XXVI. Scaligero XXXIII.] ⁵

Ascalopas (*Ascolopax Codices alii*) in hortis et capitur caueolis, gallinae magnitudine: rostro longo: colore attagenis. Currit perniciousiter, et admodum hominem amat. [Sca-

ligero Cap. XXXIV.] Sturnus est varius, magnitudine merulae. [Vulgo Cap. XXVII. Scaligero XXXV.] Ibes in Aegypto duum sunt generum: aliae candidae, aliae nigrae. Cetera in terra Aegypti albae sunt, in Pelusio non sunt. Contra in illa non sunt nigrae, in Pelusio sunt. [Vulgo 7 Cap. XXVIII. Scaligero XXXVI.] In genere scopum (asionum *Gazae et Scaligero*) qui dicuntur aeiscopes, (semperasiones,) totum annum videntur. Vnde et nomen. Verum cum inutiles sint ad cibum, non esitantur. Aliqui autem aliquando autumno existunt: neque plus vno aut altero die apparent, et sunt esculenti, atque vehementer commendantur. Atque ii a semperasionibus nulla alia paene re differunt quam pinguedine. Sed neque vocem edunt: illi autem sunt vocales. Quemadmodum vero generentur, nondum perspectum est; nisi quod faonio spirante comparent, Hoc vero manifestum est.

CAP. XX. (vulgo XXIX. Scaligero XXXVII.)

Cuculus, vt alibi dictum est, nidum non aedificat, sed in alienis parit: praesertim in palubarum, et hypolaidis, (currucae,) et alaudae humi. Super arboribus autem in chloridis nido. Parit igitur ouum vnum: verum non incubat ipse. Sed

ea auis, cuius in nidum deposuerit ouum, et excludit et alit: ac, quemadmodum aiunt, vbi cuculi pulli creuerint, eiicit suos, atque ita intereunt. Alii ita tradunt: interfici a matre, atque dein deuorari. Propterea enim, quod pulcher sit pul-
 lus cuculi, suos non probare. Maximam igitur harum rerum partem perspectam ab sese multi autumant. Sed quemadmodum pulli auiculae intereant, non omnes conueniunt. Sed quidam aiunt, frequentantem nidum cuculum deuorare hospitis auiculae pullos. Alii dicunt, cuculi pullum magnitudine praestantem cibum allatum praeripere et deuorare: atque ita ceteros fame mori. Alii, perimere educationis participes, vt puta valentio-
 rem. Prudenter igitur sobolem procreare cuculus videtur. Consci-
 us enim timiditatis suae atque imbelliae, eam ob caussam quasi subdititios facit pullos suos, vt salui sint. Mirum enim in modum meticalosa haec auis est: vellicatur enim etiam a minutis auiculis, easque fugit.

C A P. XXI. (vulgo XXX. Scaligero
 C A P. XXXVIII.)

Apodes, quos aliqui cypsellos vocant, similes esse hirundini, iam dictum est. Neque enim

facile dignoscuntur ab ea, nisi quod crus hirtum habent. Hi nidificant in alueolis eluto structis oblongis, orificio, quantum satis ad ingressum, aperto, angusto. Nidum ponit sub saxis et rupibus, quo et a feris et ab hominibus tuto sese recipiat. [Cap. 2 XXXIX. Scaligero.] Qui dicitur aegothelas, (caprimulgus,) montana avis est, merula paulo maior, minor cuculo. Duo parit ova, aut ad summum tria. Moribus mollioribus. Aduolans capros mulget: vnde et nomen. Aiunt, vbi mamma 3 mam suxerit; extingui et [capram] obcaecari. Interdiu hebetius videt: sed noctu cernit. [Vulgo Cap. XXXI. Scaligero XL.] Corui in regionibus paruis, atque vbi non satis cibi suppeditari possit, hinc tantum esse solent. Et suos pullos, vbi volare possunt, primum exigunt: deinde etiam extra regionem fugant. Parit coruus et quaterna et quina. Quo tempore Medii hospites (milites peregrini) in Pharsalo interierunt, reliquere corui terram Atticam et Peloponnesum; quasi sensum haberent aliquem, quo inter se rerum euenta significarent.

C A P. XXII. (vulgo XXXII. Scaligero XLI.)

Aquilarum plura genera. Vnum, quem pygargum (quasi albicillam *Gaza*) vocant. Is campos

et lucos atque etiam circa oppida habitat. Quidam nebrophonon (hinnicidam, *Gaza hinnulariam*) eam vocant. Volat etiam in montana et saltus, sui confidens. Nam reliqua genera minus campos et lucos frequentant. Alterum genus plancus dicitur, secundus a priore et robore et magnitudine. Saltus et conualles et lacus habitat. Cognominatur etiam anataria et morphnus. Cuius etiam meminit Homerus in exitu Priami. Alia est nigro colore, minima et nobilissima harum. Montes habitat et silvas, et dicitur melanaetos, quasi atraquila, et leporaria. Sola haec alit pullos suos et educat. Pernici impetu est, elegans, liberalis, intrepida, pugnax, auspicata: neque enim querula est, neque clangit. Est aliud genus percnopterus, capite candido, grandissima, alis brevissimis, cauda longiore, (clunibus longis *Scaliger*) vulturi similis. Vocatur oripelargus (*ciconia montana*) et gypaeus. (*vultur aquila.*) [*alii Codices hypaetos i. e. subaquila habent.*] Lucos habitat. Vitia aliarum ipsa quoque habet: boni autem nihil. Capitur enim et fugatur a coruis et aliis: quippe grauis et inepta ad parandum sibi victum: et cadauera gerens. Semper esurit vociferaturque querula. Praeterea genus aliud aquilae est, qui haliaeeti (aquilae marinae) vocantur. Cervix his magna et crassa: alae curuae,

cauda lata (clunes lati *Scaliger*). Accolunt mare
 et littora. Euenit interdum, vt captam praedam
 cum gestare non possunt, in profundum delati
 mergantur. Ad haec genus est quod germanum
 appellant. Alia namque genera mixta et adulterata
 sunt inuicem: aquillarum, accipitrum et minutio-
 rum. Maxima haec est aquillarum omnium: etiam
 ossifraga maior, ita vt sesquiquila sit: colore ru-
 tulo. Raro apparet, sicut et quae cymindis dici-
 4 tur. Tempus agendi et volandi aquilae est a pran-
 dio ad vesperam. Mane enim sedet vsque dum fo-
 rum frequens sit. Senescentibus aquilis rostri su-
 perior pars semper augetur incuruendo: itaque
 tandem fame moriuntur. Additur fabula: ei id sic
 enenire, propterea quod olim homo cum esset, in-
 iuria affecit hospitem. Reponit aquila reliquias
 pastus pullorum in nido: propterea quod, cum non
 facile possint quotidie praedam consequi, interdum
 5 non habent quem aliunde afferant cibum. Pulsant
 alis, et vnguibus laerant, si quem deprehendant
 circa nidum insidiantem. Nidificant non in planis
 locis, sed celsis: maxime in praeraptis saxis: quin
 etiam in arboribus. Alunt pullos quoad volare
 queant: tum e nidis ipsos eiciunt, tum etiam ex
 locis vicinis exigunt. Vnum enim aquillarum par
 magnam occupat regionem. Quare non permit-

tunt alios prope sese habitare. Venantur sane non 6
 ex vicinis nido locis, sed e multum remotis. Prae-
 dam sublatam non statim fert, sed deponit. Tum,
 explorata praeda, inuentam grauiorem dimittit.
 Lepores non statim corripit, sed permittens in
 campo procurrere: neque statim in solum defertur,
 sed semper paulatim orbe interiore. Horum vero
 vtrumque facit, vt tutior ab insidiis sit. In sublimi
 considet, propterea quod tarde a terra tollitur. In
 altum volat, vt multum loci capiat oculis: atque
 idcirco ab hominibus sola auium diuina appellatur.
 Nullus autem vncunguium libenter super saxis con- 7
 sistit, idcirco quia curuitati durities impedimento
 est. Venatur hinnulos et lepores et vulpes et reli-
 qua quae possit superare. Diu viuere aquilam con-
 stat ex eo, quod idem nidus longo tempore (*alii*
Codices semper) duret. [Vulgo Cap. XXXIII.
 Scaligero XLII.] In Scythia genus auium est, otide 8
 non minus: hoc duos pullos parit: ouis non in-
 cubat: sed in pelle leporina aut vulpina impositos
 relinquit. Quando non abest venandi causa, ob-
 seruat in summa arbore; et si quis adscendat, pu-
 gnat et verberat alis, vt aquilae.

C A P. XXIII. (vulgo C A P. XXXIV.)

Scaligero XLIII.)

Noctuae (glauces) et nocticorui (nycticoraces)

atque eiusmodi, quae interdiu videre nequeunt, noctu venatu sibi victum comparant. Verum non totam noctem id faciunt; sed circa crepusculum et ante lucem. Venantur mures et lacertos et sphondylas, et eiusmodi animalia minuta. [Scaligero Cap. 2 XLIV.] Quam vocant phenam, (ossifragam,) et feliciter parit, et victus studiosa est. Fert enim pullos escam. Pietate quoque praedita est: nam tum suos pullos educat, tum etiam aquilae. Hos enim illa cum abdicat, excipit atque alit. Exigit enim praemature suos aquila, etiam indigentes victus, neque dum valentes volare. Videtur autem ob livorem aquila id facere. Suapte enim natura est et invida et perfamelica, (nec adeo *addunt Codices*) prompta et felix in capienda praeda. Magnam enim refert, quando potita est. Invidet igitur pullis nitidioribus, cum bene affecti sunt ad vescendum et lacerandum vnguibus. [*Vulgo est* et lacerat (vexat *Scaliger*) vnguibus.] Pugnant etiam pulli inter se de loco et de cibo. At illa eiicit eos atque verberat. Eiectos illos atque vociferantes suscipit ossifraga. Est haec oculis ob albuginem vitiosis: neque integre videt. [Cap. XLV. Scaligero.] At haliaectus visu est acutissimo: pullos etiamnum implumes aduersus solem intueri iubet. Detrectantem caedit et comertit. Vtrius oculi prius lacrymarint,

eum interficit, alterum educat. Accolit mare, vivitque venando aues marinas, quemadmodum dictum est. Singulas in venatu capit, observans emergentem e mari: ea conspecta cum emergit prae metu rursus mergitur: vt iterum alibi exeat. Ille autem aciei oculorum beneficio fretus semper volat, vsque dum illa aut suffocetur, aut sublimem ceperit. Greges vero non inuadit: alarum enim aspersu arcent. [Vulgo XXXV. Scaligero XLVI.] Fulicae 4 (ſcepphi) capiuntur spuma: deglutunt enim eam. Ideo aspersu eius venantur. Cetera eius caro iucundo sapore est: clunes autem solae coenum arenae olent. Pinguescunt admodum.

C A P. XXIV. (vulgo XXXVI. Scaligero
C A P. XLVII.)

Accipitrum valentissimus buteo. (triorches.) Secundo loco aesalo. Tertius circus. Asterias autem et palumbarius et pternis diuersi. Latis alis accipitres subbuteones appellantur. Alii autem perci et spiziae. (fringillarii *Gazaë*.) At laetres (*palustres?*) et rubetarii facili victu contenti sunt, et humili volatu. Accipitrum aliqui genera non pau- 2 ciora putant, quam quae diximus decem. Differunt autem inter se, propterea quod humi sedentem columbam petunt et corripunt: volentem non

attingunt. Alii in arbore aut alibi consistentem cam
 nacti venantur: humi autem aut sublimem non
 tangunt. Alii neque humi neque alibi consisten-
 3 tem, sed volentem appetunt capere. Aiunt vero
 etiam columbis vnumquodque horum generum
 notum esse. Itaque si quis aduolet eorum, qui sub-
 limes praedantur, manere eas vbi fuerint. Sin ad-
 volans ex iis sit, qui ab humo petunt, non manere,
 4 sed auolare. In Thraciae vrbe quae Cedropolis
 olim vocabatur, communi venatione cum accipi-
 tribus venantur homines auiculas in palude. Per-
 tictis enim mouent arundines et siluam illi, vt vo-
 lent auiculae. At accipitres desuper apparentes
 insectantur. Eae exterrefactae deorsum volant
 iterum ad terram. Quas baculis homines caedunt
 ac capiunt, atque illos praeda impertiunt. Proii-
 5 ciunt enim ex auibus, atque illi capiunt. At circa
 Maeotidem paludem lupos aiunt id agere ex con-
 suetudine, vt si piscatores non impertiantur ex
 piscibus, dilacerent eorum retia, cum in terra sic-
 cantur. Auium igitur natura sic se habet.

C A P. XXV. (vulgo XXXVII. Scaligero
 C A P. XLVIII.)

Etiam in marinis animantibus licet multa ob-
 seruare, quae earum vitam non inertem prodant.

Nam quae tum de rana piscatrice tum de torpedine praedicantur, vera sunt. Quippe rana iis appendicibus, quae gemina pilorum modo prae oculis propendent, earum cacumen, quod globulosum est, cum sabulo aut limo, quem excitauit, se ipsam abscondit, quasi escae gratia attollit; appetentibus pisciculis contrahit, vsque dum ad os adduxerit. Torpedo autem quorum piscium compos futura est, eos virtute ea, quam suo in corpore habet, torpere facit, illisque captis alitur. Abdit vero sese in arenam et lutum, et capit supernatantes pisces, quos eo allatos torpescere fecerit. Cuius rei spectatores aliqui fuere. Condit etiam pastinaca sese, sed non similiter. Quod autem sic uiuant, argumentum illud est. Capiuntur enim saepe cum mugile in ventre, velocissimo piscium, tardissimae ipsae. Ranae vero, quae non amplius globulos pilorum illos habuerint, capiuntur macilentiores. Quin etiam torpedo manifesto homines torpescere facit. Occulant sese arena etiam asellus et raia (bato) et passer et squatina. Atque ubi sese condidere, tum surrigunt in virgulae modum ea quae in ore habent, atque vocant piscatores radiolos. Eo accedunt minuti pisciculi, tanquam ad algulas, quibus vesci consueuere. [Cap. XLIX. Scaligero.] Vbi anthias conspectus fuerit, non inuenitur bellua.

Quo vtentes indicio vrinant spongiatores, et hos pisces sacros vocant. Videtur casu hoc fieri: quemadmodum, vbi cochlea sit, suem non esse neque perdicem: edunt enim omnes cochleas. [Cap. L. Scaligero.] Marinus serpens colore et corpore similis congro est, sed obscurior et acrior. Is si captus dimittatur, subit celerrime arenam, rostro sibi cauum cauiens. Habet autem os acutius quam serpentes. [Cap. LI. Scaligero.] Quam vocant scolopendram, vbi hamum deglutierit, inuertit intestina extrorsum, quoad hamum eiiciat: deinde rursum introrsum vertit. Appellunt sese scolopendrae ad nidorem, sicut et terrestres. Ore non mordent, sed vniuersi corporis superficie, sicut vrticae. [Cap. LII. Scaligero.] Inter pisces eae quae vulpes nominantur, vbi sensere ab sese hamum devoratum, opem ferunt, sicut et scolopendra. Procurrentes enim prorsum ad lineam, abrodunt. Capiuntur enim multiplici hamo quibusdam locis in aqua fluctuosa et profunda. [Cap. LIII. Scaligero.] Conspecta bellua conglobant sese amiae: atque earum maximae quaeque circumnatant: tum si quam attigerit, defendunt. Habent autem dentes robustos. Iam vero cum aliae belluae tum lamia aggressa vulnera accepisse visa est. [Cap. LIV. Scaligero.] Inter flumiatiles glanis mas prolis curam

gerit multam. Foemina enim cum pepererit, abit: at mas, vbi editorum ouorum maxima constiterit pars, ea seruat adstans: nihil praeterea afferens commodi, nisi quod arcet pisciculos alios, ne diripiant foetus. Atque hoc agit diebus XL aut etiam L, donec foetus adulti possint euadere ab aliis piscibus. Agnoscitur a piscatoribus, vbi excubet pro ouis: abigens enim pisciculos huc illuc salit, et sonitum quendam facit et murmur. Adeo vero ouis assidet, vt, tametsi piscatores ona, si radicibus profundis adhaeserint, deducunt quam maxime possunt in vadum, nequaquam tamen ille relinquat foetum. Ceterum etiamsi fuerit e iunioribus, celeriter hamo capitur, propterea quod corripit accedentes pisciculos. At si hamis assueuerit deuorandis, ne sic quidem relinquit; sed dentibus, quos habet durissimos, mordens rumpit hamos. [Cap. LV. Scaligero.] Omnia vero tum 7
natantia tum immobilia iis pascuntur locis, in quibus generantur, aut illis similibus: suus enim cibus cuiusque in his est. Vagantur plurimum carniuora. Omnia vero paene carniuora sunt, praeter pauca: cuiusmodi est mugil, salpa, mullus, chalcis. Quae vero pholis appellatur, mucorem quendam emittit: atque is in circuitu eius concrecit, ac fit quasi cubile. [Cap.

LVI. Scaligero.] Testaceorum in genere et pedē carentium pecten maxime et plurimum mouetur, per se ipsum volans. Nam purpura atque ei similia
 8 parum valde progrediuntur. [Cap. LVII. Scaligero.] Ex Euripo Pyrrhaeorum hieme propter frigus exeunt pisces, praeter gobionem. Gelidus enim Euripus est. Simul cum vere reuertuntur. Non sunt in Euripo scarus, thrissa, aliaque aristis praedita, neque musteli, (galei,) neque acanthiae, neque locustae, neque polypi, neque bolitaenae, neque alia quaedam. Atque ex iis, quos Euripus fert, gobius candidus in alto mari non inuehitur. [Cap. LVIII. Scaligero.] Vigent pisces ouigeri vere, vsque dum pepererint. Qui animal pariunt, autumno: et praeter hos etiam mugiles et mulli et alia eiusmodi omnia. Circa Lesbum tum qui in alto tum qui in Euripo degunt, in Euripo pariunt: coeunt autumno, pariunt vere. Cartilaginea quoque autumno. Permisti sunt mares et foemellae coitus tempore. At vere ingrediuntur seiuncta, donec pepererint. At coitus tempore capiuntur
 9 multa coniugata. [Cap. LIX. Scaligero.] Molluscorum autem astutissima sepia est: solaque vtitur atramento non modo ob metum, verum etiam ad latitandum. Polypus autem et lolligo ob pauorem emittunt illud. Verum haec omnia nunquam emit-

tunt vniuersum: quin etiam amissum de integro augetur. At sepia, quemadmodum dictum est, et atramento saepe vtitur pro latibulo, et cum prorsum ire simulauerit, reuertitur in suum atramentum. Venatur etiam longis tendiculis non solum pisciculos minutos, verum etiam saepe mugiles. Polypus autem stultus est: accedit enim ad hominis manum demissam. Prudens tamen rei familiaris est. Omnia enim congerit in cubile, quod inhabitat. Vbi vero quae vsui maxime sint absumpserit, eiicit testas et putamina cancrorum et concharum et piscium spinas. Venatur pisces colorem mutans, efficiensque, vt quibus haeserit lapidibus, similis sit. Hoc idem etiam in metu fauit. Fertur ¹⁰ a quibusdam, hoc idem facere sepiam: suum enim colorem aiunt assimilare loco, in quo versatur. Ex piscibus sola squatina hoc potest: mutat enim colorem, sicut polypus. Paucissima genera polyporum biennium viuunt. Natura enim facile contabescit. Argumento est: pressus enim aliquid semper emittit, ac tandem euanescit. Patiuntur hoc foeminae post partum magis, ac stupidae fiunt, neque fluctibus agitatae sentiunt. Facile quoque ab vrinantibus manu capiuntur. Mucosae quoque euadunt, neque ad venandum consistere queunt. Mares autem coriacci fiunt et lenti. (lubrici *Sca-*

11 *ligero*.) Quod autem bimatam non expleant, inde capiunt argumentum. Nam postquam polypuli orti sunt, tum in aestate tum sub autumnum haud facile inuenias polypum grandem. At paulo ante id tempus maximi sunt polypi. Vbi igitur oua ediderint, sic canescere atque debilitari vtrumque autumant, vt etiam a pisciculis exedantur; perfacile quoque abstrahi a cubilibus possint. Ante id tempus nihil tale. Ad haec paruulos et iuenculos polypos, postquam orti sunt, nihil tale pati, sed validiores natu grandibus. Ac ne sepiae quidem biennium viuunt. In siccum solus e molluscorum genere exit polypus. Incedit per aspera, laeuia vitat. Cetero corpore validum animal est: at collo imbecillo, si prematur. Molluscorum igitur res

12 sic se habet. [Cap. LX. Scaligero.] * * * * Produnt quidam conchas tenues et asperas sibi ipsis obducere quasi lorica duram, eamque, cum ipsae crescunt, ampliorem: ex qua exeant quasi ex latibulo quodam aut domicilio. [Cap. LXI. Scaligero.] Est etiam polypus nautilus tum natura tum actionibus suis singularis. Ex imo enim fundo efferens sese summum mare nauigat. Exit autem inuersa testa, vt facilius emergat et inani nauiget: quam, vbi in summo aequore est, conuertit. Habet inter brachia [duo] quiddam contextum, simile mem-

branae inter palmipedum digitos: nisi quod illis crassum, huic tenue et araneosum. Utitur eo, flante aura, pro velo. Pro gubernaculo brachia [duo] demittit iuxta. Pauefactus mergitur, mari implens testam. Quemadmodum vero et ipse generetur et an concha cum eo nascatur et crescat, nondum exacte compertum est. Videtur autem non ex coitu generari, sed oriri, quemadmodum conchae aliae. Neque id constat, an exutus concha possit viuere.

C A P. XXVI. (vulgo XXXVIII.
Scaligero LXII.)

Insectorum operosissimum fere, quodque cum aliis omnibus comparari mereatur, tum formicarum tum apum genus: atque etiam crabrones et vespae et omnia denique quae cognata sunt. Quin ex araneis et elegantissimi et agilissimi (strigosiores *Gazae*), etiam ingeniosiores in vitae functionibus. Formicarum igitur opera omnibus manifesto extant, quomodo eandem viam omnes ineunt, et promunt et condunt cibos. Operantur enim etiam noctu pleniluniis. [Cap. vulgo XXXIX. Scaligero LXIII.]
Araneorum autem et phalangiorum multa genera sunt. Mordacium phalangiorum duo. Unum simile illis, quos lupos vocant: paruum, varium,

mobile, (viuidum, *Plinio* acuminatum,) saltax: et appellatur pulex. Alterum maius, colore nigro, anterioribus cruribus longis, motu pigrum, lente ingrediens, imbecillum, neque habile ad salien-
 3 runt. Aliud est genus, quem lupum nominant. In quo is, qui minor est, telam non textit. Qui maior, crassam et improbam humi et ad sepes. Rimis semper obtexit telam, atque ponit intus orditus. Vbi moratur, dum aliquid incidens moueat: atque inde accedit. Aliud autem genus varium sub
 4 arboribus textit telam paruam et prauam. Tertium praeterea genus est horum sapientissimum et politissimum. Principio namque textit extendens ad cornua vndecunque: deinde stamen inducit a medio; quod medium quantum satis sit, capit. Tum super haec tramam imponit: postremo contextit. Ac cubile quidem suum praedaeque repositorium alibi constituit: in medio vero obseruat praedam. Vnde si cuiuspiam rei casu medium moueatur, primum circumligat, circumque inuoluit tela, vsque dum sui impotem fecerit. Posthaec sublatum extulit. Quod si fames vrgeat, exugit. Is enim ei modus capiendi cibum est. Si non esurit, rursus, sarcito prius scisso opere, ad venationem reuertitur.

Quod si quid interea inciderit, primum it in me- 5
 dium, atque ex eo loco, sicut antea fecerat, redit
 ad id, quod incidit. Quod si quis lacerarit rete,
 de integro incipit texere occidente sole aut oriente,
 propterea quod per haec tempora incidere potissi-
 mum soleant bestiolae. Operatur foemina ac ve-
 natur: mas autem quoque fruitur partis. Araneo- 6
 rum elegantiorum, qui telam spissiore[m] texunt,
 duo sunt genera: alterum maius, alterum minus.
 Longioribus cruribus praeditus imo ex loco pen-
 dulus observat, ne perterritae bestiolae metuant,
 sed superne irretiantur. Quippe cum sit grandior,
 minus commode latere potest. At ille alter medio-
 crior in superiore excubat loco, abdens sese in exi-
 guo telae foramine. Possunt aranei statim nati 7
 emittere telam. Neque enim egreditur quasi ex-
 crementum, ut ait Democritus, sed de ipso cor-
 pore, quemadmodum cortex, et sicut quae iacu-
 lantur pilos: quales sunt hystrices. Adoritur et-
 iam et obducit maiora animalia. Nam minores
 quoque lacertulas inquadit: et circum lacertulam
 emissa fila iniicit, donec buccas comprehenderit.
 Tum vero accedens mordet. Hactenus de his ani-
 malibus.

C A P. XXVII. (vulgo C A P. XL. Scäligero
CAP. LXIV.)

Insectorum vero genus est quoddam, quod nomine caret, quo vno comprehendatur. Verum omnes species continent formam congenerem. Eae sunt quaecunque fauificant: quales apes sunt et quae simili facie. Horum genera sunt nouem. Quorum sex gregalia: apes, apum reges, fucus, apiaster, vespa annua, crabro et tenthredo. Tria solitaria: siren paruus, fuscus; alter siren maior, niger et varius. Tertius, omnium horum maximus, bombylius qui nominatur. Ergo formicae nihil venantur, sed facta ab aliis colligunt. Aranei nihil faciunt ipsi, neque horreum habent: tantum venantur, quo vicitent. Quod autem ad genera, quae descripsimus, pertinet, postea dicetur. At apes nihil venantur: et ipsae faciunt et reponunt: aluntur enim melle; quod manifesto apparet. Nam cum castrare alueos parant mellifices, suffitu fumi vehementer vexatae, tum vero maxime vorant mel: alio tempore non item perspectum est, sed parant et reponunt cibi gratia. Est et alius illis cibus, quem cerinthum aliqui vocant. Est hoc deterius, dulcedinem tamen fici habens. Gerunt hoc cruribus, quemadmodum et ceram. Magna earum in opere et viuendi ratione industria atque

ars conspicitur. Si purum aluearium ipsis exhibeatur, quibus fauos aedificent, afferunt lacrymas, tum ab aliis floribus, tum ab arboribus, salice atque vltimo ceterisque glutinosis. Hoc etiam solum oblinunt aliarum gratia bestio- 3
 larum. Hoc vocant apiarii commosin. (gummationem.) Oras quoque adituum stipant atque angustant addita materia, si latiores sint. Fingunt autem fauos primum, in quibus ipsae oriri consuevere, deinde in quibus ii qui vocantur reges, et fucarios. Ac suos quidem semper aedificant: regios autem, cum largior foetura futura est. Fucarios vero, cum mellis abundantia significatur. Fingunt regales fa- 4
 vos iuxta suos: hi vero sunt parui: prope regios fucarios, (*fucarios seorsum?*) minores quam sint apiarii. Ordiuntur ab aluei tecto telas suas, quas ad ima vsque contextunt, et multas pauimento tenus deducunt. Cellulae tam mellis quam foetuum gemino constant ostio. Vnam enim basin vtrinque circumstant singulae, sicut in geminis calicibus, altera intus, altera foris. Fauis, qui per exordia contextuntur ad aluearia, eorum ordines duo aut tres in orbem breues sunt et melle vacui. Fauis ii sunt pleniores, qui plurima cera constructi sunt. Alue- 5
 arii ostium ad primum aditum oblinuntur melle. Id nigrum est, quasi repurgamentum cerae: odore

acri. Remedio adhibetur percussionibus et eiusmodi suppurationibus. Continuum huic linimentum pissoceros (ceropiceum) est; minus odoratum, minusque efficax medicamentum quam mity. Aiunt quidam, fucos et per se ipsos fauos condere in eodem alueo, et in eodem fauo (struendo) operam cum apibus partiri: verum non mellificare, sed apum opere alitum ipsos tum eorum sobolem. Manent magna temporis parte intus fuci. Vbi vero euolarint, efferunt sese fusim coelum versus, versantes sese in orbem, ac quasi exercitantes. Cum id fecerint, rursus ingredienti epulantur. Reges non exeunt nisi toto cum populo, neque in pastum, neque alia de causa. Ferunt etiam, si ab rege aberrauerint, vestigantes recurrere, usque dum odoratu ducem inuenerint. Dicitur etiam gestari ab agmine, cum volare nequit. Eo mortuo abire agmen: aut si aliquantis per manserit, et fauos fecerint, in ipsis mel non facere, easque breui disperdi. Ceram excipiunt apes prioribus pedibus, germina (flores *Gaza*) celeriter perreptantes, eosque abstergunt mediis, a quibus excutiunt in curvaturas (*laminas*) postremorum. Atque ad hunc modum oneratae auolant, atque eo onere manifesto grauari videntur. Eodem volatu non petit apis diuersas florum species; sed verbi gratia a vio-

Ia ad violam: neque sane attingit aliud, donec in
 alueum reuertatur. Eo cum sunt ingressae, ex-
 cutiunt et deponunt onus. Semper etiam singulis
 ternae quaternaeque administrant. Quid acci-
 piant, non facile videre est: neque visum, quo ope-
 rentur modo. Ceram tamen sumere obseruatum
 est ab oliuis ob frondium densitatem, eodem in
 loco diu immorantibus. Post haec foetus edunt: 8
 Nec quicquam impedimento est, quin eodem in
 fauo et apiculae et mel et fuci sint. Viuente igitur
 rege seorsum aiunt fucos n[on] Eo mortuo in
 apum cellis ab illis generari; esseque hos iracun-
 diores. Idcirco vocari aculeatos: non quod ha-
 beant aculeum, sed quod velint, licet nequeant,
 pungere. Sunt autem cellae fucorum capaciores.
 Fingunt autem interdum suos sibi fauos fucis; sed
 frequentius cum fauis apiariis coniungunt. Qua-
 propter abscindunt. Sunt apum genera plura; 9
 sicut dictum est. Ac duo quidem regum. Alter
 rufus, qui praestantior: alter niger ac varius ma-
 gis, maior altero tanto ape frugi. Est autem opti-
 ma parua, rotunda, varia. Altera longa, similis
 crabroni. Diuersum hic genus, qui fur dicitur, ni-
 ger, ventre lato: et praeterea fucus: is omnium
 maximus, sine aculeo et segnis. Natalibus quo-
 que apes differunt, prout ortae sunt a parentibus

villaticarum pastionum, aut ab iis, quae saltus colunt. Sunt enim soboles siluicolarum pilosae magis, minores, magis opifices, acerbiores. Apes frugi faciunt fauos aequales, et quod obducunt integumentum totum laeue. Praeterea fauum vnus generis, veluti totum melle aut prole aut fucis repletum. Quod si contingat eodem in fauo vt omnia haec insint, vnum deinceps genus operis et seorsum erit. Longae autem fauos inaequales faciunt et tuberosum operimentum, quale etiam crabrones. Praeterea neque valem neque alia ordine disponunt, sed temere deponunt. Itaque etiam ex his oriuntur duces deteriores et fucorum frequentia, et quos fures diximus: mel autem paucum aut nullum. Insident fauis apes et concoquunt. Id si non fecerint, corrumpi aiunt fauos et araneari. Quod si postea reliquum temporis possint insidendo sese continere: id quasi cibarium fit: sin minus, toti pereunt. Tum innascuntur vitiatis vermiculi; quibus agnascentibus alis volucres fiunt. Collabentes etiam fauos erigunt apes, fulturasque substituunt, vt subire queant. Nam si non extet via, qua accedant, non assident; atque illi araneantur.

11 Furis et fuci nati nullum opus est, sed alienis nocumentum afferunt. Itaque capti occiduntur ab apibus frugi. Hae vero frequenter interficiunt du-

ees, cum sunt multi: potius etiam malos: ne eorum multitudine distrahatur gens. Potissimum vero cum sobolis infrequentia est, neque coloniae mittendae sunt. Per ea enim tempora demoliuntur sedes quoque regias, si sint apparatus, utpote cum sint ipsi auctores emigrandi. Diripiunt etiam fucorum fauos, si penuria mellis futura est neque mel- latione vberere aluearia suppetant. Atque mel si eximatur, pro melle tunc pugnant maxime. Et eos, qui pridem inerant, fucos eiiciunt. Ac saepe numero conspiciuntur dissidentes in alueari. Asperrimas pugnas conserunt paruae cum longis, 12 conanturque eiicere ex alueariis. Quod si vincant, putant examen illud praestantia excellere. Quod si fiat, ut alterum genus illud per se solum sit, segnes sunt, nihilque boni faciunt. Quin ipsae ante autumnum moriuntur. Bonae apes cum quam- piam interfecerint, dant operam, ut extra alueum id agant. Quod si qua intus moriatur, efferunt nihilo secius. Qui fures vocantur et domesticis fauis nocent, et subeunt, si clam possint, etiam alienos: ubi deprehensi interficiuntur. Sed difficile est latere. In omni enim aditu excubiae agitantur. Quod si tamen furtim ingressus sit, melle supra modum expletus volare nequit, sed ante al- ueum volutatur. Quare non sine magno negotio

13 euadere potest. Reges non visuntur extra nisi cum exercitu: quo tempore migrant. Ac tunc reliquae apes conglomeratae eum stipant. Emigraturis vox singularis ac certa aliquot ad dies oritur: atque biduum aut triduum ante paucae alueum circumuolitant. An vero inter eas rex sit, nondum ob difficultatem id est perspectum. Cum autem congregatae sunt, euolant ita, ut aliae cum suo quaque duce separentur. Quod si paucae prope frequentes consederint, emigrant ad multas paucae, ac regem, quem deseruere, si consequatur, interimunt. Sic igitur et relinquunt aluearia et

14 abeunt. Operi vero aliae alii praefectae sunt. Nam aliae flores ferunt, aliae aquam; aliae laeuigant ac dirigunt fauos. Aquari autem solent, cum alunt soboles. Carnibus nullius animalis insidunt, neque obsonium appetunt. Non consueuere stato tempore opus incipere. Sed si non desint necessaria et bene valeant, potius vere aggrediuntur opus: quod sane tepido tempore intermittere non solent. Quin etiam iuencula apicula tertio statim quam prodierit die operatur, modo cibum habeat. Consistente etiam examine, quaedam in pastum diuertuntur; atque inde rursum remeant. Si examen bene valet, apum proles non deficit (labor non cessat?) nisi circiter quadraginta diebus tantum,

quae brumam sequuntur. Adolescentibus pullis, cibo apposito oblinunt cellas: qui cum vires adepti fuerint, ipsi operculum scindunt et exeunt. Quae bestiolae intus nocent, fauis bonae apes expellunt. Aliae autem nequiter negligunt opus, quod perit. Apiarii cum mel eximunt, relinquunt eis cibum in hiemem. Qui si satis sit, servatur examen: sin minus, aut aspera hieme imminente, ibi moriuntur, aut tepidis diebus deserunt alueos. Melle vescuntur tum aestate tum hieme. Verum alio quoque vtuntur cibo, quem reponunt, duritia cerae, quam nominant quidam sandaracam. Nocent eis maxime vespae et auiculae, quas vocant aegithalos: (paros *Gaza*;) item hirundo et merops: etiam lacunales ranae obuias ipsam ad aquam venantur. Ranas igitur apiarii piscantur e stagnis, vnde aquantur apes. Et vespae atque hirundines alueis propinquas et meropum nidos tollunt. Nullum animal fugiunt, nisi sui ipsarum generis. Pugna enim est tum inter ipsas tum aduersus vespas. Atque foris neque inter se iniuria afficiuntur neque aliis inferunt: sed quae prope aluearia inuenerint, si queant, interficiunt. Illae vero percutientes intereunt, propterea quod nequeunt aculeum saluo intestino recipere. At servatur saepe, si is qui ictus est, curet vt aculeum

exprimat. Nam amisso aculeo perit apis. Inter-
 eunt percussa etiam grandiora animalia: quemad-
 modum olim equus. Minime vero molesti sunt
 18 reges, neque percutiunt. Apum cadauera efferunt.
 Nam quod etiam ad alia spectat, mundissimum
 animal est. Quare cum earum excrementum male
 oleat, auolantes reddunt. Odere autem tum ma-
 iores odores, tum etiam vnguenta ipsa. Itaque ipsis
 defibutos pungunt. Dispereunt et aliis euentis et
 regum frequentia, quorum alius aliam sibi partem
 abducit. Interimunt etiam rubeta (phrynos) apes.
 Accedens enim ad aditus sufflat, obseruansque
 euolantes deuorat. Atque illi ab apibus nihil no-
 19 ceri potest: sed ab apiario interficitur. Quos fa-
 vos diximus inaequales fieri ab apibus improbis,
 hos aiunt nonnulli mellifices opus esse iuniorum.
 Esse enim etiam nonnullum imperitas. Eiusmodi vero
 esse anniculas. Haud aequae pungunt iuuentulae.
 Idcirco gestantur emissa examina: quippe quae
 ex iuuentulis sunt. Cum mel defuit, fucos eiiciunt:
 tuncque apponuntur eis ficus et alia dulcia. Apes
 maiores natu intus opus faciunt: suntque hirtiores
 20 ea de causa, quia non exeunt. Iuniores, quae
 opus sunt, important, suntque glabriores: et fucos
 occidunt, cum locus angustior est operantibus:
 agitant enim in aluei recessu. Cum alueus quidam

morbo laboraret, inuaserant ipsum peregrinae apes quaedam: quae conserta pugna cum vicissent, egerebant mel. Verum eas apiarius cum necaret, illae aliae egressae viciscebantur, nec hominem percutiebant. Aluearia sana potissimum incidunt²⁰ in aegritudines tam alias quam in clerum. Oriuntur enim in pavimento vermiculi, quibus crescentibus tanquam araneis obducitur alueus totus fauique putrescunt. Est et alia aegritudo, quasi vernus apum et foetor aluearis. Pastus apum thymus. Praestantius album rubente. Locus in aestu minus quam tepidus: in hieme tepidus. Maxime aegrotant, cum de rubiginosa materia opus faciunt. Spirante vento magno lapillum gestant secum, tan-²¹quam aduersus flatum saburram. Si propè sit fluuius, non aliunde potant, deposito prius onere. Sin minus, aliunde potu hausto, mel vomunt, (resumunt?) ac subinde ad opus eunt. Conficiendi mellis duo tempora, ver et autumnus. Suauius et candidius et in summa praestantius est vernum autumnali. Mel commendabilius ex noua cera nouelloque germinè. Rufum turpius est ob fauum. Vitiatum enim sicut vinum in vase. Idcirco oportet ipsum (*excoquere et*) resiccarè. Cum florente thymo replentur faui, id mel non concrecit. Est pulchrum et praestans aurei coloris. Album autem

non ex thymo sincero, commendatur ad oculos et ulcera. Mellis quod minus valet, fluitat. Hoc oportet tollere. Quod purius est, subsidit. Erumpentibus floribus, (cum stirpes florent *Gaza*,) ceram conficiunt. Idcirco eo tempore ex alueo eximenda cera est. Statim enim operantur. Haec sunt, a quibus ferunt. Thymum, atractylis, melilotum, asphodclus, myrtus, phleus, agnus, spartum. Cum thymum elaborant, aquam miscent, priusquam fauos oblinant. Excrementa deiiciunt apes omnes aut egressae inter volandum aut vnum in fauum. Plus operis conficiunt paruae quam magnae, vt dictum est. Habent igitur alarum oras attritas, et colore atro sunt atque obustulato. Illae vero nitidae et sublustres, sicut mulieres otiosae.

23 Videntur apes oblectari plausu. Igitur testarum strepitu ac tinnitu aeris aiunt congregari in alueum. Non constat tamen, audiant nec ne, atque vtrum hoc prae voluptate an prae metu faciant. Mittunt in exilium tum cessatrices tum prodigas. Dispartitur suum cuique munus, vt dicebamus. Aliae mel faciunt, aliae foetum, alii erithacen. Nonnullae aedificant fauos: aliquae ferunt aquam in cellas ac melli admiscent: ceterae ad opus pergunt. Mane tantisper silent, dum vna excitarit edito murmure bis aut ter. Tum vero ad opus cunctae

enolant. Reuersae iterum fremunt primum, sed paulatim, minus minusque; donèc vna circumvolans bombum edit, tanquam signo dato dormiendi. Atque inde extemplo conticescunt. Bene va-²⁴ lentis examinis signum est sonitus multus et motus exeuntium atque ingredientium. Tunc enim foctus operantur. Potissimum esuriunt, (laborant *alii Codices*,) cum exacta iam hieme opus incipiunt. Segniores redduntur, si quis, cum castrat, plus mellis reliquerit. Verum pro multitudinis ratione in fauis relinquendum est: nam minus alacres item sunt ad opus, si minus relinquatur. Si alueus sit capacior, tunc quoque fiunt segniores. minus enim promptae sunt ad laborem. Castratur alueus singulis sextariis aut sesquisextario: si vero examen sit bene valens, aut binis sextariis aut quinis semisextariis. Ternis sextariis pauci. Ho-²⁵ stis apum ovis est, et vespae, quemadmodum supra dictum est. Venantur eas apiarii olla posita, inditisque in ca carnibus. Vbi multae inciderint, opertam in igne ponunt. Fuci si pauci insint, iuvant examen: efficiunt enim, vt studiosius operi incumbant. Praesagiunt tempestates atque imbres. Deprehensum id est ex eo, quod non prouolant, sed prope sereno adhuc versantur, neque ab eo dimouentur. Quo indicio nouere apiarii, eas ex-

26 pectare tempestatem. Cum autem pendent inter se in examine, indicium est futuri discessus. Verum aspergunt examini vinum dulce apiarii, cum id persenserunt. Serere oircum alueos conuenit pyros, fabas, herbam Medicam, herbam Syriam, faselos, (eruiliam *Gaza*,) myrtum, papauer, serpyllum, amygdalam. Ex apiariis sunt, qui in pastu suas cognoscunt, farina aspersa. Si uero appetat, aut si sit squalidus annus aut rubiginosus, minus foecundae sunt. Haec de apibus hactenus.

C A P. XXVIII. (vulgo XLI. Scaligero

C A P. LXV.)

Vesparum autem duo sunt genera. Quorum alterum ferum, rarum: gignitur enim in montibus; neque sub terra parit, sed in quercubus. Facie est maiore et oblongiore quam aliae. Varias omnes et aculeatae et valentiores. Ictus quoque earum maiorem dolorem affert quam illarum: aculeus enim pro portione his maior est. Hae igitur annum transigunt. Hieme enim videntur e quercubus caesis euolare. Viuunt hieme in latibulis. Degunt in truncis. Earum aliae sunt matricis, aliae operariae: quemadmodum etiam in mitioribus. Tam matricis quam operariae quae sit na-

tura, in genere mitiorum constabit. Sunt enim mitiorum quoque duo genera. Principes, quos 2
matrices vocant, et operariae. Maiores sunt principes et placidiores: et operariae ad biniatum non perueniunt, sed moriuntur omnes hieme praeuentae. Id adeo ex his constat. Nam appetente hieme obstupescunt ipsae. In bruma autem omnino non comparent. At principes, qui matrices cognominantur, tota hieme conspiciuntur, et sub terram conditi latent. Ab aratoribus enim et fossoribus multi principes per hiemem sunt conspecti: operariarum autem nulla. Vesparum generatio talis est. 3
Duces ubi cepere locum conspicuum, ineunte aestate fingunt fauos, et constituunt quae vespeta vocantur pusilla, puta quaternis ostiolis aut propemodum: in quibus vespae oriuntur, non autem matrices. Quibus adultis, de integro praeter superiores telas alias maiores construunt: atque his adultis, alias: adeo ut ad finem autumnii plurima et maxima vespeta sint. In quibus dux, quem matricem nominauimus, non amplius gignit vespas, sed matrices. Oriuntur hae grandiorum vermium specie in quatuor aut non multo pluribus inter se continuatis cellis in suprema vespeta parte. Cetera similis ratio his et ducibus, qui in fauis apium generantur. Ortis vespis operariis in fauis,

nihil amplius operis faciunt principes: sed operariae intro important eis cibum. Constat id ex eo, quod non amplius euolant duces; sed intus quiete
 4 degunt. Vtrum vero superioris anni duces, creatis nouis ducibus, cum [*alii Codices* occisi a] iunioribus vespis simili fato [*meliores Codices* et semper] intereant, an diutius queant viuere, nondum perspectum est. Neque vero senectam aut ducis aut ferarum vesparum aliosue tales in eis affectus nemo vidisse visus est. Est matrix lata et grauis et crassior, atque grandior, quam vespa: ad volandum inualidior, ob grauitatem. Non fere igitur volare longius queunt, sed in vespariis sedent, semper confingentes atque ordinantes domestica.
 5 Plurimis in vespariis matrices insunt. Verum dubitatur, aculeatae sint nec ne. Videntur tamen vt reges apum esse: verum neque exserere neque ferire. At vesparum aliae carent aculeo, vt fuci: aliae non carent. Quae carent, sunt minores et imbelliores, neque pugnant: aculeatae maiores et valentes. Atque has quidam vocant mares, illas aculeo carentes foeminas. Eae quae aculeos habent, sub hiemem amittere ipsos videntur. Verum nondum inuenimus, qui ipse vidisse testaretur.
 6 Oriuntur annis squallentibus et locis asperis potius vespae. Oriuntur vero sub terra. Fauos conficiunt

ex festucis collectis (congerie *Gaza*) et terra, ab vno exordio singulos tanquam ab radice. Cibum sumunt (*carptim*) a floribus et fructibus quibusdam, plurimum autem ex animalibus. Visae sunt aliquae ex ceteris (*mitioribus*) etiam coeuntes. Ceterum aculeataene essent ambae, an non: earumue altera, nec ne, nondum perspectum est. Fero quoque in genere coeuntes animaduersae sunt, quarum altera aculeo armata esset: de altera non constabat. Foetus tamen non videtur ex partu procreari, sed statim maior esse, quam vt vespae sit partus. Cor- 7
reptam pedibus vespam si quis permittat, vt strepat alis, eae quae aculeo carent, aduolant: aculeatae vero non aduolant. Qua vtuntur coniectura, vt illae foeminae sint, hi mares. In antris hieme capiuntur quaedam aculeatae: quaedam carentes aculeo. Sunt quae vesparia (fauos *Scaliger*) parua et pauca condant: aliae plura et ampliora. Magna pars matricum capitur a solstitio (*vulgo* procedente anno) circa vltimos. Legunt enim viscida et gummosa. Matricum prouentus alicubi fuit, cum anno superiore vesparum frequentia fuisset et imbrium. Capiuntur locis praeruptis et rimis terrae rectis. Atque omnes deprehenduntur esse aculeati. Haec vesparum ratio est.

C A P. XXIX. (vulgo XLII. Scaligero
C A P. LXVI.)

- Crabrones autem viuunt non legentes flores; vt apes, sed carnem vorant. Idcirco in finetis versantur: venantur enim grandes muscas. Quas vbi ceperint, amputato capite auolant feruntque reliquum corpus. Appetunt autem etiam fructus dulces. Ac cibo quidem hoc vtuntur, quem diximus. Habent autem principes, apum more atque vesparum; qui proportionem crabronibus maiores sunt, quam vesparii vespis et apiarii apibus comparati.
- 2 Intus manent ii, sicut et duces vesparum. Sub terra examen constituunt crabrones, egesta humo, fornicarum more. Neque emittunt examina, vt apes; sicut neque vespaee. Sed accessione facta sobolis manent ibi, augentque alueum, egesta scobe. Fiunt sane examina magna. Iam enim quoddam cum commode valisset, cophini tres atque quatuor fauorum extracti sunt. Neque apum more cibum reponunt; sed latent hieme. Maxima tamen pars interit. An vero omnes moriantur, nondum constat. Plures vno duces non habent in caueis suis, sicut in alueis apes, qui apium examina distrahunt.
- 3 Crabrones si qui ab examine aberrarint, conuersi ad aliquam materiam, fauos aedificant. Cuiusmodi saepe videntur in superficie; atque in iis regem

vnum conficiunt. Is cum adoleuerit, exit et sobolem sumtam atque abductam in alueum secum ad habitandum collocat. De coitu crabronum nihil exploratum adhuc habemus: neque vnde foetus oriatur. Igitur inter apes aculeo carent tum fucitum reges ipsi: sed et vesparum quaedam non habent, quemadmodum supra dictum est. At crabrones omnes habere compertum est. Tantum de principe adhuc, habeat nec ne is, accuratius inquirendum est.

C A P. XXX. (vulgo XLIII. Scaligero
C A P. LXVII.)

Bombylii (bombyces *Gazae et Scaligero*) sub saxis pariunt super terra, cellulis binis aut paulo pluribus. Inuenitur autem in his etiam mel quoddam improbum inchoatum. [*Scaligero* Cap. LXVIII.] Tenthredo autem crabroni similis: sed varia et lata, sicut apis. Liguritrix haec, et macella sectatur. Ad pisces quoque atque eiusmodi cibos fruendos singularis aduolat. Parit sub terra, vt vespae. Foecunda quoque est, et nidus eius multo maior quam vesparum: etiam longior est. Talia sunt quae de apum et vesparum et aliorum eiusmodi opere ac vita dicenda erant.

C A P. XXXI. (vulgo XLIV. Scaligero
C A P. LXIX.)

Moribus autem differunt animalia, vt supra dictum est, praesertim fortitudine et formidine: secundo loco mansuetudine et ferocia, etiam in genere ipsarum ferarum. Nam leo in pastu et esuriens acerbissimus est: satur autem mitissimus. Est animo minime suspicaci: nihil sane suspicatur. Et cum sociis educationis aut consuetudinis mirum in modum colludendi studiosus ac blandus. In venationibus nunquam palam fugit aut metuit. Quin etiam si prae venatorum multitudine subducere se conatur, lente et pedatim cedit, et subinde sese conuertens. Quod si quid siluae densioris nactus sit, fugit celeriter, donec in loco aperto sit. Tum vero de integro pedetentim subducit sese. In locis patentibus palam propter multitudinem si cogatur, currit contento cursu, nec salit. Eius sane cursus continuatus atque porrectus est, sicut canum. At cum sectatur ipse, iniicit sese, cum prope praedam est. Vera etiam sunt, quae narrantur de igni, quem ille metuit. Quemadmodum cecinit Homerus: *ardentesque faces, quas metuit, tametsi incitatus sit ad impressionem faciendam.* Tum hoc, ab eo obseruari atque impeti illum, a quo ictus sit. Quod si quis iaculatus eum tamen

non percusserit, impetu in illum facto si comprehenderit, nulla iniuria afficit, neque nocet vnguibus, sed excussum atque perterrefactum ab se dimittit. Potissimum cum vetuli sunt, neque valent ob senium venari, dentesque male affecti sunt, accedunt ad vrbes, atque homines afficiunt iniuria. Viuunt annos multos. Iam enim captus leo claudus inuentus est habere dentes fractos: quo argumento eos diu viuere coniectabant. Neque enim nisi longaeuo id euenire potuisse. Leonum genera duo: 3
alterum rotundius et iuba crispior, idque timidius: alterum longius, iuba spissa, fortius. Fugiunt interdum leones demissa cauda, vt canes. Visus est leo, qui aggressus suem, vbi animaduertit sese defendentem et setis contra horrentem, fugerit. Cetero tempore ictus excipere potest multos. Illorum parte sustinere non potest. Capite firmissimo est. Quaecunq; momorderit aut vnguibus vulnerauerit, ex iis vulneribus sanies fluit pallida valde, quamque de fasciis atque spongiis nihil valeat eluere. Eorum cura eadem quae morsus rabidi canis. [Cap. LXX. Scaligero.] Thoës quoque 4
homines diligunt: neque eis afferunt iniuriam, neque eos valde metuunt: at cum canibus et leonibus bellum gerunt. Quo fit, vt in iisdem locis non degant. Praestantissimi parui sunt. Eorum genera

namque duo tradunt quidam: alii tria: neque plura putant. Verum quemadmodum piscium auiumque atque etiam quadrupedum quaedam; sic certis temporibus thoes mutantur: atque alium colorem habent hieme, alium aestate. Atque aestate quidem glabrescunt, hieme vero pilosi sunt.

C A P. XXXII. (vulgo XLV. Scaligero

C A P. LXXI.)

: Bonassus nascitur in Paeoniae monte Messapio, qui separat Paeoniam a Maedica regione. Vocant eum Paeones Monapum. Tauri est magnitudine: sed est boue crassior: neque enim longus est. Eius corium distentum occupat spatium quantum satis est septem lectis cotiuuarum. Ceterum species bovis est, nisi quod habet iubam ad summos vsque armos, sicut equus, villo tamen molliore et magis adstricto, quam est equi: colore fuluo. Iuba autem proluxa et densa vsque ad oculos pertingit. Color pilorum inter cinereum et rufum; non qualis equarum; quas parvas vocant, sed squallidior; pilus inferior lanaceus. Atri aut gilui vehementer nulli sunt. Vocem similem boui habet: cornua autem curua, et aduerso inter se flexu curua, atque inutilia ad pugnam: magnitudine palmi aut non multo longiora: crassitudine singulis quanta

capere possit non multo minus semisextario. Nigredo autem pulchra et nitida cornuum est. Antiae (*capronae*) vero ad oculos vsque pertinent, ita vt in latus potius quam antrorsum prospicere videantur posse. Superioribus caret dentibus, sicut et hos et alia cornigera omnia. Crura autem hirta. Et est bisulcus. Caudam habet minorem quam prosna magnitudine, similem tamen bubulae. Spargit puluerem et terram fodit, tauri more. Corium est aduersus ictus validum. Carne est suauis: idcirco etiam venantur. Percussus fugit: delassatus subsistit. Tuetur sese calcibus et stercore, quod ab sese quaternis passibus eiaculatur: cuius vsum facilem et promptum habet: et saepe canes insequentes adurit, ita vt eorum pili absumantur. Perturbati igitur atque perterriti potest hoc efficere stercus: pacati non adurit. Ferae facies ac natura talis est. Imminente autem tempore pariendi, vniuersi in montibus parium: ac priusquam sobolem edant, circum locum alium exonerant, tanquam ponentes munimentum. Erant enim fesa haec largam quandam copiam excrementi huius.

C. A. P. XXXIII. (vulgo XLVI. Scaligero)

C. A. P. LXXII.)

Ferarum omnium maxime curatur elephantes

ac mitescit. Nam et instituitur, et intelligit. Docetur namque etiam regem (*Persarum*) adorare. Sensuum et ceterae intellectiois vi praestat. Quam inierit atque implevit, non iterum attingit. Vivere aiunt elephantum annos alii ducentos, alii centum viginti, et foeminam tot paene quot mas. Vigere circiter anno suae aetatis sexagesimo. Hiemis ac frigoris esse impatientem. Fluviis animal hoc libenter accolit; non tamen fluviatile est. Ingitur vero per aquam eo usque procedens, dum eius nares extent: his enim et flat et respirat. Nare vero non facile quit ob corporis vastitatem.

C A P. XXXIV. (vulgo XLVII. Scaligero

C A P. LXXIII.)

Cameli non ineunt matres: etiamsi cogantur, nolunt. Olim enim camelarius, cum egeret admissario, pullum admisit ad matrem, tectam operimento: qui cum coitu peracto descendisset, cognovit quacum rem habuerit, et paulo post morsu perorigam interfecit. Ferunt etiam Scytharum regi fuisse equam generosam, ex qua editos equos omnes fuisse bonos. Horum praestantissimum cum vellet facere ut ex matre procrearet, adductum, ut coiret: illum, cum primum recusaret, opertam mox ignarum iniisse matrem. Verum peracto coitu, at-

que detracto de facie operimento, matre agnita au-
fugisse, atque e rupibus sese praecipitem dedisse.

C A P. XXXV. (vulgo XLVIII. Scaligero
C A P. LXXIV.)

In genere marino multa feruntur exempla de
mansuetudine et mitibus delphinorum moribus.
Narrant enim amores eorum erga pueros atque de-
sideria, circa Tarentum et Cariam et alia loca. Ad
terram Cariam delphino capto atque saucio, grex
dicitur conuenisse delphinorum in portum, donec
eum piscator dimiserit. Tunc vero retro omnes
reuersi sunt. Delphin illos quoque semper quis-
piam e grandioribus custodiae gratia comitatur.
Conspectus est olim delphinorum et maiorum si-
mul et minorum grex: post hos delphini quidam
duo non magno interuallo apparuere delphinillum
defunctum labentem in profundum subeuntes nando
atque subleuantes dorso, quasi ducti misericordia,
ne qua a bellua deuoraretur. De eorum quoque 2
celeritate supra fidem est quod narrant. Omnium
enim animalium tum aquatiliu[m] tum terrestriu[m]
pernicissimum esse existimatur. Maiorum etiam
nauigiorum transiliunt vela. Id potissimum euenit
ipsis, cum cibi gratia piscem quempiam insectantur.
Fugientem enim eum vrgent in profundum vsque

fame coacti, et si reuersionis tractus magnus sit, spiritum continent, quasi computantes rationem spatii, et collectis viribus sagittae celeritate feruntur, dum student transmittere spatium, vt respirare queant, et superant vela, si forte offendant nauigia. Hoc faciunt etiam vrinatores, cum sese in profundum demiserint: totis enim viribus, cum reuertuntur, emergunt. Degunt inter se coniugia, mares simul et feminae. Dubitant de ipsis, quae sit ratio, quare in terram erumpant et impingant. Aiunt enim, nullo discrimine temporum facere eos id, etiam nulla de caussa.

C A P. XXXVI. (vulgo XLIX. Scaligero
C A P. LXXV.)

Quemadmodum autem omnibus animantibus affectus animi tales sunt, quales actiones: sic rursus mores quoque mutantur secundum actiones: quin etiam saepe membra quaedam. Id quod in auibus contingit. Gallinae enim cum vicerint gallos, cucuriunt, maresque imitando subagitare conantur. Attollitur etiam crista ipsis, simul et clunes; (vropygium) adeo vt non iam facile dignoscantur, an foeminae sint. Quibusdam etiam calcaria parua surriguntur. Iam vero mares quidam visi sunt, amissa gallina, ipsimet matris curam

mpendere pullis: eos etiam circumducere et enutrire ita, vt non amplius cucuriant aut veneri operam dent. Quidam vero galli adeo effeminati noscuntur, vt neque cucuriant, neque inire aggrediantur, et ineuntes alios patientur. [Vulgo sequebatur sectio nostra quarta.] Multae aues mutant per tempora anni tum colorem tum vocem. Vt merula ex nigra rufescit. Cohibet etiam vocem. Nam aestate canit: hieme strepit et tumultuose vocatur. Mutat etiam turdus colorem: hieme cinereo colore: aestate vario circa collum: vocem tamen nunquam mutat. Luscinia cantat quidem continuatis diebus ac noctibus quindecim, cum montes iam vestiuntur. Deinde canit quidem, sed interpellatim. Aestate procedente aliam emittit vocem, verum non amplius omnimodam; neque celerem, neque inflexam, (modulatam *Gaza*;) sed simplicem. Colorem quoque alium induit: et in Italia tunc alio vocatur nomine. Videtur non diu: latet enim. Etiam qui erithaci (rubeculae *Gazae*) et qui phoenicuri (rubicillae *Gazae*) dicuntur, inter se commutantur. Est erithacus hiemalis, phoenicurus aestiuus. Differunt sane, vt ita dicam, nihilo, nisi colore tantum. Similiter et ficedulae et melancoryphi: inter se enim transmutantur. Est ficedula autumnii tempore: melancoryphus

statim post autumnum. Ne hi quidem differunt nisi colore et voce. Eandem vero esse auem constat; cum vtrumque genus hoc mutationis tempore obseruarunt. Cum enim nondum mutationem integram obsoluisset, neque alterius speciem assumsisset, vtrique suberat aliquid proprii. Nihil vero mirum, in his si voces et colores immutantur. Nam etiam palumbes hieme vocem edunt nullam, nihi si quando saeuam hiemem tepor exceperit. Tunc quidem vocem emisit, non sine peritorum miraculo. Si simul cum vere incipit vocem dare. In summa aues et maxime et plurimum vocalantur

⁴ tempore coitus. [Vulgo sectio 2.] Mutat et cucus colorum. Vocem minus explanat, cum futurum est, vt amplius non compareat. Abit autem sub cane. Ostendit sese a vere incipiens ad canis exortum vsque. Abdit sese ea quoque, quam oenanthem (viti feram *Gaza*) vocant, exortu sideris eiusdem: occidente ostendit se. Vitat autem interdum frigus, interdum aestum. Mutat etiam vpupa colorem et faciem, sicut in poemate Aeschyli est: *Epopa hunc, spectatorem suorum ipsius malorum, varium fecit, atque auem audacem petricolam armis insigniuit. Is vere nouo penas quatit circi: (nam duas ab vno ortu formas nouellus et adultus induet;)* cum vero scges ado-

leuerit, variae eum rursus pennae amiciunt. Semper autem odio horum Pallenae locorum longe hinc in nemora et montes migrabit. Aues ⁵ quaedam sese puluerant, quaedam lauant, quaedam neutrum faciunt. Quaecunque non multum valent volatu, sed humilius degunt, pulueratione gaudent, vt gallina, perdix, attagen, alauda, phasianus. Item ex iis quae rectis vnguibus praeditae sunt quaedam: tum omnes quae fluuium aut paludem aut mare accolunt, lauacris gaudent. Aliae vtrumque faciunt, et puluerantur et lauantur: vt columba et passer. Vncunguium autem multae neutrum. Atque haec quidem ita se habent. [Cap. LXXVIII. Scaligero.] Proprium autem quarundam auicularum edere sonum ex aluo. Quod etiam euenit turturibus. Agitantur etiam orae sedis vehementer, simul ac vocem edunt.

C A P. XXXVII. (vulgo L. Scaligero
C A P. LXXIX.)

Mutantur animalium quorundam non solum figurae et mores per aetatem et anni tempora, sed etiam cum castrantur. Castrantur autem animalia quae testes habent. Habent autem aues intus testes, et quadrupedes ouiparae, ad lumbos scilicet. At quae animal pariunt et soli beneficio vtuntur ad

ingressum, maxima pars foris, cetera intus. Omnia autem ad partem ventris vltimam. Castrantur autem aues (galli) ad clunes, (vropygium,) qua parte conquiniscunt coeuntes. Quem locum si quis ferramentis binis ternisue vsserit, et gallus adultus fuerit, tum crista pallescit, neque amplius cucurrit, neque venerem tentat. Si autem pullus sit, vbi creuerit, nihil horum omnino ei contingit. Idem modus etiam in hominibus. Si quis enim puerili aetate sic mutiletur, neque oriuntur pili, qui nobis natis postea prouenire consueuere: neque mutatur vox, sed acuta durat. Si vero puber sit, ii quos diximus pili deficiunt, praeterquam qui in pube sunt: quanquam ii quoque, etsi manent, tamen fiunt rariores. Pili autem connati non abeunt. Nullus enim eunuchus caluescit. Mutatur etiam vox in quadrupedibus omnibus excis, [aut alio vitio effeminatis.] Quadrupedes igitur aliae, nisi iuenculae castrantur, vitiantur. In solo aprorum genere nihil refert. Quae prima aetate castrantur, et maiora et nitidiora euadunt non castratis. Si autem aetate stata castrantur, non amplius crescunt. Cerui, qui nondum per aetatem cornua habuerunt, si castrantur, non amplius edunt cornua: sin tunc, cum ipsa habent, excantur, cornuum magnitudo eadem durat; neque

ea abiiciunt. Vituli igitur anniculi castrantur: alioqui turpiores et minores euadunt iuueni. Modus castrandi is est. [*Codices sic: euadunt. Iuueni autem ita castrantur.*] Reclinantes et scrotum incidentes deorsum testes extringunt. Deinde radices, quammaxime possunt, sursum contrahunt. Incisuram villis stipant, vt sanies exire possit. Quod si inflammentur, scrotum vstulantes conspergunt. Tauri adulti si castrentur, atque illico admittantur, possunt inire, quantum quidem apparet. Exsecatur etiam vulua (capria) scropharum, ita vt non amplius coire opus habeant, sed breui tempore pinguescant. Igitur biduum cum ieiunarint, appensa pernis posterioribus, secatur sumen: qua potissimum parte maribus testes sunt. Ibi enim matricibus adnata est (adiacet) capria: (apria *Gazae*;) vnde paululum abscindentes consuunt. Castrantur etiam in genere camelorum foeminae, cum earum vsum in bello quaerunt, ne praegnantibus fiant. Earum numerum possident aliqui in Asia superiore etiam ad trium millium. Currunt multo celerius quam Nisaei equi, qui in cursum incitantur, propter magnitudinem passus porrectioris. Omnino longiora fiunt castrata quam non castrata. [Cap. LXXX. Scaligero.] Animalia, quibus ruminare in more est, proficiunt

delectanturque non minus in ruminando quam edendo. (nihiloque secius ruminant, quam mandunt *Scaliger*.) Ruminant tantum altera dentata maxilla, vt boues et oues et caprae. In feris nondum perspectum est, quae nobiscum non aluntur aliquando: cuiusmodi ceruus est. Etenim is ruminat. Omnia autem iacendo potius ruminant, Maxime vero hiberno tempore. Quaedam aluntur, septem fere menses hoc faciunt. Greges autem minus et minus temporis ruminant, propterea quod aluntur
 7 foris. Ruminant etiam quaedam, quae vtraque maxilla dentata sunt: vt mures Pontici, et pisces, et quem (*Gaza* piscem quem) idcirco ruminacem (*Gaza* ruminalem) vocant. [Cap. LXXXI, *Scaligero*.] Animalia longis praedita cruribus aluum vdam habent. Quibus latum pectus, facilius vomunt, et in quadrupedibus et in auibus et in hominibus magna ex parte;

[*Decimi libri, qui vulgo fertur, versionem Scaligerianam omisimus, cum liber ipse manifesto sit supposititiuus, et ab historia de animalibus paenetotus alienus. Quippe est de causis sterilitatis. Praeterea versio Scaligeri plurimis in locis non solum a veritate aberrat, sed etiam a nostrae editionis scriptura discrepat.*]

ARISTOTELIS
QVI FALSO DICTVR
DE ANIMALIBVS HISTORIAE LIBER
DECIMVS E VERSIONE ALBERTI
COGNOMINE MAGNI.

Incipit liber decimus animalium, qui est de impedimentis generationis. Caput I. de dispositionibus matricis, quas impediunt conceptionem. (Cap. I, 1.) Coitus autem est res, quae accidit tam viris quam mulieribus omnibus, non paucis quae arotae sunt. Viri autem quidam licet sint impotentes et forte ex calido consumente humidum aut frigidum, quod materiam constringit, tamen mulier, quia non semper coit emittendo, sed etiam alias habet coitus delectationes, semper parata est ad coitum. In his enim patitur et non agit: et ideo virtute agente non indiget. Quamuis autem sic coire conueniat tam viris quam mulieribus, tamen non semper consequitur generatio propter sterilitatem vtriusque, et viri et mulieris, aut forte alterius eorum. Et tunc si multum vtantur coitu, tamen non generabunt: et causa, sicut diximus, est aliquando ex vtroque, et aliquando ex altero. Propter quod in tali vitio prius considerata est matrix feminae: et si causa sterilitatis fuerit ex matrice, tunc oportet nos succurrere

per medicinam matricis. Si autem causa non est ex matrice, sed ex aliquo alio, sicut spermate vel menstruo, tunc intendemus illud, cuius causa accidit sterilitas, rectificare per medicinam. Matricem autem iudicabimus sanam sicut et alia membra sana iudicantur; quoniam quando membrum complet opus suum et officium sine diminutione et sine sua magna post opus suum debilitatione, tunc iudicatur esse sanum: verbi gratia, oculus dicitur esse sanus, quando nulla laesione existente in ipso visum in actu perficit bonum, et non multum lassatur et debilitatur post videre. Similiter ergo et matrix sana vocabitur, quando nulla in ea existente debilitate opus suum bene perficit, et post completionem operis non est destituta et multum lassata. (Cap. I, 2.) Possibile tamen est, ut aliqua matrix non sit sana in toto, et tamen bene perficit opus suum sine nocumento et diminutione: et fit hoc plurimum, quando infirmitas non est in tota matrice, sed in aliqua parte ipsius opus suum non impedit. Non enim improbable est, videre oculum visu bono, quamvis laesa sit aliqua partium ipsius, si sit aliqua macula in quadam partium ipsius, quae non prohibet ipsum videre. Hoc tamen nunquam accidit, nisi quando infirmitatis occasio non quidem est in parte nobili oculi, ex qua elicitur operatio bona, sed in aliqua alia operationem non impediente. Simile autem iudicium per omnia est de matrice. Matrix igitur per omnia sana debet primo quidem sita esse in loco qui competit ei secundum naturam positionis membrorum ad facile concipere, et bene conceptum tenere, ita quod situs eius non sit diuersus in partibus, ita quod una pars ipsius forte nimis est profunda et alta, et altera demissa in inguen. Erit etiam quandoque matrix remota a loco positionis suae naturalis aut in altum aut in imum aut in transversum absque omni infirmitate et defectu substantiae matricis. Quod autem matrix debeat esse sita in loco conuenienti, ex hoc notum esse poterit, quoniam

si matrix fuerit longinqua a loco, a quo poterit trahere sperma, sicut sunt profundae multum matricēs, non traheret sperma, et accidit impedimentum sui operis. Si autem fuerit multum propinqua plus quam expediat, sicut sunt descendentes in collum vulvae matricēs, erit matrix ex tactu nimio et compressione quasi insensibilis: et tunc iterum sperma non trahit, et accidit sterilitas, quia quando est insensibilis, non cito aperitur ad sugendum sperma. (Cap. I, 3.) Si autem substantia matricis sana sit, et situs eius conueniens, adhuc considerandum est in menstruo sanguine; quod ipsum etiam fluat secundum dispositiones bonas et vtilēs ad conceptum: quod videlicet ordinate fluat secundum aequalia tempora, in quibus a luna causatur fluxus eius. Praecipue autem opus est consideratione menstrui, quando corpore sano et matrice in loco et in substantia bene disposita non fit conceptus: quoniam si ista sic se habent, certissime scitur, quod matrix est secundum quod dicitur esse in apertione susceptionis spermatis et retentione ipsius: et ideo sterilitas non est in ipsa, sed in menstruo. Quando enim menstruum suas multiplicat revolutiones, et reuertitur citius vel tardius quam debet, aut etiam quando inordinanter fluit non expectans tempus revolutionis lunae, sed modo venit citius et modo tardius: etsi cum hoc fuerit corpus sanum: tunc oportet intueri colorem menstrui sanguinis. Si enim color eius mutatus fuerit a colore naturali, scimus manifeste causam inordinati fluxus eius esse in matrice. Orificia enim venarum, quae sunt in matrice, tunc aperta sunt, et inobservato ordine immaturum sanguinem emittunt. Aliquando autem hoc accidit sine dolore, et aliquando cum dolore. (Cap. II, 3.) In statu autem naturalis dispositionis debet orificium matricis esse siccum, sed non durum, et quod in ista dispositione remaneat media die ad minus: et melius erit, si vna die vel duabus sic remaneat. Quando enim sic fuerit, significat bonae dispositionis esse matri-

cem quoad profusionem menstrui, et quod opus eius possit quoad hanc conditionem esse completum. Si autem orificium matricis forte non fuerit apertum in tempore conuenienti, sed sit valde molle et flexibile, significat, quod cum debilitate matricis totum sit corpus debile et fluens humore corrupto: et ideo conuenit multam superfluitatem emundari ab ipsa; quia aliter, quamuis forte molle et humidum matricis orificium sit bonae et facilis apertionis, tamen tunc non bene tenet conceptum sperma, sed facile emittit ipsum. Hoc enim signum est, quod orificium est bonae receptionis, et si adiutum fuerit per sanitatem corporis, a superfluo humore tunc magis exsiccabitur matricis orificium: et tunc matrix talis et bona sperma recipit receptione, et postea bene constringitur orificium bona constrictione super receptum: et sic bene retinebitur conceptum: et his duobus perficitur impraegnatio quantum ad statum matricis. (Cap. III, 1.) Dispositiones autem matricis post emundationem a superfluo menstrui sunt istae. Signum enim facilis conceptus est, quod mulier post emundationem menstrui somniat virum coire secum et leuiter in ipsam proiicere sperma, sicut proiicitur in coitu vigilando. Et si hoc multotiens somniaverit, melius erit et perfectius signum: hoc enim signum causam habet in muliere descensum sui humoris et quod facile occurrat in coitu spermati viri: quae potissima est causa impraegnationis. Postquam autem de somnio tali expergefata est, debet indigere, vt faciat hoc quod mulieres faciunt, quando appropinquat descensus spermatis, hoc est, vt faciat confricationem, per quam sperma eiicitur, quod iam est in via vasorum seminariarum. Vulua autem aliquotiens illo tempore debet apparere siccior; non quidem post somnium tale, eo quod tunc humidam habet vuluam propter eam quae in somno facta est pollutionem: sed post hoc et ante hoc significat bonam matricis retentionem. Siccetur ergo post somnium infra sex

horas ad minus, hoc est vsque post (ad *Lugd.*) meridiem vel modicum somnii vel minus. Adhuc autem humor, quem emittit in pollutione, debet esse maturus, albus et viscosus, sicut humor qui vocatur in muliere sperma coitus. Alius enim humor medius inter aquam et sperma aliquando emittitur, qui significat, aquosum esse semen et inutile ad generationem. Omnia igitur haec signa concurrentia significant, quod matrix sperma bene parata est recipere, et quod ora coctilidonum quae sunt in matricis superficie interiori, quae non est aequalis et plana, bonae sunt attractionis. Et si coniungetur eis sperma, bene tenebunt et bene nutrient ipsum: nec a tali matrice facile exit semen conceptum, nisi voluntarie per violentiam saltus vel medicinae eiiciatur. (Cap. III, 2.) Signum etiam bonae matricis est, quod accidat in ipsa aliquando modicus tumor sine dolore, sicut accidit in ventre ex ventositate: hoc enim signum est, quod in ipsam destillat semen mulieris et resolvitur in ventositatem, eo quod non est coniunctum spermati viri: et ideo si adueniat sperma viri tali matrici, facilis erit conceptus. Tumor autem talis debet accidere sine infirmitate: quoniam si infirmitatem induceret, hoc nimiam significaret matricis clausuram, ex qua ventositas expirare non posset. Omnia ergo ista concurrentia significant matrices esse laudabilis dispositionis, et quod non sint magis durae quam debeant, neque flexibiles plus quam oporteat naturali dispositione, quae a nativitate habetur, aut etiam ea, quae per infirmitatem est contracta. Debent etiam matrices, quando sperma receperunt, esse extensibiles et ampliabiles secundum quantitatem, quam recipit spermatis conceptus, ut dent ei locum augmenti. Quae enim nimis parvae sunt, destruunt conceptum, et sunt causa, quare non venit ad debitam quantitatem, sed forte erit nanus. Si autem tales non fuerint matrices, sed sint valde durae aut nimis molles aut forte insensibiles, aive habeant istas dispositiones a nativitate

aut ex infirmitate, tunc erunt illaudabilis dispositionis: et ideo non possunt creare embrionem, sed corrumpunt conceptum sperma et eiiciunt, si sint istae occasiones infirmitatum magnae in ipsis. Si autem sint paruae, concipiunt quidem et creant conceptum, sed erit infirmus et aegrotatiuus, ad periodum suae speciei conuenientem non perueniens: et hoc ideo est, quia cibantur ex vase malo et corrupto in matrice. (Cap. III, 3.) Adhuc autem in laudabili matrice partes dextrae et sinistrae, vbi sunt dae partes (camerae *Lugd.*) matricis, debent esse mollis tactus, et partes residuae similiter; quia aliter confringerent filositatem et viscositatem spermatis. Adhuc autem signum concipientis matricis est, quod, quando vir coierit cum muliere, inter eos non sit multa humiditas neque multotiens effluens, sed semel post coitum, ita quod sit sicut humiditas sudoris, qui accidit in locis genitalibus. Hoc enim signum est, quod glandulosum et viscosum sugatur a matrice et non effluat nisi modicum aquosi humoris, qui inutilis est ad generationem. Dico autem, quod ait sicut humiditas sudoris: membra enim genitalia saepissime resudant, eo quod vaporosa sint, praecipue in cibo, quando interiora calefiunt, et ad exteriora propellunt humorem. Tunc enim propter aperturam pororum et viarum in inguine plus aliis membris resudant genitalia. Resudant autem haec membra facilius aliis in labore, et praecipue in labore coitus: nec est mirum hoc, quia etiam oculi, qui frigidissimi sunt omnium membrorum corporis, in paruo labore: quando videlicet vident album multum lucidum, lacrimantur. Patiuntur enim facile membra genitalia a frigore forti et a calore forti (et a calore forti *omissit Lugd.*) propter neruositatem, quae est in eis. Sudant autem praecipue genitalia in his, in quibus sunt humida a complexione naturali: et similiter faciunt matricis humidae post laborem coitus. Quando ergo ex complexione sunt humidae, efficiuntur magis humidae per sudorem ex:

labore coitus: et forte accidit hoc aliquando mulieribus, quae sunt laudabilis dispositionis secundum complexionem naturalem: et ideo indigent medicina matricem exsiccante, sed magis et minus secundum quod sunt abundantes in humore magis et minus. Aliquando enim in quibusdam mulieribus inuenitur tanta huiusmodi humiditas, quod nimia lubricitate matricis non possunt attrahere sperma viri, nisi admisceatur cum humore alio, qui est sperma mulieris, antequam permisceatur cum sudore matricis. Admixtum enim cum spermate mulieris conuoluitur et non miscetur sudori de facili. (Cap. III, 4.) Amplius autem in muliere, quae potest impraegnari, considerandum est, vtrum expergefacta post pollutionem in somno factam sit debilis vel fortis: et si est debilis, vtrum talis debilitas accidat ei semper post pollutionem, aut non, sed aliquando sit et aliquando non. Et similiter si est fortis post pollutionem, quaeremus aut (*an?*) hoc semper accidat ei, aut aliquando: et considerabimus etiam, vtrum humiditate praecedente in pollutione sequatur postea corporis nimia siccitas, aut e conuerso sit, quod videlicet non sequatur complexionis siccitas post pollutionem: quoniam si sequatur debilitas et complexionalis siccitas, signum est, ipsam esse nimis siccam, et de necessario ad consistentiam corporis emisisse in pollutione: et ideo non esse foecundam secundum naturam, quia non habet quod ponat in semine. Opposita autem istorum sunt laudabilia ad conceptum. Omnia ergo ista consideranda sunt in muliere quae est foecunda ad partum. Flexibilitas autem matricis et debilitas significant matricem spermam conceptum non retinere. Si autem matrix dolorosa fuerit, et corpus praeterea mulier languens dolorosum habeat, significatur infirmitas concipiendi, et quod impraegnari mulier talis non possit. Et quando mulier fuerit aliquando quidem fortis et aliquando debilis, et matrix eius est primo sicca et postea humectatur, significatur totum corpus mulieris humidum esse, et quod.

matrix bene quidem recipit sperma, sed ex humore superueniente corrumpit ipsum et postea eiicit. Amplius autem ex superius determinatis constat matricem attrahere sperma, quod in ipsam cum impulsu ventoso iniectum est, et quod mulier in coitu suam sperma eiicit ad orificium interius matricis, ad quam etiam suum sperma proiicit masculus. (Cap. III, 10.) Res autem omnes cum impulsu venti proiectae cum virtute quadam et impetu mouentur. Contingit autem saepius in muliere esse nimis impetuosam projectionem, ita quod per ipsam retunditur ad extra sperma viri, et impeditur impraegnatio. Oportet enim corpus tam mulieris quam matricis esse conueniens ad hoc quod matrix et concipiat et pariat. Accidit autem multas mulieres pati infirmitatem, quam hanemusam graeci vocant medici: quae est, quando matrix ventosa de sublimi sufflat inferius per os matricis et collum, sicut musa vel fistula. Oportet igitur per medicinas sollicitari ad remouendum a matrice accidens illud: aliter enim quotiescunque mulier talis cum viro coierit, exsufflabitur sperma viri et impediatur impraegnatio. Causa autem huius infirmitatis siccitas vehemens est matricis: tunc enim humiditatem proprii humoris aut spermatis mulieris attrahit et in ventum conuertit, et per illum exsufflat quicquid spermatis viri ad os eius proiicitur: et sic paulatim exsiccata, exsiccatur spermatis viri humiditas et minoratur per euentationem matricis: et tandem excidit in toto. Ventationem autem illam non in se sentit mulier propter paucitatem ipsius. Matrix autem, quando in ea haec aggrauatur infirmitas, tunc efficitur valde sicca, et tunc citius eiicit sperma, quam quando fuerit causa infirmitatis parua: et tunc non erit opinio etiam impraegnationis. Quando autem parua fuerit infirmitas propter temporalem retentionem spermatis, aliquotiens forte opinabitur mulier se concepisse, vsque dum sperma paulatina (paulatim a *Lugd.*) sufflatione eiicitur. In tali autem infirmitate matricis sae-

pe quidem eueniunt dolores subito ex inflante ventositate, sicut sunt dolores impraegnatarum; quoniam ventositas matricem eleuans pungit inguen ad exeundum nitens; aliquando etiam recepto spermate intra talem matricem, cum sperma in ventum resoluitur, fit tumida matrix, quod opinatur mulier, se esse impraegnatam, si diu ventositas intra matricem clausa teneatur. Stat autem iste tumor, donec ventus sperma quasi per aborsum eiiciat: et tunc residet venter conuersus ad dispositionem priorem. Et hoc accidens prioris infirmitatis graecorum medici vocant ragmoneon. Euenit autem matri dupliciter: ex infirmitate accidentali videlicet: et tunc leui tollitur medicamine: euenit etiam ex natiuitate: et tunc radicata infirmitas in principis naturalibus incurabilis est, aut vix potest curari. Signum autem, hanc infirmitatem non per naturam inesse matri; est, si aliquando matrix sperma recipit et tenet, et tamen non sequitur impraegnatio. Si enim per naturam inesset fortificata passio, aut sperma recipi non permetteret, aut receptum statim reiiceret. (Cap. IV, 1.) Amplius autem multotiens prohibetur impraegnatio propter spasmus, qui est in matrice. Spasmus autem in matrice accidere conuenit ex duabus causis: aut enim accidit ex apostemate calido malum humorem attrahente, et sic spasmane venas et neruos; sicut omne extensibile, quando multum trahitur in oircuitu in spissum, decurtationem patitur in sua longitudine; sicut si saccus de corio extensibili factus superimpleatur: illius enim statim longitudo contrahitur et decurtatur; quia substantia non sufficit duabus simul extensionibus. Alia de causa spasmatum matrix inanitione, quando multa humiditas fluxerit ex ipsa; sicut corium decurtatur et corrugatur ad ignem. Est enim matrix substantia neruosa extensibilis, sicut corium; et ideo etiam spasmus patitur, sicut corium. Tempore enim partus ex multis matricibus tantum effluit humoris, quod postea siccitas spermatis dominatur in ea. Et his duabus de causis

spasmus in matricibus inuenitur. Signum autem, spasmus in ea non esse, est, quod non sit ventosa, et quod perficiat opus suum inordinata menstruorum emissione. Ventosa enim est ex resolutio humido: cuius succedens contrarium facit spasmum ex inanitione humidi. Retentio autem menstrui signum est apostemationis, praecipue quando est cum dolore loci et calore febrili. Si autem in ea fuerit spasmus, nequaquam complebit opus suum, eo quod contractione neruorum, qui sunt in ipsa, impeditur. Amplius autem impraegnatio impeditur pustulis et verrucis in orificio matricis existentibus: et taliter patiens mulier semper laeditur in coitu: et sperma matrix eius non augit, praecipue quando a magno tempore durans iam chronica facta est aegritudo. Signum autem curationis huius aegritudinis delectatio est et non dolor coitus, et quod matrix aperitur et constringitur ad sperma secundum quod debet, et quod aperitur et clauditur secundum quod oportet in hora menstrui. (Cap. IV, 2.) Amplius autem impeditur impraegnatio ex nimia clausura orificii matricis. Accidit autem iste defectus a partu, quando nimis exsiccat matrix: aliquando autem ex infirmitate alia. In quibusdam enim infirmitatibus matrix multum sursum extenditur: et tunc os eius fortiter clauditur. In quibusdam autem infirmitatibus non quidem extenditur, sed corrugatur, et corrugatione sua praecludit orificium. Nec causa huius accidentis de facili cognoscitur, sed quod scitur, hoc est, quod, si matrix insanabilis ab hoc morbo sit, tunc nihil omnino recipit. Si autem recipere quidem potest sperma viri, sed deinde eicit ipsum, certum est infirmitatem ipsam sanabilem esse. Si autem nihil inductorum prohibuerit impraegnationem, et fuerint corpora mulierum sana, tunc procul dubio mulieres vtentes coitu impraegnantur, et filios procreabunt, nisi sit causa sterilitatis in viro aut in proportionem, quae est inter duo spermata, viri videlicet et mulieris.

C A P. II.

De impedimentis generationis, quas sunt ex parte viri coeuntis aut ex parte inconuenientiae duorum spermatum, viri videlicet et mulieris.

(Cap. IV, 2.) Accidit autem aliquando viro et mulieri vtentibus coitu non generare, nullo praedictorum impedimentorum existente in muliere: et loquimur hoc modo quo humor emissus a muliere sperma vocatur improprie: et tunc oportet quaerere signa sterilitatis, per quae sciantur, vtrum causa sterilitatis sit in viro vel non. (Cap. V.) Signum autem non esse in viro causam priuationis conceptus, est quando cum coit vir cum aliis mulieribus et concipiunt ex ipso: et tunc causa impedimenti neque est in viro secundam se, neque in muliere, sed quia spermata insimul non conueniunt in vnum locum et in eodem tempore proiecta. Notum enim est, quod ad conceptum necessarium est, quod spermata ambo conueniant ad locum vnum et eundem et in eodem tempore proiecta. Viro enim in coitu spermatico proiciente quasi in principio coitus, et muliere proiciente tarde quasi in fine coitus eiusdem, impeditur impraegnatio. Quando enim vnum spermatum separatum est ab alio, accidit tunc impraegnationem impediri tamdiu, quousque per aliquem coitum coniungantur ambo spermata. Idem autem genus impedimenti est, quando mulier in coitus principio est in libidinis desiderio et statim emittit sperma: vir autem non tantum desiderat, et ideo diu postea sperma emittit. Saepius tamen accidit, quod mulieres propter complexionalem frigiditatem tardius emittunt, postquam diu coitus durauit: et ideo, si vir tunc etiam est aut forte dolens aut frigidae complexionis, et ideo tarde postquam diu coierit emittens, horum spermata frequenter conueniunt et perficiunt impraegnationem. (Cap. III, 5.) Amplius autem mulieribus aliquando incipientibus somnare coitum viri, et viris postea secum in vigilia coeuntibus, accidit sanas esse, vt superius dixi-

mus: et hoc non semper est secundum fortitudinẽ corporis, sed secundum sanitatem matricis. Hoc autem præcipue somnium accidit in multiplicatione spermatis intra vasa seminaria: et huius signum est, quod per exitum talis spermatis ex eis non debilitantur: et præcipue quando loca seminis circa renes existentia multum in se haustum habent sperma. Accidit autem non debilitari corpus in emissione spermatis tunc maxime, quando sperma exiens non bonum fuerit. Simile autem accidit in his, qui valde plethora habent corpora. Sanius enim erit corpus eorum, quando superflus humor per coitum vel per pollutionem exierit. Si autem siccum sit corpus et indigeat humido, quod est in ipso, tunc debilitabitur per exitum ab eo humidi; sed tamen cito restaurabitur virtus, si corpus sanum fuerit per nutrimenti humidi et confortantis susceptionem, et præcipue ex his, quae sunt humiditatis restauratinae, (Cap. III, 6.) et præcipue in eo, qui est in ætate conuenienti ad spermatis generationem, quae est ætas iuventutis. Amplius autem et mulieres norunt hoc, quod conuenientia spermata faciunt imprægnationem: propter quod etiam non se reputant imprægnari per coitum aliquem, nisi se sentiant emittere sperma interim, dum viri sperma emittitur, scientes quod sperma quod facit imprægnationem ab utroque emittitur, hoc est a viro et muliere. Amplius autem accidit aliquando, quod tam vir quam mulier eiciunt plus de spermate quam oporteat, et ideo non totum potest remanere in matrice. Et quando matrix extraxerit de eo, quod sufficit, residuum ante orificium matricis remanebit, et tunc putant se aliquando imprægnatas non esse. (Cap. III, 7.) Abundantia autem spermatis aliquando proiici in vno et eodem coitu cognoscitur ex aliis animalibus, quae multos pariunt geminos concubitu vno. Cognoscitur etiam hoc ex partu geminorum in ipso homine, qui frequenter sunt ex vno concubitu, quoniam superabundat sperma. Patet enim non quemlibet gemi-

norum per se esse ex toto spermate, sed potius quiddam spermatis peruenit ad vnum aliquem locum matricis, et fit ex eo embrio vnicus, et quiddam ipsius peruenit ad alium locum matricis, et fit ex eo embrio alius, et sic nascuntur gemini. Amplius autem mulier eiicit sperma suum apud orificium suae matricis in locum, in quem eiicit ipsum vir: et cum ambo spermata cadunt in vnum, et tunc matrix attrahit ipsum vento in trahendo spiritum per modum sugentis: sicut os et nares spirantium attrahunt aerem. Omne autem membrum, quod hoc modo vento et attractione spiritus sugendo aliquid ad se trahit, in superiori parte sua habet concauitatem, in quam recipitur ventus intractus. (Cap. III, 8.) Ad concauum autem matricis vadit sperma collo matricis mediante, quod est inter os vuluae et orificium matricis intrinsecum, super quod est matricis concauitas. Hoc autem collum est loco virgae in masculis, sicut diximus in anatomia. Ventus autem sic attractus per collum matricis non stat in collo matricis, sed spargitur et diffunditur in concauo matricis per totum in introitu eius: propter quod etiam mulieres non longe mingunt sicut viri, quia nec virgam habent dependentem, neque etiam ventositatem impellentem longe, eo quod diffunditur in sacco matricis: sed exit fluens ab eis vrina prope crus, quando extrahunt eam. Hinc etiam est, quod quando sunt in desiderio et libidine magna coitus, non remanet matrix et vulua in dispositione, in qua erant ante coitus desiderium, sed potius inflantur et mouentur aperiendo et claudendo per vaporationem venti qui est in matrice. Exitus autem spermatis est mediante collo isto. Partes autem istae matricis superiores sunt ampliores, quam illae quae sunt prope collum matricis. Assimilatur enim collum matricis figurae nasi: nasus enim habet viam ad cannam, per quam est respiratio: et haec est arcta: et aliam partem viae habet ad aerem hauriendum, et illa est ampla. Similiter et collum matricis habet viam parua et

strictam, quae adiuuat in exitu venti de matrice: et habet aliam partem viae amplam magnam, sicut est in naso foramen extrinsecum: et haec via venit ad os vulvae exterius. Foramen enim naris, quod attrahit aerem extrinsecum, maius est foramine, quod habet versus os et cannam. Et similiter mulieres etiam habent illud foramen, quod est ante matricem, maius et magis amplum, quam sit foramen extrinsecum; quia illud est concauum matricis: et aliud est, per quod recipitur semen coitus. Sic enim dispositum valet conceptioni spermatis. (Cap. III, 9.) Haec igitur omnia sunt, quae oportet inquiri in causis impraegnationis et impedimentis eius. Cum enim multa sint, quae causant coitum, oportet etiam esse multa accidentia promouentia et impediencia generationem. Quaecunque enim communicant in causis, communicant etiam in accidentibus causarum illarum impediencia et promouentibus operationes ipsarum. Si enim homo per aestimationem prudentem inuestiget de causis mortis aut infirmitatis et aliorum, quaecunque nomine et ratione conueniunt istis, oportet ipsum peruenire ad primas causas ipsorum et accidentia, quae significant ea: et tunc erit perfectus medicus. Multae enim res, quae sunt circa corpora animalium, habent easdem causas; et multae habent diuersas: quas omnes oportet cognoscere, si diligens debeat adhiberi cura corporibus. Diuersitas enim causarum diuersitatem facit operationum in membris eiusdem. Oportet igitur, quod inquisitores causarum inquirant multitudinem causarum, quando multae sunt: aut inquirant paucitatem earum, quando paucae sunt. Si autem sunt res primae, quae sunt causae, et non habent causam, tunc non inquirant causam; quia aliter philosophia procederet in infinitum, quod esse non potest.

C A P. III.

Quod sperma feminae etiam quando non proficit generationi, est sperma vocatum.

(Cap. VI, 1.) Id autem quod etiam est de his quae impediunt conceptum in animalibus, est forte quod feminae non appetunt coitum: quoniam in aliis animalibus maxime videmus, quod quando feminae eorum appetunt coitum, tunc quaerunt mares, et vadunt ad eos: sicut cum gallina appetit coitum, sedet iuxta gallum, etiam quando gallus non habet desiderium coeundi. Idem autem faciunt alia animalia multa. In desiderio autem coitus id quod diligit gallina, non est receptio spermatis tantum, sed etiam eiection spermatis proprii in se ipsam. Signum autem huius est, quod quando non habet marem, tunc in se ipsam spermatizat, et ouat oua venti. Hoc enim non provenit nisi ex appetitu eiectionis spermatis ex vasis seminariis in matricem propriam. Idem autem accidens petit in coitu maris. Huius autem signum est, quod quaedam mulier habuit locustam vociferantem musice et cantantem, quam propter cantum enutrierat: et quando creuerat locusta, inuenit eam per se sine mare esse de ouis impraegnatam. (Cap. VI, 2.) Et hoc est signum, quod quaelibet animalium femina sperma habet naturaliter. Nulla enim differentia est inter ouum venti et aliud ouum in habendo sperma femininum: sed in hoc est differentia, quod ex ouo venti non exit animal, eo quod non habet sperma maris. Ex ouo autem coitus exit animal propter sperma masculi, quod est in ipso. (se ipso *Lugd.*) Nec etiam ex omnibus quae sunt a coitu maris, fiunt animalia: sed ex quibusdam fiunt, quando semen maris est efficax et semen feminae non impediatur. Ex quibusdam autem non erunt, quando defectus aliquis fuerit in altero spermatum vel in utroque. Et ideo vere dictum est, quod generatio non accidit nisi per conuenientiam duorum spermatum in om-

nibus causis et accidentibus generationis. Amplius autem mulieribus accidit debilitas post pollutionem somnii, sicut post coitum: et ideo sperma est quod eiiciunt apud somnium, sicut quod eiiciunt in coitu. Cognoscitur autem hoc tactu et visu, quoniam locus genitalium humidus humore spermatis post tale somnium inuenitur, et oportet tunc uti his tursoriis, quibus vtuntur illae, quae cum viris coeunt. (Cap. VI, 3.) Ex hoc etiam apparet, quod vterque, mulier videlicet et vir, eiicit sperma, non in profundum matricis, sed ante orificium ipsius, quod deinde matrix ad se trahit per modum quem supra diximus. Adhuc autem quaedam feminae animalium, quae diu vsu maris caruerunt, aliquando eiiciunt simul multum humidum spermaticum, quod paritur ab ipsis, sicut a gallinis et aliis auibus paritur ouum venti. Quaedam autem feminae animalium nihil talium (tale?) vnquam videntur parere aut emittere, sicut equa et ouis. Contingit etiam hoc ideo, quod gallina et huiusmodi aues eiiciunt suum sperma in propriam matricem, et simul ipsum continent in ea, eo quod non habent collum matricis, in quod eiiciant ipsum: quod conueniat, ut in ipsum eiiciatur sperma. Aliae autem animalium feminae proiiciunt in collum suae matricis: et ex illo paulatim effluit et non congregatur. Amplius autem mares animalium, quando non habent feminam, cum qua coeant, et sunt in seruore libidinis, saepe proiiciunt sperma super terram: et tamen illud vere est sperma. In quadrupedibus enim feminis inuenitur locus coeundi extrinsecus, qui est vulua: et ille locus conueniens est spermatis receptioni, et in illum locum eiicit sperma suum mas, quando coit simul et femina. Et quia frequenter in loco illo sunt aliae humiditates, ideo spermata frequenter admiscentur cum eis, ita quod aliquando etiam natant in vrina. Gallina autem et aliae aues recipiunt spermata in matricem suam, et non habent huiusmodi loca extra: et receptum in matricem calefaciunt. Etsi sperma ex vtroque fuerit, mare

et femina, pullificabit: si autem non ex vtroque fuerit, non pullificabit.

C A P. IV.

De impedimento generationis, quod est mola matricis vocatum.

(Cap. VII, 1.) Est autem inquirendum, vtrum mulieres dicant verum in eo, quod dicunt quod saepe post pollutionem in somnio factam in vigilia se inueniunt siccas in genitalibus nullum humorem ibi sentientes. Si enim contingit aliquando, tunc notum est pro certo, quod matrix ex sui caliditate et siccitate attraxit ipsum, sicut attrahit, quando adunatur cum spermate viri. Diuisim enim accidit attrahere vtraque spermata, sicut superius diximus. Accidit etenim hoc quibusdam mulieribus, quod post coitum viri non trahunt nisi sperma viri: et putant ex hoc longo tempore, quod sint impraegnatae, quando matrix clausa est super sperma attractum: et in veritate patiuntur id quod graece molyn, latine aulem molam matricis vocant. (molin — mola — vocatur *Lugd.*) Visa est enim mulier, quae cum viro coiuit et putauit se impraegnatam esse, eo quod tumor ventris eius omni die augmentabatur, et cum peruenit ad tempus partus, non peperit, nec decreuit tumor, et ita remansit per tres aut quatuor annos: et postea accidit ei dissinteria, et peperit multam et magnam carnem, quae molyn hoc est mola matricis appellatur. In quibusdam autem mulieribus durat valde diu haec infirmitas et protenditur vsque ad mortem. (Cap. VII, 2.) Accidit autem a calore matricis, quoniam quando matrix fuerit calida et sicca, attrahit ad se sperma viri aut feminae, quodcumque inuenerit, et retinet ipsum. Et quando sperma illud non est admixtum ex duobus spermatibus, non generatur ex eo animal, sed crescit per sanguinem menstruum, sicut caro: et est in talibus animalibus, sicut ouum venti in auibus: et ipsum est

causa et materia eius quod dicitur modyn siue mola matricis, et non animal conceptum, eo quod non est ex duobus spermatibus: neque est animatum, neque remansit in matrice longo tempore nisi propter dispositionem quam diximus. A simili enim causa gallina, quando recipit sperma in matrice, generat ex ea ouum, quod congregatur in ea, sicut mola congregatur: sed gallina ponit ipsum; quod non facit molam portans. Et quia iam matrix simul aperta est per sperma quod recipit et clauditur, continuis incrementis efficitur amplius quam erat. Animal autem, de quo impraegnatur matrix, exit ex matrice, quando aggrauat eam: tunc enim descendit, sicut accidit in apostematibus calidis, quae maturum humorem eiiciunt. (Cap. VII, 3.) Ista autem caro est mollis et temperata; et ideo matricem non aggrauat: et ideo non quaerit eam elicere: propter quod in longum prolongatur infirmitas, forte vsque ad mortem durans, nisi superueniat aliqua alia laudabilis infirmitas, quae ipsam expellat, sicut mulieri, de qua supra fecimus mentionem, accidit dissinteria. Et si frigus comprimens non fuerit in matrice, non descendet ab eo mola, eo quod matrix non habet tantum calorem, vt cito digerat ipsum ad modum digestionis rerum quae coctae sunt in maturacionibus apostematum aut rerum aliarum: res enim decoctae et maturatae non diu durant. Matrix igitur rem istam longo tenet tempore, propter causam quam diximus. Huius autem est et alia causa cooperans, quae est quod mola non inducit dolorem, quem ex pondere et descensu inducit partus. Hic enim dolor partus est propter motum ligamentorum matricis, quae non commouentur ex mola: quia iterum mola in multis est similis carni viae, non laeditur ex ea matrix: et sic ista caro tandem inourescit, nec est inflata nisi ex corruptione. Prolongatur autem aliquando ita diu ista infirmitas, quod caro adeo dura efficitur, quod etiam extracta securi scindi non po-

test de facili. (Cap. VII, 4.) Propter quod etiam medicorum multi ignorantes ea quae diximus, qualiter videlicet accidit ista duricies in matrice, et qualiter eleuatus venter sine hydropisi, et abscinditur menstruum, et prolongatur aegritudo, dicunt quod in matrice est causa infirmitatis, quae dicitur mola: et non est opinio eorum vera. Haec enim mola raro accidit; et si causam haberet ex vitio matricis, saepius accideret mulieribus. Hoc autem ostendit, quia saepe accidit istam infirmitatem patientibus, quod euacuantur et liberantur per fluxum exuentibus superfluitatibus viscosis et humiditatibus subtilibus aquosis; et cum illis aliquando excidit caro illa: et si tunc remanserit, iterum augmentabitur, et lapidescit, et facit abscissionem menstrui: (Cap. VII, 5.) eo quod menstrui superfluitates transeunt in eam, sicut accidit in lactantibus: quoniam aut nihil aut modicum menstruantur, quando abundat lac in mammillis. Nihil autem horum accideret, si infirmitatis causa esset ex vitio matricis. Est autem in hac infirmitate et alia deceptio, qua plurimi inexperti decipiuntur. Aliquando enim descendunt humiditates superfluae expulsae de membris corporis, et congregantur ad locum, qui est inter matricem et ventrem siue stomachum, et putatur tunc, quod mola ait propter similitudinem tumoris: et tamen cognoscitur, molam non esse, de facili si tangatur matrix: quoniam si infirmitas est in loco dicto et in tactu matricis, non sentitur tumor neque duricies: quae sunt accidentia molae; non erit mola quod putatur mola esse. Et si locus infirmitatis est durus, sicut duricies apostematis, et est frigidi tactus, tunc notum est, quod mola est; praecipue si durus tumor manu voluitur de loco ad locum. (Cap. III, 6. et 7.) Si autem mulier non sentit dolorem et tumet, cum sit impregnata, (non *omisit Veneta*) hoc est difficile: quoniam est in periculo molae. Saepe autem, sicut superius diximus, attrahit mulieris matrix quantum sufficit ei

de spermate: et tunc remanet multum de ipso destillans extra vuluam: et mulier sentit illam humiditatem descendentem, et nescit se impraegnatam esse. Et hoc cognoscitur, sicut diximus, ex hoc, quod multa animalia generant multos geminos ex vno coitu: et notum est, quod quilibet geminorum est ex vna aliqua parte spermatis et non ex toto spermate. Manifestum est igitur ex hoc, quod matrix aliquando attrahit partem vnam spermatis, et attracta aliquando facit molam, sicut diximus.

ALBERTI COGNOMINE MAGNI

LIBER. XXI.

DE PERFECTIS ET IMPERFECTIS,
ET CAUSA PERFECTIONIS ET IM-
PERFECTIONIS.

TRACTATUS I.

DE GRADIBVS PERFECTORVM ET IMPER-
FECTORVM ANIMALIVM.

C A P. I.

De summa animalis perfectione, quae est in homine.

Determinandum autem nunc videtur de perfectione et imperfectione animalium secundum animae facultates et potestates et de causa perfectionis et imperfectionis ipsorum. Haec enim videtur antecedere considerationem de animalibus in specie perfectorum aut imperfectorum animalium. Cum autem omnis perfectio animalium et imperfectio sit secundum participationem virtutum animalium perfectam vel imperfectam, nec imperfectum sciri possit nisi per rationem perfecti, oportet nos primum determinare, quae sit ratio animalis perfectissimi: quia secundum proportionem ad illud omnem inuenimus in aliis gradum imperfectionis. Ratio autem perfectioris animalis secundum animae vires quaerenda est: quia, sicut

iam ante diximus, quod est perfectum in virtutibus animae, perfectum est in organis, cum organum non faciat natura in animalibus nisi propter virtutem animae quae movet organum ipsum. Hoc igitur modo non potest esse perfectior modus virium alicuius animae, nisi quod organicae vires non sint nisi secundum esse non*) organicarum. Sicut enim diximus in antehabitis, in omnibus, in quibus sensibilis anima est, actus ultimus siue *endelectica* completa in his vegetativa non est nisi sicut pars potestatis, et est in eis secundum esse sensibilis. Cuius signum est: quia hoc circa quod operatur, ad vium sensibile terminat: et cum eodem modo in quibuscunque rationalis anima est *endelectica* completius, in his vegetabilis et sensibilis potentiae naturales existentes sunt secundum esse rationalis, eo quod virtus animalis unicum est esse, quod est actus et effectus essentiae et formae suae substantialis: et ideo sicut vivere simpliciter vegetabilibus est esse, ita sentire sentientibus est esse, et intelligere intelligentibus est esse. Dico autem vivere, sentire, et intelligere, vitam et sensum et intellectum habere: eo quod anima primo actus est sicut somnus, sicut diximus in libro de anima, et postea sicut vigilia, sicut sunt duo actus ensis, scilicet figura ensis, et secare, vel incidere. Cum autem vegetabilis et sensibilis potentiae insunt secundum esse perfectissimi, quod potest esse a corpore organico, necessarium est ipsas perfectissimas esse et ratione aequaliter participare. Cuius signum est, quod in homine tam in vegetativis quam in sensibilibus est ordo vitae secundum rationem. Nam temperantia et castitas insunt secundum opera vegetabilis: humilitas autem et mansuetudo similiter, et fortitudo et plures aliae virtutes insunt secundum concupiscentias et iras sensibiles: quod esse non possit, nisi et vegetabilis et sensi-

*) Mant. et Veneta naturae.

bilis inessent homini secundum esse animae intellectualis: aliter enim non esset ordinis secundum honesti rationem susceptiva. Siquis autem dicat, quod temperantia et castitas et pudicitia et caeterae huiusmodi virtutes non sunt secundum vegetabilis opera, sed potius secundum concupisibilem, quae est sensibilis animae: hoc stare non potest: quia nutrire et generare non sunt nisi vegetabilis: et ideo virtutes quae sunt circa haec opera, non possunt inesse nisi secundum vegetabilem: et concupiscentia quae est circa haec, et similiter sensus et motus sunt circa haec, prout vegetabilis est in sensibili, sicut trigonum in tetragono. Et hoc est quod ante diximus, quod inest secundum esse sensibilis, et hoc ulterius inest secundum esse rationalis: et ideo ordinem capit opus a ratione, concupiscentiam a sensibilis animae esse: opus tamen semper est vegetativae potentiae.

Ex his ergo patet, non posse esse perfectius animal 5 homine: quoniam animae quae est actus ultimus non potest esse perfectior, quam quod sit esse aliorum et ratio sit separatum, et quod est potentia naturalis ipsius, sit coniunctum organo. Ante talem enim substantiam nihil omnino est, nisi separatum in esse et potentia: et hoc non habet animae rationem: et ideo non constituit animal. Potentia namque non potest comparari nisi ad duo, ad obiectum videlicet et ad subiectum siue substantiam, cuius ipsa est potentia naturalis. Ex parte autem obiecti non habet nisi quod a tali obiecto patitur secundum naturam, aut circa tale obiectum *) secundum naturam operatur: et haec non elargant et exaltant posse suum vel modum sui posse: sed ex natura subiecti a quo ipsa potentia oritur, sicut omnis naturalis potentia oritur, a victoria formae subiecti habebit absque dubio tanto magis posse, quanto altior et nobilior et primae causae vicinior.

*) Veneta et Mant. subiectum.

fuerit forma subiecti, secundum cuius esse est et inest potentia naturalis: et ideo vegetabilis in sensibilibus elargitam habet potentiam, et sensibilis et vegetabilis in rationabili largissimae quae secundum naturam esse possunt sunt potentiae. Et hoc est quod quidem a multis dicitur, sed forte non a multis intelligitur, quod quicquid potest potentia inferior, potest et superior excellenter et eminenter. Patet igitur ex omnibus praedictis non solum in adiectione rationis esse hominem perfectissimum, sed etiam in omnibus potentiis et modo operationis omnium

6 potentiarum tam sensibilis quam rationalis. Ex dictis tamen oritur quaestio: quoniam visus et odoratus et auditus et caetera huiusmodi sunt potentiae quaedam sensibilis animae: et scimus lince melius videre, quam hominem, vultures autem melioris esse odoratus, et similiter canes et quaedam animalia forte melius audiunt. Hoc autem quod inductum est, non obstat. Videre enim melius, et odorare et audire melius, dupliciter dicuntur. Melius enim videtur quod acutius visu accipitur: et talis potentia visus est ex complexione organi corporalis, in quo est visus: et hoc modo nihil prohibet quaedam animalia acutiores quosdam sensus habere, quam homo habeat. Dicitur item melius videre nobiliori vti visu, sine quod est largioris potentiae super quodlibet obiectum: et hoc modo largior est visus disciplinabiliter differentias rei nuntians, quam ille qui sensibilibus tantum nuntiat easdem: et sic homo habet visum et similiter auditum et alios sensus, qui in ipso sunt principium et experimentum memoriae et vniuersalis et artis et scientiae: secundum quem modum animalia nulla praeter hominem sensibus vtuntur. Patet ergo quod diximus, quod videlicet perfectissimum animalium est, cuius omnis animae potentia est secundum esse naturae separatae, et ideo diximus in antehabitis huius scientiae, quod homo non solum specifica differentia differt ab aliis animalibus, sed etiam

secundum esse generis proximi, et secundum esse generis remoti. Genus enim proximum est sensibile, et remotum est viuum: et nos ostendimus, quod tam sensibile quam viuum participant aequaliter rationem, licet ipsae potentiae de natura sua sint irrationabiles. Eodem autem modo etiam vegetatiuum in sensibili secundum esse alterum et aliud est, quam sit ex natura sua in se ipso. Et ideo dictum est, quod ratio animalis vnus cuiusque generis secundum vnumquodque animalium in esse accepta est altera et altera et alterius potentiae, sicut determinatum est a nobis in primo de anima.

Amplius autem est adhuc alia perfectio hominis supra 7
alia animalia omnia: primus enim sensuum, propter quem animal est animal, et quo nullum omnino caret animal, est tactus: et hic, si ad terminos et organa sensibilia respiciamus, fundamentum est omnium sensuum aliorum, et obiectum suum omnes neruos relaxat et soluit ad sentiendum: quia calor complexionalis laxat sensum, et frigus ligat omnem sensum; sicut patet per ea, quae in libro de somno et vigilia subtiliter et per causam, propter quid dicentem, determinata sunt. Si ergo tactus est, in quo omnis fundatur sensus; oportebit necessario omnem sensum inesse animalibus secundum virtutem et potentiam tactus. Quaecumque enim formae sunt in aliquo sicut in fundamento subiecto, sunt in ipso secundum potentiam subiecti et non secundum potentiam propriam formae aut efficientis, sicut a nobis saepe probatum est. Videmus enim lumen solis in sereno aëre et nubo et in nube variari tantum propter diuersum posse et diuersam virtutem suscipientis ipsum. Sensus ergo omnis inest omnibus secundum potentiam et virtutem. Tactum autem habet homo et subtilissimum et certissimum, sicut a nobis in libro de anima dictum est. Igitur in homine sunt etiam caeteri sensus nobiliores, et aliqua certitudine certiores et subtiliores, quam sint in

aliquo aliorum animalium. Cum igitur a perfectione sensuum dicatur et sit animal perfectam, erit homo perfectissimum omnium animalium, eo quod perfectius et certius sensus participat. Amplius in organis sensuum et virium animæ participat homo manam solus inter animalia, quæ sola est organum organorum et organum intellectus operativi, sicut in præcedentibus istius scientiæ determinatum est. Nullum autem omnino animalium præter hominem in corpore suo habet organum organorum: sed potius habent omne organum ad vnum actum tantum: quia omnia quadrupedia habent anteriores pedes ad ambulandum tantum, et volatilia bipedia habent anteriora membra ad volatum. Homo autem huiusmodi membris superioribus non vitur ad motum, sed potius vniuersaliter in usu artis et officii aliorum membrorum. Patet igitur, quod ipse participat quaedam organa supra modum participandi omnium aliorum animalium; et sic etiam in compositione organica corporis perfectior est omnibus corporibus animalium et animalibus ipsis. Amplius hoc ipsum ostendit figura corporis. Cum enim diametri tres constituent omne corpus, perfectius et naturalius erit corpus, quod diametrorum mensuram naturalium participat. Diameter autem longitudinis mensurat a sursum in deorsum, et in solo homine idem est sursum quod est sursum mundi, et idem deorsum quod est deorsum mundi. Similiter autem est de diametro latitudinis. Solus enim homo inter omnia animalia latum habet corpus secundum mensuram suæ quantitatis latitudine proportionata: quoniam etsi quidam vermes lati sunt, non habent latitudinem longitudini proportionatam. Longitudo enim in corpore naturali semper vincere debet latitudinem, si non sit vitium naturæ. Quadrupedia autem spissiora habent corpora quam lata. Homo autem solus diametrum profunditatis minorem habet cæteris diametris. Cum igitur sensus organa ponantur secundum longitudinem descendendo, et motus organa se-

eundem latitudinem, perfectionem distinctionis maiorem habent organa corporis in homine, quam in aliquo animalium aliorum. Amplius solus homo, ut superius probatum 10 est, est imago et similitudo mundi tam secundum animam quam secundum corpus: omne autem aliud animal deficit secundum plus vel minus, et defectus est ex carentia aliquius ad perfectionem pertinentis. Patet igitur etiam ex isto, quod solus homo perfectissimum est omnium aliorum. In eo enim in quo quodcumque animalium non habet symbolum cum his quae vniuersaliter causant mundum, in hoc non imprimitur ab illo: propter quod non imprimitur ab intelligentia nisi homo: nec est aliquod animalium quod ita a coelo imprimatur sicut homo: propter quod aequalitas complexionis eius magis inter omnia animalia accedit ad naturam coeli et aequalitatem.

Amplius motor secundus in omnibus in quibus est motor 11 secundi ordinis, imperfectus est, nisi coniungatur motori primo eiusdem ordinis. Motor enim primus solus est, qui a se ipso mouet, et est causa motus in omnibus, sicut patet per antedicta. Constat nobis ex his quae de motibus animalium bene determinata sunt, quod phantasia mouens se habet ad intellectum mouentem, sicut motor secundi ordinis se habet ad motorem primum. Nullum autem animalium perfecte, et ordinatum habet motum, nisi in quo motus procedit secundum rationem motoris primi qui rectus est. Solus igitur homo cum per intellectum moueatur, perfectionem habet principiorum motiuorum. His ergo modis perfectionis solus homo est perfectissimus omnium animalium.

C A P. II.

De modis perfectionis animalium in communi, quot sint, et quas sint secundum animam, et secundum corpus, ex quibus cognoscitur natura pigmei.

De aliorum autem animalium perfectione dupliciter dicit esse loquendum Theophrastus. Sunt enim quaedam

illorum aliis perfectiora secundum corpus, et quaedam aliis perfectiora sunt secundum animae potentias. Et utraque istarum perfectionum est duplex: quoniam ea quae est secundum corpus, aut est secundum corporis quantitatem, aut secundum qualitatem aequalitatis siue completionis. Et ea quidem quae est secundum corporis quantitatem, adhuc in duas distribuitur: quoniam perfectio quantitatis, aut est secundum magnitudinem continuas quantitatis, aut est secundum numerum organorum, qui numerus est discretas quantitatis; sicut promuscidem habet elephas, qua loco manus utitur in multis visibus, quam non habent alia animalia. Adhuc et ea, quae est secundum animam, diuiditur et efficitur duplex. Aut enim est in participando plures vires animae interiores, aut in participando plures vires exteriores in numero sensuum. Et secundum participationem quidem potentiarum interiorum apprehendentium adhuc sunt duo modi, quorum vnus est secundum numerum potentiarum, et alter secundum modum et qualitatem. Quaedam enim animalium videntur de interioribus potentiis paucas aut nullas habere. Adhuc autem ea, quae habent huiusmodi virtutes et potentias, quaedam habent in eis quandam subtilitatem, sicut apes, quam alia maiora in quantitate non habent. Et omnem modum perfectionis et imperfectionis animalium oportet nos determinare: quia ex modis perfectionis et imperfectionis ipsorum maior pars cognoscitur naturae et operum ipsorum.

2 Loquemur autem primo de modis perfectionis secundum animam. Et de animae perfectione tractantes primo inuestigabimus eam quae est secundum numerum potentiarum et virtutum animae. Utamur autem arte quam tradidit Aristoteles in principio primae philosophiae, dicens, quod nos videmus, quod omnia animalia habent sensum aliquem et sensibilem acceptionem. Ex sensu autem quibusdam fit memoria, quibusdam autem non. Et quod non fiat memoria quibusdam ex sensu, ex hoc scimus, quod

memoria est, quae facit ex prius per sensum accepto redire in absens sensibile; sicut videmus vultures saturatos recedere a loco cadaueris, et postea iterum redire ex memoria loci et cadaueris: et hoc modo ad caulas reuertuntur greges, et aues ad nidos, et huiusmodi. Quaecunque autem animalium non persequuntur nisi praesens sensibile, et ex prius accepto non reuertuntur ad absens sensibile, scimus memoriam nullam prius acceptorum habere; sicut sunt muscae, quae cum abiguntur, reuolant immemores ictus prius accepti. Videmus etiam quod certum domicilium non custodiunt, et videmus quod non nisi praesens sensibile persequuntur. Amplius videmus quaedam animalia quandam habentia prudentiam circa res sibi conferentes, et tamen indisciplinabilia; sicut patet in apibus, quae prudentiam habent magnam in rebus conferentibus, et tamen non disciplinantur; et similiter formicae; ex prudentia enim contingit quod prouident sibi thesauros: sed quod non veniunt ad voces hominum, et non timent minas ipsorum, nec videntur fugere terribiles sonos; signum est quod sint indisciplinabilia per magisterium hominum: propter quod etiam quidam dicunt, quod sonos non audiunt: hoc autem in antehabitis improbatum est, quia videntur sonos audire. Sed quicquid sit de auditu; hoc absque dubio verum est, quod sonos non audiunt ad disciplinam, vt per nomina vocari possint et instrui, sicut instruuntur animalia multa, sicut canes et simiae et alia quaedam. Dupliciter enim habetur auditus ab animalibus: a quibusdam enim habetur, in quantum est sensus tantum; et a quibusdam habetur, in quantum est disciplinalis sensus. Et hoc secundo modo adhuc dupliciter participatur ab animalibus: quoniam hic sensus est disciplinabilis, secundum quod per sonos et voces accipitur notitia intentionum sonantis aut vocantis. Hoc enim modo soni et voces faciunt disciplinam. Hoc autem dupliciter fit. Faciunt enim soni et voces aliquando signum intentionis

confusum et aliquando determinatum. Confusum autem signum faciunt in brutis, et determinatum faciunt in homine. Et ideo quaecunque animalia auditum habent, pro-
 vt est sensus disciplinalis, et cum hoc memoriam, qua re-
 tinent signa disciplinae perceptae, confuse vel determi-
 nate sunt disciplinabilia, et percipiunt disciplinam con-
 fusam aut determinatam. Et ideo multa animalia ad voces
 hominum multa faciunt, et elephas flectit genua coram
 rege ad vocem indicantis, et canes multa talia faciunt,
 Sed apes et alia minuta animalia sonos et voces nequaquam
 disciplinabiliter percipiunt, licet magna vigeant memoria.
 Haec ergo in quibusdam animalibus est causa disciplina-
 bilitatis. Priuatio autem huius disciplinabilitatis est ma-
 xime in minutis valde animalibus, sicut in apibus, et ve-
 spis, et achatis*), et pulicibus, et aliis huiusmodi ver-
 mibus. Quaedam autem animalium videntur aliquid licet
 parum experimenti participare. Experimentum namque
 ex multis nascitur memoriis: quia eiusdem rei multae me-
 moriae faciunt potentiam et facultatem experimenti: et nos
 videmus quod multa animalia praeter hominem aliquid ex-
 perimentalis habent cognitionis in singularibus; sicut quod
 mustela pugnans cum serpente vulnerata contra venenum
 accipit folium endiuiae, quae a quibusdam rostrum por-
 cinum vocatur: et alia talia multa induximus in praee-
 dentibus quae faciunt animalia. Sufficiens autem non
 participant experimento: quia non veniunt per experi-
 mentum ad vniuersale et artem et rationem: sed tamen
 secundum aliquid participant experimento, vt iam dixi-
 mus. Quaedam autem in tantum eleuantur in his potentiis,
 vt artis quandam habeant imitationem, licet artem non
 attingant. Et hoc dupliciter videmus fieri in animalibus:
 quoniam quaedam et visu et auditu videntur esse discipli-
 nabilia: quia faciunt quae vident, et reseruant quae au-

*) achatis] *Achatis*, cicadæ maris.

diunt, aicut simia. Quaedam autem in tantam vigent in disciplina auditus, quod etiam sibi mutuo suas intentiones significant, sicut pigmeus, qui loquitur, cum tamen sit irrationabile animal: et ideo quantum ad animales virtutes, post hominem videtur pigmeus perfectius esse animal: et videtur, quod inter omnia animalia plus confert memorias suas, et plus percipit de signis auditis, ita quod videtur aliquid habere imitans rationem, sed ratione caret. Ratio enim est vis animae discurrendo per experta ex memoriis accepta per habitudinem localem aut syllogisticam vniuersale eliciens, et ex illo principia artium et scientiarum et similes habitudines conferens. Hoc autem non facit pigmeus, sed ea quae accipit cum auditu, non separat a sensibilibus intentionibus; et prout sunt sensibilibus intentiones, memoriae commendat, et hoc modo confert, et collata alii significat per locutionem. Et ideo pigmeus licet loquatur, tamen non disputat, nec loquitur de vniuersalibus rerum, sed potius suae voces diriguntur ad res particulares, de quibus loquitur. Causatur enim locutio sua ex umbra resultante in occasu rationis. Ratio enim due habet, quorum vnum est ex reflexione sua ad sensum et memoriam, et ibi est perceptio experimenti. Secundum autem est quod habet secundum quod exaltatur versus intellectum simplicem: et sic est elicitiua vniuersalis, quod est principium artis et scientiae. Pigmeus autem non habet nisi primum istorum: et ideo non habet nisi umbram rationis, quia totum lumen rationis est in secundo. Dico autem umbram idem quod resultationem obscuram, a sensibilibus materia et appendiciis materiae non separatam. Et ideo pigmeus nihil omnino percipit de rerum quidditatibus, nec vnquam percipit habitudines argumentorum: et sua locutio est sicut locutio morionum, qui naturaliter stulti sunt, eo quod non perceptibiles sunt rationum. Sed in hoc est differentia, quod pigmeus habet rationis priuationem ex natura, morio autem habet per

6

accidens ex melancholia, vel alio accidente, non ex privatione rationis, sed potius propter priuationem vsus rationis. Huiusmodi autem perfectio proxima est sub homine: propter quod etiam pigmeus ciuilitatem perfectam et leges non custodit, sed potius in talibus sequitur naturae impetum, sicut et alia bruta animalia. Sed erectus incedit, manu *) vtitur non prout manus est instrumentum intellectus et species quaedam instrumentorum siue organorum, sed potius prout quaedam animalium vtuntur pede anteriori ad multos vsus, sicut genera muris plurima anteriori pede cibum accipiunt, et ad os porrigunt: ita etiam pigmeus vtitur manu in pluribus vsibus, sed non ad artis opera: et ideo etiam sua manus non plenam habet manus rationem. Quod autem erigitur semper, facit in eo spirituum animalium maior claritas: et ideo melioris apprehensionis est inter caetera bruta: sed verecundiam de turpi et gloriam de honesto non attendit. Et hoc signum est, quod nihil habet de iudicio rationis: propter quod etiam rhetoricis persuasionibus in loquendo aut poëticis non vtitur, quae tamen imperfectiores sunt omnium rationum: et ideo semper syluestris manet, nullam prorsus ciuilitatem custodiens. Virtus autem illa animae, quam umbram rationis quandam vocauimus superius, innominata **) quidem est a Philosophis, sed circumloquendo cognoscimus, quod haec vis aliquid potentiae addit super aestimatiuam. Cum enim aestimatiua brutorum iudicet de intentionibus, quae cum sensibilibus accipiuntur, ista plus facit, quam referunt huiusmodi intentiones ad memoriam, et elicit expertum, et vtitur illo postea ad quae confert. Est autem hic non praetermittendum, quod aestimatum et expertum dupliciter referuntur ad vniuersale.

*) incedit, manu] Videtur repetenda phrasia ita: *incedit et manu vtitur. Sed manus vtitur non prout etc.*

**) innominata] Instinctus nomine comprehendant etiam latini scriptores, nostri partem *Kunsttriebe* vocant.

Vno quidem modo contemplatiue, prout ex expertis et memoratis in sensu acceptis quidditas rerum, quod est rerum veritas, accipitur per se vel in signo communi: et hoc modo memoratum et expertum non est in pigmeo. Alio modo inest memoratum et expertum, prout in ipso est conferens ad appetitum vel fugam: et hoc modo expertum et memoratum accipiuntur a pigmeo. Et ideo diximus superius, quod experimento parum participat pigmeus. Pigmeus enim non accipit nisi referens ad conferens vel nocens in re extra: sicut et alia animalia bruta omnes intentiones quas apprehendunt, ad ebs referunt et ideo nunquam separant eas a particularibus, sed potius componunt eas cum ipsis: et ideo etiam bruta et muta animalia vocantur: quia conceptus sui nihil veritatis loquuntur de rebus. Pigmeus ergo secundum praeinducta quasi medius est inter hominem diuinum intellectum habentem, et alia muta animalia, in quibus nihil diuinæ lucis esse deprehenditur, in quantum experimentali cognitione vtitur per vmbra[m] rationis, quam prae caeteris accipit animalibus: magis tamen secundum naturam vicinus est bruto, quam homini, vt patet per antedicta: quoniam expertum magis est ad vniuersale et contemplationem, quam ad particulare et motum.

C A P. III.

Qualiter animalia sunt disciplinabilia ex aliqua participatione virtutum animae, et praecipue qualiter hoc fit in generibus simiarum.

Reliquarum autem simiarum genera quae multa sunt valde, in tertio gradu potestatum animae et virtutum videntur participare animam. Cum enim disciplina fiat in homine, qui solus secundum naturam est animal disciplinae susceptibile per doctrinam videlicet et per inuentionem: ea autem quae per doctrinam est, duplex est, intellectina videlicet et sensibilis: videntur simiae prae

caeteris animalibus sagacitatem habere eam, quod disciplinabiles sunt sensibilibus. Propter quod etiam simiae Graeco nomine dictae sunt a ludo, eo quod ludicra in sensibilibus eis adhibita imitantur plus caeteris animalibus. Propter quod etiam quidam sapientes tradiderunt haec animalia ad ludum esse facta, et hac sagacitate quodlibet quod vident imitantur, et ex auditu colligunt intentiones vocantium ad sensibiles ludos ordinatas: et hic est primus gradus disciplinabilitatis. Primum enim oportet eum qui disciplinae est perceptibilis, ea quae videt et audit, diligenter attendere et conferre, et ex collatis memoria retentis experta sumere, et ex illis vniuersale depuratum accipere, prout est principium scientiae vel artis vel prudentiae vel alicuius huiusmodi intellectualis virtutis. De his autem tribus gradibus perfecte non attingit simia. Simia enim inde primum, et hunc secundum non attingit nisi imaginabiliter et memoriter: sed ulterius experientia non participat, neque multum neque parum vtens experientia: et in hoc deficit a pigmeo. Imitatio autem tanto facilius est in ea, quanto rem visam vel sensam non refert ad experimentalem cognitionem: referens enim ad experimentalem cognitionem detinetur in collatione memoriarum siue per memoriam acceptorum: non conferens autem statim fertur in sensibile. Et ex hoc est, quod simia primam facultatem disciplinae habens, statim imitatur hoc quod videt: sed pigmeus et homo non statim imitantur. Habet enim simia, sicut diximus, non nisi primam disciplinabilitatis facultatem. Cuius signum est quod non discernit in quo vel quem imitetur. Est autem praeter omnia, quae inducta sunt, observandum, quod nullum omnino animal disciplinabile est cum instinctu naturae. Ex disciplina enim ad tria proficit homo, ad scientias videlicet contemplatiuas, et ad artes mechanicas, et ad virtutes morales, et ad nullum horum proficit sine ratione et intellectu. Et hoc

patet per se de scientia speculativa. De arte autem activa constat: quoniam ars est cum ratione factiva eorum quae facit. In virtute autem attingitur medium, quod determinata ratione est medium, prout sapiens determinat. Propter quod nullum omnino animalium disciplinatur ad aliquod istorum trium. Sed cum homo habeat sensus disciplinales duos, visum videlicet, et auditum, sicut determinatum est in libro de sensu et sensato, visus deservit inventioni disciplinae: et cum huius inventio non fiat nisi ratione conferente memorias et sensata, non est aliquod animal disciplinabile visu: quia non habet facultatem inventivae ex collatione sensibilium. Auditus autem sensus est disciplinalis ex signis rerum, et ex alio. Et ideo animalia quaedam possunt disciplinari per auditum, et nulla per solum visum. Et ex hoc cognoscitur simia maioris esse facultatis, quam aliud animal: quoniam disciplinam recipit per auditum, et imitationem repraesentativam operum per visum: quod non facit aliud animal, nisi homo et pigmeus, et simia. Et ideo patet, quod ista tria animalia continuis descendunt gradibus. Hemo quidem particeps sensus disciplinalis omni modo, et memoriae, et experimenti, et rationis, et scientiae et artis. Pigmeus autem particeps sensus disciplinalis, et memoriae, et parum experimenti, et nihil rationis, scientiae et artis. Simia autem participans sensum disciplinae, auditum, et in visu aliquid percipiens ordinatum ad disciplinam, imitationem videlicet, et memoriam habens sensibilium, sed ex ipsa nihil omnino experimenti eliciana. Alia autem bruta in visu nihil disciplinabile accipiende, solum auditu aliquid disciplinae percipiunt. Amplius cum, sicut constat ex supra habitis, formae mouentes sint in homine, et formae speculativae, non recipit disciplinam simia, neque etiam aliud animal nisi formarum mouentium: propter quod etiam animalia disciplinabiliora sunt multorum valde motuum. Et ideo ad ambulandum vel

standum vel quaerendum aliquid disciplinantur animalia bruta et non ad artem vel scientiam. Et ideo nullum omnino animalium disciplinatur nisi motiuum, et secundum appetitum operabilibus*): eo quod haec sunt particularia etiam in particularibus accepta, quorum perceptiva sunt animalia huiusmodi. Videtur autem genus simiarum prae caeteris animalibus brutis aestimare de nociuo, et conferente, ex sensu et imaginatione et memoria. Aliis enim aestimationem habentibus de sibi conferentibus, et nocentibus, et illa persequentibus vel fugientibus, simia aestimat de conferentibus sibi et aliis animalibus: et ideo videns paruulum, exhibet paruulo vbera, non propria, sed matris quae peperit eum, si permittatur: puero enim exhibet vbera foeminarum, si permittatur: et hoc non alia faciunt animalia: et in hoc cognoscitur simia melioris esse aestimationis quam aliud animal. Sed in omnibus his non mouetur nisi phantasmate: et ideo frequenter errat, sicut et alia animalia: quia, sicut diximus in antehabitis, vbi phantasticum intellectui non coniungitur, frequens incidit error: et est in talibus animalibus non syllogismus operis, sed argumentatio imperfecta. Et sicut in contemplatiuis enthymema et exemplum sunt argumentationes imperfectae, quarum tamen imperfectio perficitur et reducitur ad syllogismum: ita in istis animalibus imperfecti sunt syllogismi operum, quae non habent nisi phantasticam aestimationem de operabili vel appetibili, et habent appetitum facientem impetum ad opus. Sed in hoc differentia est, quod enthymema procedit ex ea, quae est sub vniuersali, prout est in pluribus vel in omnibus: phantastica autem aestimatio non est nisi ex eo, quod videtur tantum: et ideo frequenter decipitur, sicut ex sophismate accidentis: quia non procedit nisi ex his, quae hic et nunc videntur, reputans similiter fugienda

*) operabilibus] *inoperabilibus*.

vel peraequenda, quibus idem accidit accidens secundum
 hic et tunc. Inductionis autem aliquid videtur partici-
 pare pigmeus in hoc, quod experimenti parum participat
 secundum syllogismum operatiuum, quem practicum
 Graeci vocant, sed perfecte non inducit, quando non
 progreditur vsque ad vniuersalis acceptionem. Exemplo
 autem haec animalia nullo modo vtuntur: eo quod exem-
 plum fieri non potest sine aliqua rationis collatione. Haec 6
 ergo duo genera animalium secundum omnia quae conti-
 nentur sub ipsis, prae omnibus aliis animalibus accedunt
 ad hominis similitudinem, non in contemplatiuis, sed
 potius in motiuis: et ideo pro certo aestimatiuum haec
 animalia habent lucidiorem omnibus aliis animalibus:
 propter quod melius aestimant de phantasmatibus quam
 alia animalia, et melius eliciunt intentiones acceptas cum
 phantasmatibus quam aliqua aliorum animalium, ita
 quod videntur aliquid habere rationi simile, et praecipue
 illi actui rationis aliquid simile habere videntur, qui con-
 fert de intentionibus in ipsis sensibilibus et phantasmatibus
 acceptis et non separatis ab eis. Et haec est causa, quod
 haec genera animalium similitudines hominis vocantur:
 cuius signum est: quia capita habent rotunda, quasi sit
 sphaera compressa, per tres cellulas distincta, et aures
 semicirculares et immobiles, sicut homo; manus cum
 longis digitis, et flexuram brachii in cubito versus dome-
 sticum pectoris, et vtuntur manibus in multis vsibus sic-
 ut homo, licet non vtantur eis in vsibus artis; et sunt
 lati corporis et non profundi sicut homo, et habent par-
 uum collum et latos humeros sicut homo: et foeminae
 eorum mamillas habent pendentes in pectore sicut foe-
 mina hominis, et habent vuluas magnas respectu suae
 quantitatis, et sunt positae in fine ventris, ita quod fis-
 sura vuluae ascendit versus vmbilicum, sicut disponitur
 vulua mulieris: et coeunt haec animalia, foemina in
 dorso posita, et masculo incumbente ei, sicut coeunt

homines. Et haec in exterioribus conuenientia; etiam interiori significat conuenientiam: quia, sicut diximus, aestimatio ipsorum similior est rationi, quam aestimatio aliquorum aliorum animalium. Sic ergo et aliis his similibus modis insunt vires animae his animalibus, quae magis ad similitudinem accedunt hominis inter bruta animalia.

C A P. IV.

De his quae attenduntur circa disciplinabilitatem animalium quadrupedum.

Quaecumque autem animalia sunt quadrupedia, minus discretionis in operabilibus habere videntur quam dicta. Et est in omnibus consideratio habenda penes tria, auditum videlicet, et aestimationem et memoriam: quia sicut in praecedentibus diximus, auditus est in homine secundum tres differentias virtutis sensitivae per auditum. Est enim primo secundum sonorum iudicium: et hoc convenit omnibus auditum habentibus. Est etiam in homine hic sensus disciplinae, prout ex auditu accipiuntur voces, secundum quod sunt signa conceptuum et passionum quae sunt in anima proferentium, et secundum quod referuntur ad res per nomina significatas. Et hoc dupliciter. Uno quidem modo, prout in nominibus significantur quidditates rerum contemplativae. Et alio modo, prout in nominibus innotescit forma operabilis, circa quam est aut effectus proferentis; aut res in quam est appetitus animalis; sicut canes ad voces vel sonos moventur ceruorum. Et primum quidem istorum convenit sensui auditus, in quantum est sensus particularis, ortus ex communi sensu qui est fons sensuum. Secundum autem convenit sensui auditus, in quantum reflectitur ad ipsum ratio: et ideo hic omnino nulli irrationali convenit animali. Tertium autem convenit sensui, in quantum vis dicens fugere vel persequi vel operari, coniungitur ei, quae est phantasia et aestimatio: et ideo animalia quaedam tam quadrupedia

quam bipedia percipiunt hoc modo sonos et voces utroque modo. Plurima enim animalia percipiunt voces secundum quod sunt indicia vocantis, et moentur persequendo, aut fugiendo ad illud, sicut agnus audiens lupos fugit, et audiens pastores sequitur. Hoc autem modo, quo voces sunt notae affectus et voluntatis eius, qui profert voces, dupliciter contingit percipere voces. Vno quidem modo distincte, et alio modo confuse: et quaecumque distinctae aestimant volitum quod intendit qui profert voces, disciplinabilia sunt; et haec sunt multa, et non habent hoc nisi ex instructione, et non e natura. Quaecumque autem non percipiunt volitum, sed circa volitum percipiunt aliquid irae vel benevolentiae, fugiunt quidem a vocante, vel aecedunt ad ipsum, sed non sunt disciplinabilia, nisi forte secundum valde parum: et ideo videmus canes et quaedam animalia muta*) discere. Equus autem et mulus et asinus in hoc magis inveniuntur stolidi, licet iam viderimus equos et asinos et anseres, qui quaedam ludicra et minuta didicerant. Parua autem animalia in his minus perceptiva et disciplinabilia sunt quam magna: [tamen iam visus est mus, qui rattus vocatur, et magnus est, qui candelam ad mensam tenuit sedens erectus.] In aestimatione autem animalium est praecipue, quia aestimatio componitur ex apprehensione phantasiae et appetitu desiderii; et habet se in sensibili anima, sicut prohaeresis in rationalibus; et quando bene pura est et boni organi, tunc efficitur boni iudicii de intentionibus rerum. Dico autem puram, quando spiritus eius est parus et clarus, et calidum eius est purum temperatam, neque pigrum ex frigido, neque commiscens operationes ex mixtis calido. Organum autem bonum est, non melancholicum, quod bene suscipit spiritus in eadem claritate, qua deferuntur ad ipsum in spiritu. Haec enim animalia generaliter sunt

*) muta] Edd. omnes *muta*.

melius discernentia sonos qui fiunt per auditum: propter quod terrestria melancholica quasi lucis expertia interioris, non bene iudicant de intentionibus quae in sensibilibus accipiuntur. Alia autem de quibus diximus opposito modo se habent ad ista: et ideo melius iudicant. Et cum soni et voces sint signa affectuum in animalibus sonantibus et sicut signa rerum, ea animalia quae lucidiores habent aestimationes, iudicant tam de rebus quam de voluntatibus sonantium per auditum. Quae autem minus bene aestimant, non iudicant de rebus, sed de sonantibus tantum et confuse. ⁴ Similiter autem multum considerandum est in memoria animalium. Et homini quidem huiusmodi potentiam secundum quatuor videmus inesse virtutes, quarum prima est secundum tenere bene formas in sensu acceptas. Et alia est secundum bene tenere intentiones ex sensibilibus per aestimationem elicitas. Et tertia est secundum bene redire per recordationem ad sensibilia accepta. Et quarta est secundum bene redire ad intentiones ex sensibilibus elicitas. Et quodcumque animalium memoriam secundum omnia [quae^{*}] bene participat, si cum hoc participat disciplinabiliter auditum, et est bonae aestimationis, illud bene est disciplinabile. Et quodcumque male haec omnia participat, illud non est disciplinabile. Et quodcumque quaedam horum bene, quaedam autem male participat: aut si omnia quidem, sed non secundum omnes potentias omnium haec participat, erit mediocriter quidem disciplinabile. Quatuor autem quae diximus de memoria, ad duas vires in communi reducuntur: quia duo prima fiunt sicco et frigido in temperante^{**}): alia autem duo fiunt calido et humido temperatis: et ideo dicuntur esse recordationis potius, quam memoriae. De his autem diximus in

^{*}) [quae] Videtur delendum, aut excidit verbum *disimus* vel simile.

^{**}) *Voneta sicco frigido temperato.* Scribendum videtur *sicco et frigido temperatis.*

libro de memoria et recordatione. Et saepe contingit, quod animalia bonae memoriae sunt malae recordationis, et e conuerso. Disciplinabilitas tamen animalium magis attenditur in recordatione, quam in memoria, et praecipue secundum eam partem quae est recordatiua intentionum. Cuius signum est, quod animalia disciplinata ad ludos, ad nutus et sermones magistrorum suorum percipiunt voluntates eorum, et faciunt ea quae sibi imperantur ad intentionem suorum magistrorum. Quod autem in auditu et recordatione potius apprehendant voluntatem et affectum, quam conceptum magistrorum suorum, ex hoc significatur, quod aliquando non faciunt ea, ad quae disciplinata sunt, nisi cum minis, vel blanditiis, vel aliquo signo terroris vel blanditiei: propter quod operantur ad affectum proferentis significatum in voce, et non ad conceptum: et ideo articulationem vocis non apprehendunt, et tamen recte perficiunt sibi imperata, et mouentur ex disciplina potius, modo quo mouet natura, quam modo quo mouet apprehensa et concepta intentio rerum aliquarum: quia moueri ex huiusmodi concepto est rationis: moueri autem ex habitu in modum naturae mouente, est etiam cuiuslibet potentiae bruti sensibilis. Simile autem huic videmus in artibus mechanicis, quarum opera optime exercent habitum habentes ex consuetudine, et nescientes operis sui rationem: et citharizant, vel viellant, vel aliquid aliud faciunt ex solo habita consuetudinis, nullam prorsus scientes sui operis rationem. Similis est differentia inter homines et bruta ex habitu mota disciplinae. Mouentur enim bruta sicut ex natura, non attendentia voces, nisi prout sunt signa voluntatis eius qui vocat, nihil penitus percipiendo de articulatione sermonum, quibus alloquitur ea magister, qui imperat opera. Homo autem facit imperata sibi secundum intentionem articulationis, quae est in sermone imperantis. Superius autem determinatum est, quod animalia aliquando ex ipso sensu statim obediunt ad ea, ad quae disciplinata sunt, propter

facilem facultatem, quam habent ex habitu disciplinae. In omni tamen disciplina, licet in tribus dictis consistat, potissimum est recordatio intentionum: quia illa bene redeunte omnia fiunt imperata; ita quod etiam quaedam animalia in talibus aliquid rationis habere videntur, cum tamen in veritate non habeant, eo quod intentiones, ad quas mouentur, non separantur a sensibilibus in sensu acceptis. Secundum haec ergo et huiusmodi et secundum gradus, qui sunt in istis, maior et minor et mediocris animalium attenditur disciplinabilitas.

C A P. V.

De disciplinabilitate et loquela et garrulitate auium.

In omnibus tamen his aues alia videntur excellere animalia, quae aues multum ab hominibus disciplinantur etiam ad loquela et sermonis pronuntiationem: et hoc fit non in vno genere, sed in multis generibus auium, in quibus tamen omnibus in hac disciplinabilitate antecedit psittacus, et post eum sturnus, et pica, et monedula, et coruus, et quaedam aliae aues frequenter huiusmodi inveniuntur disciplinae, et videntur in his omnes inesse vires animae sensibilis tam exteriores, quam interiores. Et praeterea fere omnes aues pluris sunt vociferationis quam alia animalia: et in*) hac vociferatione et garrulitate et disciplinabilitate minus videntur habere aquaticae aues quam aliae, et minus disciplinabilitatis inveniuntur in ipsis. Amplius magnae aues minus garrulitatis et minus disciplinabilitatis habent quam paruae. Ex his autem quae in antecedentibus huius scientiae libris dicta sunt de auibus, scimus, quod aues sunt lenioris carnis et naturae, quam alia animalia, et abundat in eis natura aëris. Propter quod etiam leniorum et subtiliorum spirituum conuenit esse aues caeteris animalibus secundum eorum genus. In lenioribus autem et subtilioribus spiritibus lucidius formae re-

*) Videtur postulari *ex aut de*.

praesentantur: et cum huiusmodi spiritus facile imprimantur et immutentur a quibuslibet formis, sequitur aues secundum suum genus multarum esse imaginationum et aestimationis multiplicis. Iam autem in praehabitis ostendimus, quod bruta non accipiunt formas sensus et imaginationis nisi practice et contemplatiue. Sequitur ergo aues esse ex multiplicibus formis aestimationis multorum desideriorum: et ex multis desideriis causatur multa auium garralitas. Prolatio autem sermonis non est nisi ex fracta ad figuram determinatam voce prolata. Id autem quod ex natura multos habet garritus, potest imitari multos sonos: et inde est, quod huiusmodi aues imitantur fere quicquid audiunt: et quando habent instrumenta apta, sicut linguam latam et longam et tenuem siue flexibilem, frangunt garritum suae vocis ad imitationem locutionis: et tamen in loquendo non concipiunt vocis articulationem, sed tantum garrunt imitando in figura vocis proferente. Aues autem aquaticae fere vniuersaliter sunt pigrae et grauis carnis et melancholicae, et praecipue quae inter eas sunt magnae: et consequitur, quod spiritus istarum auium proportionaliter tales sint, et ideo minus impressibiles a formis aestimationis: et propter humorem aquae, qui est locus earum, et abundat in cibis earum, sunt reumaticae et ideo impeditae vocis, eo quod abundat in eis catharrica superfluitas, quae quando auibus accidit, pituita vocatur: et hoc ostendunt soni, quos emittunt natantes in aquis. Saepe enim emittunt sonum per nares defluente catharro: a cuius soni imitatione ipsa etiam infirmitas pituita vocatur, eo quod pisonare videantur. Propter quod ergo sunt paruae et non clarae vocis: magnae autem aquaticae minus natantes sunt quam paruae, eo quod ipsae graniore et magis terrestres sunt quam paruae. Ex infusione autem cerebri talium auium sequitur eas non esse bene disciplinabiles. Frigidus enim et humidus humor et spiritus grossus est et fluidus sicut phlegma vitreum, et hic nec recipit bene, nec bene tenet: et in his quae receperit et tenuerit, pi-

grum est et non bene mobile: et consequitur vires animae proportionaliter se habere. Quapropter huiusmodi aues malae sunt disciplinae fere vniuersaliter: et aliquando etiam vt in pluribus sunt paucae garrulitatis, nec vociferant, et praecipue quando sunt magnae, nisi ex magnis accidentibus, sicut cignus voces quasdam emittit in doloribus mortis. Huius autem signum est, quod aues huiusmodi raucae sunt: et cum irascuntur, potius videntur sufflare quam vocare, sicut facit cignus, et anser, et aliae

4 quaedam huiusmodi aues. Aues autem agrestes et syluestres, sicut diximus, leuiorum et clariorum sunt spirituum et habent rostrum longum, sicut duae mandibulae prolongatae: et clauditur superius rostrum super inferius, sicut vna mandibula super aliam: et durities est eis pro dentibus, et longitudo linguae proportionatur rostro: et latitudo amplitudini rostri est proportionata: propter quod mouetur lingua ad rostri duritiem, sicut mouetur lingua hominis ad dentes figurando voces: et ideo quando retinent modum vocis in sono loquelae, figurant voces naturales et imitantur loquentes: propter quod etiam aues non

5 omnes formant voces, sed quasdam tantum. Est autem adhuc in his notandum, quod ad formationem loquelae multum facit palati durities; et palatum inter animalia duriores habent aues: et ideo melius quam quadrupedia loquuntur. In genere autem auium videmus quasdam esse musicas, et quasdam non musicas, et inter musicas quasdam videmus facere valde diuersos sonos et vocum fractiones, sicut calandra*), et alauda, et philomena: quasdam autem videmus facere quasi cantilenam vnam tantum: et hoc iam in antehabitis huius scientiae determinauimus: hoc enim non provenit ex disciplinabilitate horum animalium, sed potius ex multiformitate desiderii, et leuitate sanguinis et spirituum: et ideo maxime cantant aues tempore veris et coitus, quando huiusmodi humidum et

*) Veneta *galandra*.

calidum abundat in eis, quod quidem cum euacuatum fuerit per coitum et maciem, quae contingit eis ex solitudine cubandi et cibandi pullos, tunc cessant a cantu, nisi sunt abundantes in cibo, sicut alauda, et aliae quaedam. Et quia domesticae in caueis positae non macerantur per coitum et huiusmodi solitudinem, ideo fere cantant per totum annum, si abundet eis cibum. Sed nidificatio animum signum est, quod sunt maioris artificiositatis, quam sint alia animalia. Nulla enim omnino alia animalia ita artificiose videmus construere casas, sicut aues. Haec ergo sunt ex quibus cognosci potest animum artificiositas et disciplinabilitas.

C A P. VI.

De astutiis et sagacitate aquaticorum animalium siue natatilium.

In natatilibus autem videmus insidias, quibus insidiantur ad inimicem, sicut polipus insidiatur ostreis, et dentatus piscis insidiatur tibiis polipi, et quaedam alia mirabili sagacitate insidiantur sibi inimicem, ita vt ipsae*) insidiae proditio mixtae esse videantur, et proditio virtutem habet magnae aestimationis, et memoriae, et etiam aliquid providentiae in futurum videtur habere ipsa insidiosa proditio. Nisi enim polipus prouideret ostreum concham aperturam, non insidiantur: non enim longe ab ostreo elauso se abscondit, et in vna tibiarum suarum lapidem inuoluit, et illum intra concham ponit, postquam ostreum concham aperuerit: et quia tunc concha claudi propter lapidem non poterit; surgit polipus ostreum et deuorat. Similiter autem piscis dentatus**) latet in insidiis, vbi polipus natat, et subito prorumpens tibiā amputat. Quae non

*) Male Veneta et Mantuensis habent *tempore*.

**) Albertus libro 24. *Dentatus vel peagrus piscis est ex re nomen habens. Multos enim dentes habet et magnos, quibus grassatur in ostrea. Hunc piscem modernis dentatum vocant. Vbi fortasse pagrus vel phagrus scribi debuit.*

videntur posse fieri sine prouidentia et memoria et sagacitate magnae aestimationis. Et similia videmus in aliis natatilibus. Videmus etiam pisces domesticari, ita quod ad sonum campanae conueniunt, et annonam accipiunt: quod sine disciplina videtur non posse fieri. Constat ergo, quod etiam ista animalia eam habent perfectionem, quae ex participatione est virium motuarum, quae sunt sensus: imaginatio, memoria, aestimatio et prouidentia et sagacitas cuiusdam coniecturationis. In his tamen viribus natatilia et volatilia multum differunt et secundum genus et secundum speciem: secundum genus quidem: quia generaliter pigrioris sunt coniecturationis, et aestimationis, quam aues vel caetera quadrupedia. Et sunt natatilia magis stolidi in operationibus animae et sensuum: et hoc patet: quia nec visus oculi, nec auditus auris clausae, nec odoratus elementi spissi, nec tactus frigidi duri et squamosi possunt esse subtiles sensus secundum agere sensibiliter: et cum phantasia et caeterae vires animae sicut motus quidam a sensu factae procedant, non possunt haec animalia multum habere perspicacitatem in actibus virium istarum: et ideo stolidi ea esse necesse est in genere: propter quod partim disciplinantur et in paucis. Animalia autem terrestria et praecipue aues habent sensus omnino contrario modo dispositos: et ideo in genere subtiliora sunt natatilibus, et per consequens sunt in viribus animae motiuis perfectiora, et in multis disciplinabilia, in quibus non disciplinantur aquatica. In se autem habent differentias secundum industriae naturales, sicut iam ante dictum est. Quaedam enim aquaticorum quasi nullius sunt astutiae: quaedam autem multam habere videntur astutiam, sicut superius in exemplis induximus. Et ideo generaliter quidem facilius decipiuntur aquatica a piscatoribus quam volatilia ab aucupibus: et specialiter vnum genus piscium facilius quam aliud decipitur. In hac autem differentia videntur aquatica parientia et spirantia, sicut est delphinus, et balena, et hoc quod vocatur Koki, quod Latini

vitulum marinum dicunt, et caetera his similia magis habere astutiae quam alia: et ea quae simpliciter sunt aquatica, propter abundans phlegma viscosum in eis, sunt magis stolidi. Similiter autem in generibus eorum sunt differentiae astutiae naturalis et industriae: quoniam in quorundam sensuum participatione videtur esse quaedam aequalitas, eo quod omnia ista durorum videntur esse organorum, et ex hoc videntur malam et hebetem habere sensuum perceptionem. Tamen pro certo videmus quaedam ipsorum secundum omnia genera sua moueri, et quaedam esse immobilia a locis suis, sicut quaedam ostreorum genera. Scimus autem per antehabita, quod non inest motus localis, nisi insint motus principia mouentia et organa, per quae motus ille exercetur: et iterum ex quo natura non abundat superfluis, relinquitur, non esse organa motus et principia mouentia in his, quae non mouentur a locis suis. Propter quod perfectiora sunt secundum industriam ea quae mouentur aquaticorum, quam ea quae non mouentur. Amplius distinctio ordinata organorum sensus est propter ordinatam sensibilibus apprehensionum. Et ideo scimus, quod ea quae ordinate distincta habent membra, in quibus est sensus, ordinatius et melius apprehendant sensibilia, quam ea quae inordinate habent ea distincta. Et ideo dicimus pisces secundum suum genus ordinatius apprehendere sensibilia, quam ea quae sunt de genere malachie*), sicut sepia et polipus. Probatum est autem in antehabitis, quod sensus monet, et quod motus incipit a sensu: et item probatum est, quod inordinatio sensus inordinationem facit phantasiae et aestimationis. Et ex his sequitur, pisces vniuersaliter secundum suum genus esse perfectiores in virtutibus animae, quam ea quae sunt de genere malachie. Anima quippe non habet conuenientem spiritum et humorem, quibus influat vires suas in darts et quasi cartilaginosis cor-

*) *Malacia*, mollusca dicitur.

poribus, sicut habet in mollioribus ad similitudinem carnis accedentibus: et cum corpora omnium eorum, quae sunt de genere malachie, sint dura et ad naturam cartilagineis accedentia, non erit in eis vitae vehiculum, quod est spiritus, nobiliter vehens formas et virtutes animae: et non erit in eis humidum, quod subiectum est vitae, obediens ad nobiles virtutes et formarum animae susceptiones. Cuius signum est diversa compositio piscium et malachie. Corpus enim piscium et in similibus*) partibus et in compositioe dissimilium partium contrario modo se habet ad corpus eorum quae sunt de genere malachie. In simili enim parte, quae est caro vel id quod est loco carnis existens, crescit et augetur piscis secundum diametrum longitudinis, secundum quod procedit a corde ad totam corporis longitudinem. In malachie autem speciebus est augmentum circulariter ex centro, quasi corpus suum secundum totam longitudinem non extendatur ex quodam vno, sed potius congregetur ex additione superficialium sibi ad inuicem appositarum, sicut si superficies vna super aliam poneretur: et hoc signum est imperfecti caloris, qui non potest subiectum, in quo est, ex vno aliquo extendere. Similiter autem humidum, quod est in genere piscium, magis est fluens et mollificans ea, quae nutrit: sed in generibus malachie videtur esse terreatre ad naturam ossis declinans. Calidum ergo imperfectum non bene mouet, et humidum grossum non bene est mobile: propter quod necesse est, quod in astatia animae proportionaliter se habeant ista animalia: et ideo sagaciores sunt pisces in genere quam ea, quae sunt in genere malachie: in compositioe enim pisces componuntur ex spinis quae sunt loco ossium, et ex carne, et nervis: et habent caput et cor et stomachum et caeteras huiusmodi partes proportionatas animalibus sagacitatem habentibus et perfectionem virtutum sensibilium. Malachie autem totum corpus intus

*) similibus — dissimiliis. Graece ὁμοειρηθῶν et ἀνομοειρηθῶν.

est durum sicut cartilago, licet extra sit molle: nec habet ad rectam figuram distinctum caput et intestina, et cor: et hoc signum est, quod etiam deficit in modo participationis virtutum sensibilibus interiorum, et ideo in participatione mouentium non potest esse multum ordinatum. Licet ergo 9 quaedam ipsorum insidiosa sint, et aliquam habeant providentiam circa conferentia ad esum, sicut polipus: aut etiam circa evasionem periculi, sicut sepia, quae in tempestate se alligat lapidibus, ne vi vndarum proiciatur; et in timore emittit humorem nigrum, per quem turbat aquam, ne videatur: istae tamen providentiae sunt omnium animalium, et causantur a sensu conferentis aut nociui potius quam a praecogitatione aestimationis. Haec enim animalia propter rationem inductam in talibus viribus necesse est imperfecta esse et stolida. Prouisio autem, quae est a sensu conferentis aut nocentis vicini, non negatur alicui animali. Omnia enim animalia visu vel auditu aut certe odoratu aut gusta aut tactu nociva vicina fugiunt, et conferentia vicina prosequuntur. Stolida tamen et imprudentia animalia citius 10 praesentiunt talia, quam animalia sagacia et prudentia. Et causa huius est: quia quanto animalia minus occupantur circa propria, tanto facilius manifestantur in eis impressiones alienorum, sicut saepe diximus. Et ideo vapores, qui sunt causa tempestatis in ipsa sui elevatione, sentit sepia: et ideo se alligando lapidibus prognosticum facit tempestatis. Similiter polipus ex aliqua immutatione ab ostreo facta in aqua cognoscit vicinum esse ostreum, et tunc insidiatur. Omnibus autem his sunt imperfectiora 11 in participatione virium animae ea, quae vocantur mollis testae; et adhuc imperfectiora sunt, quae durae testae sunt vocata: quoniam illa sunt stolida, et parum cognitionis et prudentiae habentia, licet habeant organa sensuum quaedam, sicut oculos, habent tamen oculos valde duros, duriores omnibus aliis, quae duros oculos habent: et alia organa sensuum non videntur in eis, et habent valde hebetem tactum, ita quod etiam modicum et leuem tactum

non sentiunt: et membra interiora nobilia non inveniuntur in eis, sicut cor et hepar, et cerebrum. Et hoc est signum confusae animae eorum: quia sicut formativa, quae est in seminibus eorum, confusam mobilium membrorum facit operationem, ita anima sensibilis in eis confuse influit membris vires suas, et confusam facit in eis per vires
 12 operationem. Oportet tamen haec sensum et motum habere, secundum quod motus a sensu incipit, et habent phantasias et aestimationes et memorias valde confusas: quia sine aliqua phantasia et aestimatione et appetitu non fit motus, sicut nos multoties ostendimus. Confusio autem phantasiae et appetitus in talibus animalibus deprehenditur, quando non nisi ad sensum distinguitur: si enim in se determinationem haberet phantasma, et appetitus esset perfectus ad ipsum, moverentur ad absens: nunc autem parum valde moventur nisi vicino et aliquo modo sensibili per sensum percepto: et si sine huiusmodi perceptione moverentur, inordinate valde moventur. Et hoc est signum, ut diximus, confusae aestimationis et appetitus imperfecti horum animalium: propter quod motum rectum, quem pedibus exercent, habent valde pigrum: et si motum habent fugae per natationem, sicut karabo et gammarus, illum habent velocem secundum recessum a nocumento: et cum vadunt quaerendo conferentia, vadunt quasi tentando pedibus, sicut expresse videtur in karabo, et gammaris, et cancris, et omnibus huiusmodi aquaticis. Tentatio autem, quam faciunt pedibus, signum est, quod non confidunt sibi ex mala aestimatione et cognitione eorum, ad quae vadunt. Haec ergo et his similia talem virium animae
 13 habent participationem. Istis tamen multo inferiorem gradum habent ostrea, conchilia secundum omnia genera sua, quae quatuor in antehabitis esse diximus: haec enim pigra valde in motu sunt, et sensuum organa parum videntur in eis, nisi tactus et gustus: et ideo potius sunt circa fundum parum mota et surgentia humores, sicut plantae: et quod in plantis facit divisio radicum et diuicatio, ut ex

latiori loco sugant nutrimentum, hoc facit in huiusmodi animalibus parvus motus, qui fit in eis, non per instrumenta motus, quae sunt pedes vel alae vel pinnulae, sed potius motu dilatationis vel constrictionis remouent se de loco ad locum, sicut facit testudo^{*)}: et ideo ista animalia imperfectiora sunt omnibus superius inductis. Sed adhuc 14 imperfectiora sunt quae sunt ad modum spongiae, et sunt plantis similiora quam ea, de quibus diximus. Et sunt quasi trium generum: quoniam quaedam ex ipsis quasi media sunt inter genus malachis et plantam, sicut stincus^{**)}: quaedam autem magis multo vicina sunt plantae, et videntur tamen in aliquo accedere ad sepiam, sicut spongia mobilis: quaedam autem iuxta plantam sunt parum habentia animalitatis, sicut spongia immobilis, quae non movetur de loco in locum, sed in loco suo palpitat dilatando se et constringendo. Stincus enim quoddam medium videtur inter polipum et plantam: quoniam, licet in numero tibiarum polipus excedat stincum, eo quod polipus habeat octo tibias, et stincus quinque: et polipus habet longas tibias, et stincus breues: in hoc tamen habent similitudinem, quod vterque tam polipus quam stincus sugit per totum corpus: quia per totam longitudinem omnium tibiarum polipi (sine polipedis, quod idem est,) habet poros rotundos, qui sunt quasi quaedam ora per quae sugit et est fortissimae suctionis. Cuius signum est: quia quando adhaeret alicui animali, et praecipue quando adhaeret homini, statim ut innoluit tibias circa eum, extrahit vndique sanguinem. Stincus autem non habet huiusmodi ora 15 rotunda apta, sed per totam longitudinem omnium tibiarum suarum habet fissuram, in qua sunt quaedam venulae durae ad modum parvarum radicum, et per illas sugit.

^{*)} Videtur cochleae genus testa tectam intelligere. Et eodem libro 25. habet: *Liman vermis est tardus, qui testudo vocatur.* Testudinem veram vocare solet *tortuicam.*

^{**)} Stincus] Alberto pag. 248. a. dicitur *scorvus*. Est *Scorpe*, stalle marina. Conf. Gesneri histor. Aquat. pag. 2106 — 2108. qui tamen h. l. omittit, et supra in Commentariis ad V, 13, 10. pag. 522.

Adhuc autem in centro polipidis est foramen ab inferiori veniens, et super ipsam est saccus concavus, in quo est humor niger, sicut est in sepia, et in extremitate illius est caput polipi, et in ipso figurantur oculi eius, et in interiori eius est membrum quod est de substantia cornu, sed est valde tenue et molle, sicut unguis paruorum paucorum liquefactus, et est nigri vel fusci coloris, et est in figura sicut rostrum aquilae habens superius recurvatum super inferius, et est compositum ex duobus restris, inferiori et superiori, sicut componitur rostrum aquilae, et non est ad mordendum et ad lacerandum aptum, eo quod est valde flexibile, nisi forte per illud capiat valde mollia: et talem formationem in medio stinca non habet, sed est figuratus ad modum radice habentis quinque divisiones. Uterque tamen motum habet dilatationis et constrictionis, sed minus de animalitate, et plus de plantae natura habet stinca: a conuerso vero polipus plus de animalitate, et 16 minus de plantae natura. Spongia tamen quae mouetur de loco ad locum, vicinior est plantae naturae quam stinca: et spongia immobilis secundum locum adhuc vicinior, ita quod videtur planta quaedam esse aliquid participans animalitatis. Inter ostrea autem et plantae non inuenitur medium ex nimia eorum vicinitate ad plantas: et ideo sugunt nutrimentum, sicut plantae, et non habent loca exitus superfluitatum, sicut nec plantae habent.

[Propter quod etiam quidam Philosophi dicebant, talia animalia nullam omnino habere phantasiam: eo quod sensus quos participant, magis participant naturaliter quam animaliter. Isaac enim, Israëlitica Philosophus, dixit gustum et tactum inesse plantis, eo quod sunt sensus naturales magis, quam animae: quia non fiunt per medium extrinsecum, nec etiam apprehendunt speciem separatam a materia, sed in materia coniunctam semper.] Haec igitur et his similia imperfecta sunt animalia: eo quod imperfecte participant vires animae tam interiores quam exteriores. Per haec autem quae diximus etiam in aliis uata-

tilibus et aquaticis modi imperfectionis et gradus facie possunt cognosci.

C A P. VII.

De prudentia et sagacitate serpentium et reptantium animalium et de perfectione et imperfectione ipsorum.

Dicamus igitur nunc de reptantibus tam aquaticis quam agrestibus, et videamus, qualiter et ipsa perfecta sunt aut imperfecta. Reptantia autem et serpentina simul ponemus: eo quod natura eorum videtur esse vicina. Reptantia autem vocamus ea, quae licet pedes habeant, his tamen potius repunt quam ambulent: eo quod tam pedes eorum quam crura et coxae iacent super terram, quando ambulant, sicut patet in lacerta et stallione et tortuca et salamandra, et crocodilorum generibus, et huiusmodi animalibus quadrupedibus. Serpentina autem dicimus, quae nullos omnino pedes habentia serpunt motu corporis per inflexuras aut per motum costarum, sicut faciunt serpentium genera secundum omnes suas diversitates, quae multae sunt valde. Omnia enim haec inveniuntur aliquam² habentia prudentiam et sagacitatem. Et inter ea videntur in his astutiis excellere serpentes: et huius signum est insidiae quas faciunt. Disciplinae autem parum sunt perceptibiles, quamvis Plinius narret, quendam patremfamilias in Aegypto immanem aspidem domasse, quae quotidie de caaverna egrediens solitam ante mensam acciperet*) annonam. Ex superius autem inductis constat, omnes huiusmodi astutias causari ex humido subtili horum animalium. Frigida enim existentia calidum non habent commiscens operationes eorum, sed complexionale calidum digerens: et ideo lucidi sunt spiritus ipsorum animales: propter quod sagacia fiunt in astutiis: propter quod etiam perfecta oportet esse huiusmodi secundum quod participant potestatibus animae sensibilis interioribus et exterioribus. Omnes enim sensus habent et exte-

*) accepit Mant. accipit Venet.

- riores et interiores et aestimationem valde lucidam; hoc est lucidi spiritus. Et ideo quorundam opinio est talia, astutiora esse aliis maioribus. Quaecunque tamen horum aquatica sunt, propter frigidum congelans spiritum et humidum minus sunt astuta. **3** Ea autem quae repunt, sicut quadrupedia, quamuis omnes habeant sensus, minus tamen serpentibus vigent aestimatione et memoriis propter ipsorum maiorem terrestritatem et minus subtile humidum. Omnia tamen haec et huiusmodi animalia imperfectionem hanc habere videntur, quod non habent perfecta motus processui organa. Mobilitas enim costarum est ex hoc, quod immediate in serpentibus costae nuchae spondilium infiguntur: a nucha autem est vis processui motus a corpore ad nervos inde exortos directa, quae si adeo perfecta esset in his, sicut in gressilibus vel volatilibus, non confortaretur tantum immediate conianctis, sed formaret etiam organa pedum et influeret his motum, sicut
- 4** facit in aliis. Huius autem et alia causa est, quae est propter melius. Longa enim valde huiusmodi animalia corpora habentia, paucis pedibus ad portandum corpus iuvari non possunt: propter quod etiam quaecunque ex his breviora sunt, ut lacerta et crocodili, et stellio, quatuor repunt pedibus: et ut maior pars corporis fulciatur, totam cruris longitudinem trahunt super terram: quia si tantum extremitatem pedis terrae infigerent haec animalia, longa inter anteriores et posteriores pedes protensa pars corporis ad impedimentum motus dependeret. Natura autem
- 5** semper meliori modo procedit. Differunt autem serpentina ab huiusmodi repentibus in hoc, quod serpentina sui corporis, quando volunt, erigunt partem anteriorem, quod non faciunt repentia. Sed in hoc conveniant, quod rotato et circumducto capite tam haec quam illa longum suum corpus retro respiciant: quod tamen non convenit brevibus horum, sicut ranis, et bufoni, et huiusmodi generibus repentium. Adhuc autem quaecunque longa sunt, diu vivunt abscessa propter sui corporis similem fore per om-

nia compositionem et complexionem: propter quod etiam caudae abscissae recrescunt aliquantulum. Haec autem et huiusmodi squamosa propter duritiem squamarum, quando antiquantur, frequenter mutant pelles, et deponunt eas, sicut gammari mutant testas, et aues plumas, et tunc maioris efficiuntur sensibilitatis. Et hoc contingit propter similitudinem humidi nutrimentalis cum humido eorum radicali vel seminali: sicut etiam in arboribus contingit: et ideo sicut in plantis redit ad talia animalia iuventus ipsorum secundum dictum modum. Haec igitur et huiusmodi animalia tales habent perfectiones et motus.

C A P. VIII.

De sagacitate et perfectione anulorum.

Animalia autem anulosa propterea, quod extra dura sunt et terrestria valde, et praecipue apum genera, sensus quidem omnes participant et aestimatione et memoria praeter genera muscarum: et in his circumuoluitur spiritus ex subtili humido procreatus: et ideo sagacia sunt valde: non autem disciplinabilia per doctrinam, eo quod sonos secundum quod sunt nomina rerum per modum conceptus non possunt audire, quamuis rerum percipiant intentiones. Sonus enim auditur dupliciter, scilicet simpliciter secundum quod facit signum sonantis, et secundum quod est impositus ad rem per nomen designandam. Et primo quidem modo huiusmodi animalia sonos percipiunt, sed non secundo. Causa autem est: quia nomen rei est ab intellectu cuiusdam nomen rei imponentis; et simplicius est ipsa forma rei; et propter hoc ab huiusmodi animalibus frigidis in illa notione soni non percipiuntur, licet ab aliis percipiantur animalibus. Et ideo huiusmodi animalia prudentia sunt in aestimatione et memoria conferentium ad vitam et vitae commodum, sed non sunt disciplinae perceptibilia, sicut canes et simiae, et quaedam alia talia. Quantum autem ad motum processuum, fere omnia talia conveniunt cum testeis animalibus

in ambulando, et in habendo multos pedes, et etiam in hoc quod omnes illi radicanter subtus in pectore suo sub loco membri quod est eis loco cordis. Causa autem huius, sicut ostendimus in libro de principiis motus animalium, quod motus est a corde, sicut a motore primo, per calorem et spiritum diffusos in totum corpus. Cum igitur frigida sint omnia talia, sicut et testea, si longinque a corde radicarentur organa procedendi, efficerentur immobilia et inutilia ad motum: quia vis omnis motoris fortior est in propinquo, quam in remoto: propter quod etiam in talibus frequenter forti compressione coniungitur radicatio crurium, ut ad fontem caloris appropinquent. Et ut frequenter ista omnia succincta sunt, et posterior pars eorum non habet aliquam cruris infixionem, sicut patet in apibus parvis et magnis et in vespis et in araneis et lacertis*) et muscis et in omnibus huiusmodi, et in testeis tam mollis testae quam durae similiter est, sicut patet in gammaris secundum suum genus et karabis et conchilibus

3 ostreis ambulantis omnibus. Sed mirabile est in eruca et erucacae similibus vermibus anulosis: haec enim duplicem habent generationem, sicut in praehabitis determinatum est, et in prima quidem generatione duplicem habent motum: ad loca enim remota filo, quod de viscosa sui oris humiditate extrahunt, perveniunt tracta vel suspensa per filum illud; in quo differunt ab aranea, quae hoc trahit filum de ano. Adhuc autem haec animalia telis de suis filiis contextis non videntur uti nisi ad nidum**), in quo est onorum custodia. Aranea autem utitur tela de suis filiis contexta ad venationem. Habent autem haec animalia in prima sui generatione motum pedibus valde brevis per totam sui corporis longitudinem infixis, quibus ambulant ad loca vicina propter pastum. In secunda vero generatione, qua ex ovali quadam natura

*) lacertis] lacertis?

**) Nidum. Agnosceis speciem ex familia, quae degradatur pomata nostra, prohiemem etiam in nido latitans.

generantur iterum ad volatilia, tela et filo non mis-
 parum vti videntur: quoniam a principio fermenta-
 tionis suae, quando calor naturalis primum sui cor-
 poris humidum mouere et commiscere incipit ad oua-
 lem naturam declinando, quaedam eorum, sicut eru-
 cae quaedam [et vniuersaliter bombices,] spisse contex-
 tam innoluto filo circa se filant materiam, [ex qua fit se-
 ricum,] et in illa calor fermentat humidum in volatilis
 naturam; quae cum nata fuerit, per foramen quod ore
 facit, egressa volat: et tunc pedes accipit longos omnes
 sub pectore radicanos, eo quod tunc tandem ad suae spe-
 ciei perfectionem est reuersa species haec animalis. Omnia 4
 autem haec et huiusmodi videntur habere sensus: quo-
 niam tactum habent debilem inter plura animalia, et de-
 biliorem quam sanguinem habentia. [Et ideo mentitur
 Origenes dicens araneam in tactu excellere.] Gustum au-
 tem omnia talia habent per longum instrumentum, quod
 egreditur sicut promuscis quaedam de ore ipsorum: In
 odoratu autem propter siccitatem capitis et membri, quod
 loco cerebri est, valde excellunt: odores namque talibus
 in aëre occurrunt, et longe mouentur volantia ad florum
 odores: et hoc praecipue conuenit eis, quando secunda ge-
 neratione ad speciei suae perfectionem sunt conuersa:
 tunc enim colligunt rores floribus infusos: et ante hoc in
 prima generatione plura eorum foliis arborum et herba-
 rum nutriuntur. Auditus autem instrumenta in eis per 5
 anatomiam non videntur: percipiunt tamen sonos per
 poros anterioris partis corporis, sicut probatur, quia fu-
 giunt quibusdam sonantibus, et plura eorum terminis me-
 tallorum comperessorum alliciuntur. Instrumenta autem
 visus per anatomiam inueniuntur in eis: et sunt oculi eo-
 rum duri non cooperti, quia molles laederentur, quando
 impetu per aërem feruntur volantia: et ideo etiam ista
 animalia perfecta dicuntur quoad sensuum participatio-
 nem. Cum autem duobus, quae sunt manifestae vitae 6

potentiae, animatum ab inanimato differre dicatur, sentire videlicet, et moueri, motu multiplici participant, quoniam in vltima generatione sua volant membranalibus alis plaribus quam duabus, et ambulant pluribus quam quatuor pedibus: et plura eorum post primam generationem suam et trahuntur filo et ambulant multipedia existentia, quod significat in eis virtutis motiuae imperfectiorem, quae per vnius figurae membrum, sicut sunt pedes in gressibilibus et pinnae in natatilibus, aut duarum tantum figurarum, sicut sunt alae et pedes in auibus, motum complere non potest: sed facit vnum crus longius alio, et vnum grossius alio: et similiter facit in aliis quorundam eorum, quae non habent alas complicatas super dorsum, sed extendunt eas desuper vnam ad alteram appodiando, sicut facit eruca volans et omne genus bombicum. Et haec omnia crura quaedam longiora habent, posterius ad impingendum, cum ad volatum eleuantur: et quaedam post haec longiora habent ante quasi ad tentandum et palpandum, vbi resideant et cibum inueniant: mediae autem longitudinis crura habent in medio, quae simpliciter sunt ad corpus sustentandum. Et per omnia in tali dispositione conueniunt cum his muscarum et muscilionum*) genera, quae tamen alas habent duas super dorsum applicatas. Haec igitur et huiusmodi talem habent perfectionem.

C A P. IX.

De imperfectis animalibus et ratione et distinctione imperfectionis eorum.

Ea autem quae secundum suum genus imperfecta esse videntur tam in membris quam in sensus et motus participatione, sunt verminum quaedam genera, sicut ea quae lumbrici terrae vocantur, quae magis ex vaporibus inclusis sub terra vel putredine radicum nasci videntur, quam

*) muscilionum] *serénus*.

per semen maris et foeminae. In his enim nullius omnino sensus organa videntur distincta nisi tactus. Gustus enim in eis non perficitur nisi sugendo, sicut radices plantarum sugunt humores: et ideo in talibus non inuenitur nisi vna via cibi per medium distenta longitudinis, sicut est via succis per radices: nec inuenitur in eis diuersa digestio, nec membra digerentia, nec aliquid loco ipsorum, nec aliquid vasorum siue intestinorum vestigium: sed totum corpus per longitudinem ex analis componitur: et est in medio anulus maioris quam alii spissitudinis, ad quem anteriores et posteriores in motu colliguntur: nec mouentur pede vel ala, sed potius alteram partem extremae medietatis secundum longitudinem corporis ad medium anulum contrahendo, et alteram ex eodem anulo protendendo: nec semper protendunt vnam et eandem, sed modo vnam, et modo aliam: quia ad vtramque sui corporis extremitatem mouentur. Nec vident nec audiunt, nisi forte soni fiant cum concussionione: tunc tactu, non auditu, sentiunt concussionem*). Haec etiam odorare nihil omnino videntur, nec gustum habere, secundum quod indicium saporum est, sed secundum quod est sensus alimenti, et sic est quidam tactus: propter quod etiam sugendo sumunt alimentum. Nec egestionem videntur emittere, sicut neque plantae; sed aliquando inuenitur vnum talium ad alterum extendi in anteriori medietate corporis super terram, et aptari sibi directa extensione, ac si vnum calorem quaerat ex altero: quod quidam putant esse talium animalium coitum: quod tamen nulla ratione verum est: quia viae seminis in eis nullae prorsus inueniuntur, nec humescunt in tali coniunctione, sicut inuenitur fieri in serpentibus, quando coeuntes complicantur. [Ex his autem aestimat Auicenna, cum iuxta aquas limosas sunt,

*) concussionem] Homines auiamque genera varia, quae lumbricis victitant, eodem terra pedibus concussa euocant.

anguillas generari: et hoc si verum est, tunc oportet ista quasi materialia semina et ova esse ad anguillarum generationem.] Haec igitur et his similia talem suae imperfectionis habent modum. Imperfectiora vero his sunt spongiarum genera, quae de omnibus sensibus non nisi confusum valde tactum acceperunt: nec motum habent nisi contractionis et dilatationis, et hoc motu de loco ad locum non feruntur, nisi in aqua et per accidens. A se enim siue per se mouetur animal, quod organum habet, quo vehit se ipsum in gradibus processius motus. Contractione autem tali et dilatatione non fit processio, nisi in aqua, vbi impingitur aqua per dilatationem: et tunc vi aquae*) vehitur animal ad alium locum, sicut etiam lignum natans, et sicut homo nauim impingens, et in ea se per accidens vehens ad loca diuersa: propter quod huiusmodi in terra manentia terrae infiguntur immobilia secundum locum, licet sub terra dilatentur ad succos convenientes, et contrahantur ab inconuenientibus: vnde et haec non vera ratione animalia sunt, sed media inter animalia existunt et plantas. In complexione aliquid habent de tactus medietate, licet parum: et ideo per modum somni habent tactum, et non per vitam manifestam, sicut est tactus in vigilia. In compositione autem nihil penitus habent animalibus simile: quia nec in interioribus nec in exterioribus membrorum animalium praetendunt figuram vel operationem: imperfectionis igitur maximae sunt et extremam naturae animalium habent participationem. [In his ad finem veque scientia de corporibus animalium producta est: et per ea, licet imperfecta sint, tota auxiliante Deo perfecta est scientia naturalis.]

*) vi animas aquae Mant. et Veneta, via aquae Lugd.



